

www.libtool.com.cn

www.libtool.com.cn




www.libtool.com.cn

www.libtool.com.cn



www.libtool.com.cn

www.libtool.com.cn




www.libtool.com.cn

www.libtool.com.cn

www.libtool.com.cn

www.libtool.com.cn

OPERUM
BARTHOLOMÆI
RICCII
LUGIENSIS

TOMUS SECUNDUS,

CONTINENS EPISTOLAS

A D

ATESTIOS PRINCIPES,

AD JO. BAPTISTAM CAMPEGIUM

Balearium Majoris Episcopum,

ET AD FAMILIARES.

Accedunt Epistolæ quædam inditæ, Argumenta, Epistolarum, & Rerum Indices.



PATAVII, Typis Seminarii. MDCCXLVII.
Apud Joannem Manfrè.
Superiorum Permissu, & Privilegio.

276. a. 232.
244. 2. 2

www.libtool.com.cn

BARTHOLOMÆI RICCII

www.libtool.com.cn

AD

HERCULEM ATESTIUM

Ferrariæ Principem

EPISTOLARUM

LIBER PRIMUS.

LUCRETIÆ, & LEONORÆ

Sororibus Ateſtiis Principibus

Bartholomæus Riccius S. D.

ET ſi nullus mos eſt in edendis Epiſtolis, ut cuiquam ſeparatim volumen integrum inſcribi ſoleat, quippe quæ ſingulæ ſingulis, atque adeo multæ multis ſcribantur; nos tamen hac una Epiſtola cæteras omnes, quæ in hos duos libros digeſtæ ſunt, vobis, Lucretia, atque Leonora Ateſtiæ, Regiæque adoleſcentulæ ea ratione dicavimus, quod vos ſolæ ex veſtra Illuſtriſſima Familia mihi ſupereratis, quibus nihil adhuc aut Literarum ſcripſiſſem, aut Librorum inſcripſiſſem; quando eorum alterum nihil opus fuit; alterum non commode, ut facerem, accidit. Nunc vero ut hæc ſeſe prima occaſio obtulit, eam arripui, ut veſtrum

hunc locum in meis ſcriptis haberetis ; multo etiam ampliorem , quoties uſus ferat , habituræ. Quare vobis , ut eſtis , cariſſimis Sororibus , quod veſtris omnibus ſeparatim ſcripſi , id omne inſcribere placuit ; ut quod ſinguli ſuum habent , id omne vos duæ ſimul veſtrum haberetis ; atque hoc modo quaſi quintum Fabulæ actum mihi optime clauderetis. Quod non dubito , cum quod cum veſtris , tum nobiſcum etiam ipſis ſimul una , ut ſemper & animis , & ſtudiis fuiſtis , hac mea quoque inſcriptione conjunctas eſſe vos videtis , quin id vobis gratiſſimum ſit futurum. Valete ut facitis , unanimes Sorores.

www.libtool.com.cn

www.libtool.com.cn

HERCULI ATESTIO

Bartholomæus Riccius S. D.

Inſtituendi in humanioribus litteris filii Principis, qui ne prima quidem elementa componere norit, ratio facillima arte pleniſſima, mirumque docendi genus ad aliquod tempus ſine libro.

1. PEtis a me, Hercules Princeps, ut tibi per literas ſignificem, quam ego docendi rationem ſequerer, ſi mihi Alphonſum Filium tuum in humanioribus ſtudiis inſtituendum committeres, ut cum inſtituendi formam perſpexeris, qualis futura tota ſit inſtitutio mea, facile poſtea cernas. In quo ego tibi libenter obſequor, cum quoniam rem a me tam facillimam, quam etiam tibi æquiſſimam petis, tum quia ſpero, me illam ita tibi eſſe comprobaturum, ut minime contemnatur. Duo igitur ſunt, Princeps, magiſter, & literæ, quorum utriuſque magna ratio in noſtris ſtudiis adhibenda eſt. Nam ſi forte alterutrius odium puerum ceperit, de ejus ſtudio actum eſt. In utroque igitur probe cavendo continuo omnem animum, atque diligentiam intenderem; ac quantum ad magiſtri odium, atque faſtidium declinandum, ego læto ſemper vultu ad puerum accederem, eumque inter docendum pari præſtarem ratione, blandum, comem, hilarum in omnibus illi me præberem; ni ſi res tamen ea incideret, quæ humanitati illi meæ aliquid etiam gravius aſciſceret, in qua re tum mihi graviori vultu, verbis etiam cum vultu conſentientibus

præſto adeſſem. Sed in eo totus eſſem, ut puerum belle inducerem, fallerem, deciperem. Hunc enim fabellis aſſidue oblectarem honeſtiſſimis, ex quibus poſtea ſemper aliquid explicarem, quod ad Principis vitæ rationem pertineret. Deinde a te Patre omnibus præmiolis illum facile allicerem, atque in officio continerem, neque etiam ab æmulatione nihil mihi ſumerem adjumenti. Alias alia ratione, prout rem ipſam ferre viderem, animum ejus mihi compararem. Certe in verberando aut nullus, aut perparcus eſſem. Neque enim is Filius eſt, qui hoc vel a te Parente ſuo expectet; neque is ego ſum, qui vi magis, quam blanditiis literas ingenuos, nedum Filios Regios, doceri exiſtimem; verum flagri loco hac ego arte uterer, ut cum puerum meum aut longiori ſtudio, aut animi aberratione aliqua rem aliam agere ſentirem, quorum utrumque crebro accidere ſolet, quoniam vel unus verſus puero ſatietatem affert; vel quavis leviſſima de re, quæ illi incidat cogitatio, continuo totum eum abalienat, atque a mente aufert, hunc ego tum aut pauliſper miſſum facerem, aut aliquo ridiculo uſque eo oblectarem, quoad ejus animum ad priſtinum ſtatum reduxiſſem; tum ego quoque ad rem redirem, brevique partem illam abſolverem. Quo uno ſtudio, atque ſi quo alio eſt opus, diſcipulum meum in mei amore prorſus continerem. Quod vero ad hanc eandem ejus benevolentiam in literas conciliandam, & retinendam ſpectat, mea multiplex eſſet ratio. Eas enim ego illi continuo omnibus laudibus in Cœlum efferrem. Reginas eſſe rerum omnium literas, idque exemplis, atque rationibus, quantum ejus captus eſſet, comprobarem. Multos præterea commemorarem, qui harum præſidio ad maximas dignitates evecti ſunt, idque adderem, has ſolas illuſtres viros, atque immortales reddere, & in ſempiterna hominum memoria fideliter retinere. Poſtremo ei demonſtrarem, nihil ad Principem tam attinere, tamque illi neceſſe eſſe, quam rei literariæ cognitionem. Hujus autem addiſcendæ facilitatem, quod omnium mihi maxime cauſæ meæ conducere videtur, ſummam illi commonſtrarem; quin eas ego illum ita docerem, ut vix ſentiret quid ageret. Nam cum res, ut audio, cum eo puero mihi futura eſſet, qui ne prima quidem elementa componere norit, & ingenii præſtan-

ſtantia longe ætatem ſuperet, ego primum illud tempus, non quemadmodum alii in literarum cognitione, atque conjunctione fruſtra cum eo contererem, ſed huic in digitis quaſi librum, unde prima artis rudimenta, hoc eſt, quæ ad Nomen, quæque ad Verbum pertinent, facillime ediſceret, meo novo deſcriberem inſtituto; qua una hac mea diligentia hæc quoque ſequerentur commoda, ut primum, quod in Principis Filio maxime providendum eſt, nihil temporis omitteretur. Nam ſi mihi expectandum ſit, dum literas probe cognoſcat, dum eas inter ſe ſingulas ad ſyllabam conjungat, poſtremo ad vocem formandam componat, annus, atque adeo plus abibit. At omnino hæc etiam addiſcenda. Recte quidem; ſed lentius id fieri poteſt; quod etiam leviter interea quotidie attingerem, ac quaſi rem aliam agens, id quoque illum docerem. Deinde quod puero hoc modo diſcenti ludere videretur. Nam ſi ad librum eum inſtituerem, ac ei proponerem quæ memoriæ mandanda eſſent, continuo puer frontem contraheret, ſtomacharetur, literas odiſſet, magiſtrum etiam non amaret; cum ea pleraque ex libro addiſceret, ſi vulgares regulas ſequamur, quæ neque quicquam illi uſui eſſent futura, quæque etiam ſi ſciat, malim, ut obliviſcatur, quam ut in iis addiſcendis opportuniſſimo tempore abutatur. Hac igitur ratione, inquies, ſi recte percipio, Filius meus abſque libro eſt docendus. Recte quidem, ſed ad aliquod tempus, atque ea, quæ ſine libro doceri poſſint, docendus. Miror novum docendi genus. Nova ſecum aliquam ſemper afferunt admirationem, ſed cum ſunt poſtea percognita, miram afferunt etiam voluptatem. Sed quid hoc tam mirum, quædam memoriter, hoc eſt, ſine libro doceri Filium tuum? Quaſi vero nutrix ipſa dum eum veſtit, dum ſpoliat, *Patris noſtri deprecationem*, ac *Virginis ſalutationem*, cæteraque, quæ Chriſtiani viri ſcire maxime intereſt, ſine libro, atque ex ore ſuo non eum doceat, ac quæ is præterea quotidie loquatur, non de omnibus addiſcat, nihil ex ullo libro. Sed rediens ad inſtitutum, cum ad orationis rationem ventum eſſet, primum eum in pura, ac ſimplici dictione exercerem, ut quo Nomen caſu, quo Verbum tempore poni deberet eum docerem, idque ſatis lente; deinde cum mihi videretur, Terentium, aut aliquid ex Cicerone, quod

eum pueri ingenio conveniret, quasi articulatim exponere inciperem; in quo uno efficiendo, continuo ei quam orationis structuram ante eum docuissem, eorum exemplo comprobarem. Postea vero pro ejus captu sensim ad dictionis elegantiam, ac copiam venirem, quid simpliciter, quid figurate diceretur, ostenderem. In re vero una, non uno modo dicenda, multum eum versarem. Hoc vero magis præsenti oratione, quam scriptione facerem, nullam certe sumptam partem, quam lectionem isti appellant, omitterem, ex qua non illi decerperem aliquid, aut ad nobiliorem vocis significationem, aut ad locutionis vim elegantiorem, idque ut in adversaria sua referret, exemplo commonstrarem. Cætera, quæ aut Historiæ essent, aut ad artem pertinerent, commode in locum adducerem; ex his vero ut nobiliora memoriæ mandaret, efficerem. Postremo quicquid ex Latinis ei exposuissem, id mihi in nostram Linguam ut transferret, probe, ac diligenter curarem. Hoc vero ad Auctorum interpretationem, atque cognitionem; reliquum est, quod ad scribendum pertinet. In hoc ab uno Cicerone, & cæteris paucis bonis nunquam eum abducerem, sed in uno Cicerone in primis occuparem. Id autem cum ejus assidua lectione, tum etiam ad ejus ipsius imitationem creberrima scriptione facile exequerer. Primum ego ei partem integram Ciceronis a me in nostram Linguam conversam, quam is iterum in Latinam transferret, quotidie proponerem, in quo quasi equus faceret, qui in orbe molam vertit, qui panno ob oculos obvoluto, ac quasi cæcus pedem tamen extra orbem suum non ponit, neque quicquam oberrat. Sic ipse quasi in Ciceronis orbe facti ignarus iter suum continens, quodam modo rectius ingrederetur. Ut vero longius hoc modo processisset, ac jam sine cortice, ut dicitur, natare posset, huic ego tum paulo altiorem fundum ostenderem, in quo se liberius exerceret; id autem esset, ut quibusdam Ciceronis Epistolis facilioribus suopte ingenio responderet, quorum utrumque studium, quam ad Ciceronis dictionem proxime accedendum, vel solum, vel certe plurimum faciat, arbitror neminem non videre. Ut vero in hoc aliquid eum profeciſſe vidissem, atque jam liberius suo Marte agere posse, huic quatuor verbis argumentum aliquod proponerem, quod mihi in Epistolam explicaret.

ret. Hoc autem in primis ad Ciceronis imitationem ut faceret, probe demonſtrarem, de qua re tota mihi opus in manibus eſt; jamque ad alterum librum perductum, a ſcribendo familiariter ad amicos tandem ad dicendi genus oratorium illum adducerem, partes quaſdam orationis, quidque cuique earum maxime opus eſſet, continuo illi declararem, pleraque ſuis locis commodioribus relinquens, ut ſenſim ad fictas cauſas eum traducerem. Atque hactenus de dictione. Nec vero pauca de eruditione. In hac etſi in omnibus id mihi ſervandum eſſe ſcirem, id in primis attenderem, ut a perſonæ ratione ne pilo, quod dicunt, quidem diſcederem. Honeſta, utilia, ac Principe digna in meo ludo verſarentur. Quæ Fabritii, Fabii, Scipiones, Catones, Cæſares; ex Græcis vero Socrates, Epaminondas, Ariſtides, Themiſtocles, cæterique optimi cum Principes, tum viri aut prudenter dixiſſent, aut fortiter geſſiſſent, præſertim hac, qua tuus eſt, ætate, omnia illi proponerem ad imitandum, quantoque is in dies intelligentia creſceret, contra ego tanto magis in eum & ſtudio, & diligentia incumberem inſtituendum. Paucis, Princeps, ut vides, docendi Filii tui rationem meam ab initio tibi perſtrinxi, quæ ſi re ipſa mihi contingeret, ut coram ego eam tibi declarare poſſem, & magnam meam in docendo diligentiam, & pueri in diſcendo facilitatem multo planius cerneres. Non enim tibi ſingulas partes explicavi, ut facerem in re ipſa pertractanda, quæ ſi tibi probabitur, ea tuo arbitratu in tuo Filio, atque in quibus cæteris tibi magis libebit, fideliter uti poteris. Vale. Ravennæ VIII. Kal. Maji. MDXXXVIII.

HERCULI ATESTIO

Bartholomæus Riccius S. D.

Se delectum ab Hercule Ateſtio Ferrariæ Principe ad Alphonſum Filium in humanioribus ſtudiis informandum ſignificat, ſummque Ferrariam primo quoque tempore adventum policetur.

PEr tuas literas, quas ſtrenue tabellarius tuus mihi reddidit, cum certior fio, te me delegiſſe, qui Al-

Alphonſum Filium tuum in hiſce humanioribus ſtudiis inſtituerem, tum ut primo quoque tempore iſtuc advolarem, valde cupere. Quod de me ipſe decreviſti, Chriſtus Opt. Max. Filiolo tuo, mihique felix, fauſtumque eſſe velit. Quod ad meum iſtuc adventum attinet, ut a tabellarii tui celerrimo reditu me iſtic habeas, curabo diligenter. Vale.
Ravennæ IV. Non. Majas MDXLIX.

HERCULI ATESTIO

Bartholomæus Riccius S. D.

Nomine Lugienſis Patriæ ſuæ in exigua frugum omnium meſſe Herculi Ateſtio validis, iiſdemque elegantibus precibus ſupplicat, ut eam a magna vi frumenti imperata liberet, vel ſaltem levet.

3. CUm nulla hoc anno, aut admodum exigua frugum omnium meſſis ſit, ac omnes Civitates quoquo modo id melius poſſint, annonæ ſuæ proſpiciant, mea, Princeps Ampliſſime, hoc eſt, Lugienſis tua, alia ratione nulla ſuæ conſulere poteſt, quam ut provideat, ne quod puſillum ex agro ſuo legit, alio exportetur omnino. Sed quoniam huic magna vis frumenti in tuam, atque in quorundam aliorum cellam imperata eſt, hæc ſe ut ea ſumma leves ſaltem, ſi minus liberes, te etiam, atque etiam ſupplicatum accedit. Quin me quoque miſera adivit, fortaſſe rata ex eo loco, cui tu me præeſſe voluiſti, meas preces apud te aliquid omnino valituras, per locum eum obſecrans, ut ſibi apud te adeſſe velim. Patria eſt, Princeps, fames agitur, res maxime æqua, neque tibi unde partem illam ſuppetas, qui multis locis abundas, pecunia vero nihilominus indigeas, quicquam deeſſe poteſt. Te igitur rogo, oro, atque obſecro, ut quod a me mei petunt, id ego a te unus ex tuis illis poſſim concedere. Si Patria vel ſaluti propriæ anteponenda eſt, recte mihi nunc accidit, ut quod primum a tua Amplitudine contenderim, id Patriæ meæ contenderim, ſed multo rectius, ſi impetro. Nam & meos ipſe Cives in fame juvero, & ipſi ea opinione, quam de nobis habent, animo conceptam, ſe non fruſtra eam concepiſſe, magnam

gnam voluptatem percipient, cum hac quoque causa mea tamen nihilo eorum inferior futura sit lætitia. Vale.

www.libtool.com.cn

HERCULI ATESTIO

Bartholomæus Riccius S. D.

Rationem reddit, cur Familiam Principum Ateſtiorum ita appellandam cenſeat, nominaque a cæteris Scriptoribus uſurpata Ateſtinorum, vel Eſtenſium prorſus rejiciat. Eruditiſſimam autem Diſputationem inſtituit lectu, & animadverſione digniſſimam, a multis agitatam (quo vero ſucceſſu, non auſim dicere) de triplici nominis ratione, nimirum prænomine, nomine, cognomine, ſive cognomento, quo Romani a poſtremis Regibus ad primos Imperatores continuato ordine vocari conſueverunt.

QUæris a me, Hercules Princeps, idque jampridem, quidnam id ſit, quod ego in Familiæ tuæ nomine cum cæteris Scriptoribus non conſentiam; qui, quam alii Ateſtinam, plerique etiam Eſtenſem inſcribunt, ſolus eam mihi denominem Ateſtiam? Contra vero iſti, a quibus in ea ipſa inſcriptione diſſentio, quotidie conqueruntur, qui me antiquiſſimæ inſcriptionis correctorem, ac quaſi cenſorem novum accuſant. Quare ut tibi abunde ſatisfaciam, & iſtis reſpondeam cumulatiſſime, paulo altius res eſt repetenda. Scito igitur, Princeps, Romanos a poſtremis Regibus ad primos Imperatores continuato ordine hac triplici nominis ratione, prænomine, nomine, cognomine, ſive tu mavis cognomento dicere, vocari ſolitos eſſe; de quibus ſingulis multa hoc loco nobis perſtringenda ſunt, quæ & ad rem noſtram, & ad alias etiam Familiares appellationes maxime pertinere arbitramur. Prænomen igitur, id quod vox ipſa facile indicat, nomini præponebatur, ut C. M. T. P. Cn. Sex. cum Julio, Cicerone, Pomponio, Cornelio, Pompejo, Roſcio. Pauciora erant omnino prænomina, ſi ea cum Familiarum numero conferantur. Hæc enim erant, Appius, Aulus, Cajus, Gneus, Decimus, Lucius, Marcus, Publius, Quintus, Servius, Sextus, Spurius, Titus, Tiberius & pauciora quædam alia. Familias autem quis numerabit? Sed nec id tam mirum videri

deri debet, cum hæc omnibus Familiis communia acciderent. Nam, quæ Lucio prænomine uterentur, Familiæ, ſupra ſexaginta numerabantur. Nam qui cum diluculo naſcerentur, prænomen Lucium ſecum ab ortu afferebant. Prænomine vero tantum Romani uſi eſſe videntur. Quare etiam Horatius dicit Sermon. lib. 2. Sat. 5.

Quinte puta, aut Publi, (gaudent prænomine molles Auriculæ) tibi me virtus tua fecit amicum.

Quo in loco jubet Horatius, ut aſſentator civem Romanum non gentis nomine, ſed prænomine appellaret, quaſi quo magis delectaretur, contra quam hoc tempore fieri videmus. Malumus enim omnes gentis nomine appellari, ut Gypſius, Cavalcantius, Gyraldius, Manutius, Ruſcellius, Areoſtius, Abioſius, Riccius, quam Lanfrancus, Gregorius, Paulus, Hieronymus, Ludovicus, Auguſtinus, Camillus. At in cognomine multo illuſtrior laus ſentitur. Quis enim neget in Cn. Pompejo Magno, *Magno* vocem Pompejo magis arriſiſſe, atque adeo majorem quaſi voluptatis titillationem moviſſe, quam & Cn. & Pompejum? Ita in Africano, Numidico, Aſiatico, & in cæteris ejus generis? Recte quidem, ſed omnes non ſunt Magni, Africani, Numidici, Aſiatici. Quare Horatius magis dixit prænomine, quam cognomine Romanum gaudere; niſi Lucium Calpurnium Beſtiam voce Beſtia, quam Lucio prænomine, & Calpurnio nomine: item Cajum Fannium Strabonem Strabone voce, quam Caji prænomine, & nomine Fannio: item Cn. Cornelium Aſinam, voce Aſina magis, quam Cneo & Cornelio gaviſum eſſe dicendum ſit. Sed redeo ad prænomen Hujus autem inſcriptio erat aut ſingulis literis, ut C. L. T. P. aut duabus, ut Cn. aut tribus, ut Sex. Certe hoc nunquam omnibus literis explicatum legitur. Illud vero addo ad Tiberii & Titi differentiam. Titum unica litera ſcribi ſolitum ſic, T. duabus autem Tiberium ſic, Ti. quod imperitos multos induxit in errorem, ut pro Tiberio Claudio, & Tiberio Sempronio corrupte legerent Tito. Hoc præterea tantum ſimplex nomini ſuo præponebatur. Quis enim diceret T. P. Cornelium Scipionem? aut P. L. Cornelium Syllam? & reliqua ejus generis? Nam ubi legitur apud Livium C. Publius & C. Appius, in Publio & Appio mendum eſſe arbitror, ac pro Publio, Publicio vel Publilio, pro Appio, Appuſtio, vel Ampio for-

fortaſſe corrigendum eſſe non negarem. Certe ex Cicerone ad Atticum, ubi legitur C. Appius, alterum prænomen eſt tollendum. Hoc autem prænomine & pater, & primus filius communiter appellabantur; reliquis autem filiis aliud prænomen præponebatur; ut in tribus Antoniis fratribus factum videmus. Nam M. Antonius, quia natu maximus erat, a patre Marcus eſt dictus, cæteri, alter Lucius, Cajus alter ſunt prænominati. Quod vero Q. Metellus Celer, & Q. Metellus Nepos fratres eodem prænomine ſint dicti, non germani fratres fuerunt, ſed patrueles, quos etiam fratres appellabant. Verum cum adhuc vivente patre ambigi poſſet, utrum de patre, an de filio in communi appellatione ageretur, eam quaſi notam apponebant, ut aut patris, aut filii vocem adderent, ut in M. Tullio patre, & in M. Tullio filio plane factum videtur. Quin etiam ſi quis ex filio, adhuc avo ſuperſtite, natus eſſet, is eo quoque prænomine inſcribebatur. Ad eorum item differentiam *nepotis* voce addita, hoc modo; *M. Tullius Cicero nepos*. Jam vero cum virorum tantum prænomen eſſe videatur, quædam tamen mulieres hac quoque appellatione ſunt dignatæ, ut C. Cæcilia, & C. Tarraria, in quo tamen ſcribendo, ut mulieres a viris diſtinguerentur, cum prænomen mulierem ſignificabat, C. hoc modo inverſum. Ↄ. ſcribebatur; ita & in cæteris. Sane vero hæc duo Cajus, & Cneus tametſi utrumque per C. primam literam ſcriberetur, mitius tamen per G. literam pronuntiabatur, hoc modo, Gajus, Gneus. Nam quod quidam rati ſint, prænomen etiam a nomine fieri eo tempore, quo nos dicimus hanc appellandorum hominum rationem recte ſervatam eſſe, mea quidem falluntur ſententia. Ac quod ad Svetonii locum, qui ita in Claudio ait: *Claudius eſt natus Julio Antonio, & Fabio Coſs.* ubi *Julius* eſt nunc prænomen, alias autem Cæſaris gentis nomen dictum eſt, jam tum morem hunc nominandorum hominum labi cœpiſſe. Certe in Sergio, quod modo prænomen, modo etiam nomen legatur, mendum eſſe affirmare non dubitarem, & tantum eſſe gentile Sergium dicerem. Erroris autem cauſa quæ fuerit neque obſcura eſt. Nam cum Servius prænomen ſcribatur hoc modo tribus tantum literis Ser. errore interdum additum eſt g, & ita factum eſt Serg. Itaque in locum Servii irrepſit hominum incuria Sergius; ut ego ubique

bique Ser. prænomen nuſquam Serg. legendum eſſe exiſti-
mem. In Decimo vero Bruto cum Decimus ita ſcribatur
Dec. imperiti item in ea voce explicanda Decium fece-
runt, quam docti contra Decimum pronuntiant. Qui ve-
ro in alienas Familias adoptati eſſent, etſi pari ratione in
prænominis, nominis, & cognominis hæreditatem ve-
niſſe videbantur, ſua tamen interdum etiam retinebant
prænomina, nomina, & cognomina, ut in T. Pomponio Attico, qui quamvis ab avunculo Q. Cæcilio adoptatus eſſet, a Cicerone tamen ſemel Q. Cæcilius eſt inſcriptus, alias autem ſemper T. Pomponius Atticus eſt dictus. In Scipione autem Africano poſteriore non ita; qui cum a P. Scipione majoris Africani filio adoptaretur, eodem prænomine, & nomine, & cognomine ſemper eſt poſtea appellatus, quibus is, a quo adoptatus fuerat, P. Cornelius Scipio appellabatur. Ad noſtram autem præſentis temporis nominandi rationem, ſi quid hoc quoque ad rem facit, ego ea prænominis loco ponenda nomina eſſe dicerem, quæ noſtri ſua lingua propria appellant nomina, ut Hercules, Ferantus, quæ cum ſuis Familiis ſic ſe habent, ut C. L. & reliqua prænomina ſeſe cum ſuis habebant. Atque ita facerem Herculem Ateſtium, Ferantum Gonzaghium. Atque hoc quidem ad prænomen. Sequitur, ut de nomine videamus. Sed nunc mihi tecum liceat ordinem commutare, atque ad tertiam propoſiti noſtri partem tranſgredi, ut ultimo in loco poſtea de nomine commodius agatur, quod tamen antequam aggrediar, locus poſtulare videtur, ut quædam explicem, quæ ab hoc noſtro inſtituto minime ſunt aliena. Nam cum non defuerint, qui Familiæ nomen id eſſe vellent, quod nos tertio in loco poſuimus cognomen, [tametſi nunc idipſum in ſecundo peragimus,] iſti prius jure optimo confutandi ſunt. Id quod planiſſime effecero, cum Ciceronis & bonorum cæterorum [nam eorum rationibus reſpondere, atque adeo proferre maxime pudet] certiſſimis exemplis comprobaro. Cicero igitur, cum de Seneſtute agit, ſic ait: *Cato quaſi cognomen jam habebat in ſeneſtute Sapientis.* Quæro ego de iſtis, ubi nunc ſit cognomen hoc, an in gentis nomine, quod nullum eſt aſcriptum? an in Sapiente? Certe eſt in poſteriore. Itaque cognomen nihil ad Familiam. Item ſecundo libro de Officiis ait: *P.*

Craſ-

s cum cognomine dives, tum copiis. Quero item, u
Licinia familia Craſſo divitis nomen dederit, an
opiæ? certe copiæ. Item libro tertio, *atque*, in
*bis T. Manlius is eſt, qui ad Anienem Galli, quem
provocatus occiderat, torque detracto, cognomen ſibi
t.* Cognomen hoc quod fuit? Manlium, an Tor
n? certe Torquatum e torque factum eſt, non au
anlium. Ciceronem is ſequitur, qui ad Heren
ſcribit. Ita enim ait. *Cognomen, quod pro certo no
collocamus*. Si cognomen pro certe nomine poni
certe Cæſarem, Atticum, Scipionem, Ciceronem,
lio, Pomponio, Cornelio, Tullio magis poni vi
, quam contra. Hic item, cum agit de prænō
ne ait; *qui ſicuti cognomine quodam extraneo de
ut id, quod ſuo appellari non poteſt; ut ſi quis de
is loquatur, dicat; at non Africani nepotes*; ubi vi
quia *Africani* erat dicturus, cognomine dixiſſe,
utem nomine. His Maro quoque aſſentitur, cum
noſtrumque in nomen ituras, hoc eſt, in gentem
n. Eſt enim cum Anchiſes Æneæ filio oſtendit in
campis, qui ex ſua Familia illuſtres eſſent futu
ſtremo ſi prænomen inde dictum eſt, quod nomi
tecedat, in M. Tullio Cicerone certe prænomen
. Sin vero hoc nomen antecedit, Tullius ſequitur;
Tullius neceſſario nomen, non autem Cicero, quod
mum eſt, ut ratione etiam iſti de ſua ſententia i
orſus dejiciantur. Sed jam ridiculos iſtos miſſos fa
s, atque cognomen ipſum agamus. Continuo igi
quoniam cognominandi prope innumerabiles cau
teres habuerunt, ea quoque ratione factum eſt,
ra eorum legantur cognomina. Hæc ad ſua certa
ut reducantur, non eſt, quod expectes. Nam ſi
, aut ab animo, aut a corpore, aut a fortuna
hi ſolere, multo plura tamen relinquentur, quæ
ec genera non veniunt, ut Fidenas, Merenda,
us, Augurinus, Priſcus, & multa alia, quæ nos
rum unum ad Camillum filium ad ingentem nu
collegimus. Hoc tantum dicam, videri interdum
men fieri ex nominibus alienis, ut in L. Porcio
o, item in M. Fabio Licinio, in quorum utro
icinio cognomen eſt, quod alias nomen eſt Lici
miliæ, ex qua L. Licinius Craſſus, & C. Licī-

nius

nius Stolo. Item apud Aſconium. *Q. Pacuvii fratres cognomine Claudii*; ubi *Claudii* cognomen eſt Pacuviæ Familiæ, alias Familiæ nomen nobiliſſimæ. Hujus autem natura eſt, ut nomen ſequatur, ut in M. Tullio Cicerone, & C. Julio Cæſare, & eadem ratione in cæteris. In quibuſdam tamen uſus obtinuiſſe videtur, ut cognomen etiam nomini præponatur, ut in Paulo Æmilio; in Criſpo Salluſtio, quorum tamen utriuſque recta ſcribendi hæc fuit ratio, L. Æmilius Paulus, C. Salluſtius Criſpus. Quemadmodum autem prænomen unum multis Familiis æque præponebatur, ſic interdum cognomen unum multis gentibus deſerviebat, ut Barbatus, quod tam Quintiæ, quam etiam Horatiæ cognomen fuit Familiæ. Item Capitolinus, quo uno & Quintia, & Tarpeja, & Manlia uſa eſt cognomine. Quin duos etiam germanos fratres eodem cognomine de altero tantum dicto nominatos eſſe comperio. Ii ſunt M. Tullius Cicero, & Q. Tullius Cicero. Immo vero Cicero & ſuum, & Q. fratris filium Cicerones appellat. Cum vero uno cognomine plerique contenti eſſent, non defuere tamen, qui pluribus cognominibus honeſtari voluerunt; ut M. Æmilius Lepidus Porcina; & P. Cornelius Lentulus Cethegus; & Q. Cæcilius Metellus Celer; & C. Poſthumus Ebutius Helia Cornicen. Nam quod iſti agnomen vocant, idem eſſe cum cognomine, Ciceronis teſtimonio facile comprobatur; qui hoc ipſum modo cognomen, modo cognomentum, nunquam autem agnomen appellat. Utrum autem omnia cognomina æque ad poſteros pervenirent, in multis equidem arbitror factum eſſe. Nam Marcelli uſque ad ultimum Reipublicæ tempus fuerunt. In quibuſdam etiam contra factum eſſe non negarim. Nam etſi in M. Tullio Cicerone tam filio, quam patri datum ſit Cicero cognomen, non ita tamen in Africani filio. Non enim hic Africanus eſt dictus, ſed tantum Africani filius. Verum qui in aliam Familiam per adoptionem veniſſent, ſi qui adoptaſſent, nullum cognomen habuiſſent, ſuum ipſi retinebant, ut in T. Pomponio Attico, qui a Q. Cæcilio Atticus ſemper cognominatus eſt, quia [illegible] cognomen legitur, hoc modo, *Qu. Cæcilius Pomponius Atticus*. Qui vero non habuiſſent, [illegible] occupabant, ut Octavius, qui a Cæſare

ſare adoptatus, poſtea eſt dictus Cæſar Octavianus. Nuſquam enim Octaviorum cognomen reperio. Id unum mirum videri poteſt, quod Florus pro prænomine cognomen dixit, cum ait; *ne cui de Manlia gente Marco cognomen eſſet*, ubi vides *Marco*, quod ſemper prænomen eſt, pro cognomine a Lucio uſurpari. Quam rem tamen eamdem Livius magis proprie dixit. Sic enim ait; *quod gentis Manliæ decreto cautum eſt, ne quis deinde Marcus Manlius vocaretur*. Hactenus de cognomine. Reſtat, ut de nomine, cujus cauſsa cauſsam hanc ſuſcepimus, pluribus agatur. Hoc autem cum res omnes notentur, de eo nos nunc tantum agimus, quo Familiæ indicantur. Continuo igitur hoc ſcito, Princeps, nomen, quod vere nomen eſt apud Latinos, vocem ſuam in *ius* terminare, ut Sempronius, Fabius, Poſthumius, Valerius, Sulpitius, Furius, Porcius, Junius, Cornelius, Pomponius, Manlius; quædam tamen in *ejus* terminantur, ut Pompejus, Coccejus, Vultejus, Lucejus, Annejus, Sejus, Hejus, & reliqua nonnulla; niſi in his quoque *i* vocalem potius, quam conſonantem facimus, ut omnia in *ius* terminent. Solum autem nomen primo [ut ita dicam] genitæ ſequebantur. Nam ut primogeniti tantum in patris prænominis poſſeſſionem veniebant, ſic primogenitæ generis nomen jure optimo poſſidebant. Hinc Pomponia, Clodia, Tullia, Cornelia, Sempronia, Julia de Familiis ſuis ſunt appellatæ; reliquis vero filiabus aliis alia nomina addebantur, ut, tertia, quarta, quinta; ut, Quinta Claudia. Unde quidam putant Quintam prænomen ei fuiſſe, contra quam vetus conſuetudo fert. Scribendi autem nominis ratio ea eſt, ut omnibus ſuis literis ſcribatur, hoc modo; *Tullius*, *Julius*, *Cornelius*; quemadmodum & cognomen, contra quam in prænomine fieri paulo ante docebamus; quod nunquam integre perſcribitur. Nomen etiam interdum non apponebatur, ſed prænomine, & cognomine tantum vir ſignificabatur, ut in P. Sylla, P. Lentulo, L. Catilina, M. Catone, & multis aliis. Qui vero Civitate donabatur, cujus beneficio in Civitatem veniſſet, ejus nomine etiam donabatur; ut Demetrius Mega Siculus, qui in Civitatem receptus P. Cornelius eſt dictus. Eodem modo qui in alienas Familias per adoptionem veniebant, eorum etiam a quibus adoptarentur,

nomen ferebant, ut in P. Cornelio Scipione posteriore, & in Julio Cæsare Augusto videtur; quorum alter ex Æmilia in Corneliam, alter ex Octavia in Juliam adoptatus est Familiam. Hic enim Julius, ille vero Cornelius est semper dictus. Etsi scio, superiorem invidos magis Octavium, quam Julium appellitasse; cum hi tamen Gentis quoque suæ nomen non prorsus amitterent. Aliud enim ex ea sibi efficiebant in *anus* terminatum, ut in hisce duobus principibus Viris, P. Cornelio Scipione Æmiliano, & Julio Cæsare Octaviano cernitur; quorum alter ex Æmilia Æmilianum; alter ex Octavia Octavianum sibi confecerunt. Servi item libertate donati nomen Heri sui una cum libertate assequebantur; ut T. Ampius Menander, qui libertus fuit T. Ampii Balbi; ita Eutychides, qui T. Servilio servivit, qui manumissus T. Cæcilius Eutychides est dictus. Observo item a nominibus magis Leges denominari, quam a cognomine, ut dicatur Lex Julia, Cornelia, Calphurnia, Portia, & sic in cæteris; non autem Cæsaria, Scipionia, Pisonia, Catonia. Sed redeo ad te tandem, Hercules Princeps, atque ad tuum nomen. Hoc autem isti, sive Estense, sive Atestinum esse velint, ab Ateste oppido utrunque esse non negant. Sed quod ad Estense attinet, jam vox ea pro barbara explosa est. Restat, ut videamus, utrum Atestinum [quod quidem Latinum est] cum Familia tua convenire possit; quod nullis rationibus fieri posse video. Primum enim, quod vox Atestina, quæ pro Gentis tuæ nomine ponitur, Familiarum nominum terminationem in *ium* certissimam non servat. Deinde, quod cum idem Atestinus sit, quod & Patavinus, ne longe a loco discedamus, & Vicentinus, & Tarvisinus, omnia hæc nomina Civem ex aliqua earum Urbe, aut aliquid, quod ad Urbem pertineat, prorsus significant, ut T. Livius Patavinus, ut Historia Patavina, & cætera his similia. Ac ne a simili voce aberremus, fac idem a Prænesse Prænestinum; quid id aliud erit, quam aut Civis ex Prænesse oppido, aut quod ad Prænesse attineat? Si igitur ita est, ut hujusmodi vocum derivatio proprie Patriam significet, aut aliquid ad Patriam pertinens, nunquam autem Gentem, aut Familiam, qui isti dicent, Atestinum Familiam tuam indicantes? Equidem Latinæ linguæ tam

ru-

tudem arbitror esse neminem, qui idem & Patrium nomen, & Gentile cuiquam videri posse ineptius contendat. Ut continuo videas, quæ Illustrissimæ Familiæ tuæ ab istis offusæ sint tenebræ; qui clarissimum ejus nomen cum infima etiam plebecula communicare non dubitarint. Nam si Atestinus est ex oppido Ateste, quemadmodum revera est, quid Leonelli tui, Borsii, Hercules, Alphonsi vel a resarcitore Atestino different, si omnes eodem appellentur nomine? Hercle, Hercules, tam is erit Atestinus ex Ateste oppido, qui navicularian exercet, quam tu secundus Hercules Ferrarienſium Princeps. Franciscus Frater tibi est. Is hoc bello adversus Germanos rebelles sub Cæsare meret. Fac, Princeps, ut sit alter Franciscus ex Ateste oppido, vir non ignobilis, quique sub eodem Cæsare hoc ipso bello mereat; horum uterque res Historia dignas fac æque ut gerat; quæro ego, cum Historiæ Scriptor ad Fratrem tuum pervenerit, qui eum ab illo discernet, si uterque iisdem nominibus & Francisco, & Atestino appelletur? Siquidem ea ratione hominibus nomina, ut cæteras res omittam, imponuntur, ut quisque suo certo vocabulo a cæteris dignoscatur. Hic expecto, ut isti mihi dicant qua ratione Scriptor hos discreverit, si æque uterque & Franciscus, & Atestinus nominetur? Ut hac quoque ratione manifeste videas, aut alios in tuam Familiam indigne irrepere, aut te a Familiæ tuæ clarissimo nomine in oppidanorum nomen transire. Atque hoc de viris est. Quasi vero non fœmellæ quoque nomen hoc pari sequantur ratione. Nam si quæras de quavis ejus oppidi muliercula, quæ etiam & lana, & colo victum quæritet, cujas ea sit, continuo se Atestinam esse respondebit. Et si Anna Filia tua Regia fœmina, pari ratione interrogetur, qua ex Gente sit, eodem nomine respondebit; certe neque ex dignitate, neque ex vero id fiet. At isti, inquient, Gentis dignitas nominis communitate non corrumpitur. Neque enim propterea quod Clodii tres sorores turpissime vixerint, quicquam de Appii Cæci dignitate detractum est; ut hoc nihil sit, quod interdum etiam multum esse solet, [neque enim unquam Catilinam Familiæ suæ ornamento, neque contra Lucretiam turpitudini fuisse convincent] quid ad vocis rationem? Num etiam obstinate pergent tenere, idem & Patriæ, & Gentis nomen esse

poſſe? Num tandem efficere conabuntur, ut Ferrarienſes, Piſaurienſes, Piſani, Vincentini, Tarviſini, nomina a ſuis Urbibus facta, ſuis etiam Civibus communia, ſint idem cum earum Familiarum nominibus, quæ inde quodammodo nomen Gentis ſuæ mutuatæ eſſe videantur? Falluntur, ſi iſta ſunt ſententia; multoque eorum & verior, & ſanior eſt, qui hoſce Ferrarios, Piſaurios, Piſanios, Vincentios, Tarviſios ſuo nomine appellant. Ad quarum Familiarum rationem nos quoque tuam Ateſtiam fecimus; Ateſtinam autem iſtorum, hoc eſt, alieniſſimam contempſimus. Eſto, iſti, inquient; quid vero, ſiquis in iſtis tuis Familiis de Gentis ſuæ nomine appellatus ſit? ut Vincentius ex Vincentia, ut etiam ex tua Riccia Riccius? quid tum agendum? num fortaſſe vox illa erit geminanda? ut una quaſi prænomen, altera nomen ſignificet? Reſpondeo, ad Latinam rationem, quam nos ſequimur omnino, id nunquam eſſe factum. Nemo enim ex Terentiis Terentius, ex Juliis Julius, ex Antoniis Antonius eſt unquam nominatus. Sed quando noſtris mos eſt, ut multi a Gentis nomine mares, quod apud veteres tantum fœminarum eſſe dictum eſt, denominentur, cum eos Latine tractabimus, ea ratione fortaſſe tractabimus, ut prænomen nobis leniter adaptemus ad nominis differentiam; ut prior Vincentius, atque Riccius, fiant Vincenzus, & Rizzus; atque ita dicamus Vincenzum Vincentium; Rizzum Riccium; quod in multis etiam ſuapte natura ſequetur, ut Delphinus Delphinius, Contarenus Contarenius, Guidotus Guidotius, Manzolus Manzolius, Guarinus Guarinius. Quod ſi minus Latinum videbitur, habeo etiam qui melius id dicam, ſi, parenti prænomine addito, ea differentia explicetur, hoc modo, Riccius Nicolai Riccii filius; ita Vincentius Andreæ Vincentii filius; niſi iſti hoc quoque loco clament, me ex uno nomine multa efficere nomina; qui ſi me doceant qua ratione rationem hanc barbaram ad Latinam melius redigere poſſim, non ſolum id de illis diſcam libenter, ſed ea ratione plurimum illi etiam debebo. At doctiſſimi Viri in ſuis Familiis inſcribendis ſecus ubique & ſentiunt, & factitant, ut Alexander ab Alexandro, & tuus Lanfrancus a Gypſo. At Alexander ab Alexandro ſane doctiſſimus Scriptor fuerit, certe in Familiæ

ſuæ

ſuæ inſcriptione prudentior fuiſſet, ſi ſe magis Alexandrium, quam ab Alexandro appellandum eſſe vidiſſet. Quod vero ad Lanfrancum attinet, miror, qui in ſuis ſcriptis, quæ modo doctiſſima in vulgum edidit, non iſto veſtro modo a Gypſo, ſed meo potius Gypſius legatur. Quid vero Guarini, Trocti, Areoſti, Muſti, Sacrati, Taſſoni, & innumerabiles ubique gentium voces aliæ ad iſtam rationem tuam minimæ factæ? Non recte Latinæ factæ, quas ſi quis reſtituere ſtudeat, eas Guarinias, Troctias, Areoſtias, Muſtias, Sacratias, Taſſonias, item in cæteris aliis faciendum curabit. Ergo Pentanus, Bembus, Sadoletus, Corradus, Barbarus in ſuis Familiis ſcribendis barbari? Certe in ea voce non tam Latini fuerunt, quam Sannazarius, Longolius, Navagerius, Daneſius, Alcyonius, Ruſcellius, Fracaſtorius, Manutius, Ramnuſius, Majoragius, Bocchius, Bonfadius, Nizolius, Perionius, Palearius. Ac ne te diutius teneam, Princeps, atque adeo in tuis una, ut ajunt, plaga rem totam abſolvam, paucis audi. Si Hippolytus Frater tuus, Cardinalis Ateſtinus inſcribatur, quid hæc inſcriptio aliud ſignificabit, quam eum Ateſtis oppidi primarium eſſe Antiſtitem, quem Epiſcopum vocant? ſicuti etiam Piſanum Patavinum, & meum Cornelium Tarviſinum deſignatum dicimus. Certe Frater tuus multorum, eorumque nobiliſſimorum Sacerdotiorum nominibus appellatur. Eſt enim Mediolanenſis, Lugdunenſis, Heduenſis primarius Antiſtes. Si item Ateſte oppidum accedat, quo nomine alio, quam Ateſtino appellandus ſit, ut me iſti doceant, expecto. Atqui Ateſtinus appellabitur, & recte quidem. Quid vero ſi quemadmodum fit, Familiæ nomen addere velit? qui id efficiet? Num fortaſſe bis Ateſtinum ponet? hoc modo; Hippolytus Ateſtinus, Ateſtinus Epiſcopus [non enim hic iſti ſe corrigere poſſunt, quemadmodum ipſi paulo ante feceramus in voce altera paulum commutanda, aut etiam Patris nomine ſuperaddito; vox enim ea ſemper erit utrobique Ateſtina] quid inquam tum efficient? Num ita dicent, Hippolytus Ateſtinus, Ateſtinus Epiſcopus? Hui, dicendi genus maxime ineptum. Sed multa ipſi ad hunc modum faciamus licet. Sit Franciſcus ex Familia Piſania Piſanus Epiſcopus. Sit Camillus ex Vincentia Vincentinus, Cæſar ex Piſauria Piſau-

ſienſis, Antonius ex Tarviſia Tarviſinus, Hieronymus ex Ferraria Ferrarienſis. Si hos ita appellabimus, quemadmodum vos vultis, Franciſcum Piſanum, Piſanum Epiſcopum; Camillum Vincentinum, Vincentinum Epiſcopum; Cæſarem Piſaurienſem, Piſaurienſem Epiſcopum; Antonium Tarviſinum, Tarviſinum Epiſcopum; poſtremo Hieronymum Ferrarienſem, Ferrarienſem Epiſcopum, qui magis non ſolum vocum nulla proprietate, ſed quodam etiam earum ſubagreſti dicendi genere inſanire poterimus? At, ſi veram Familiarum vocem ſequemur, omnia fient propria, ac mitiora. Ea autem erit Piſania, Vincentia, Piſauria, Tarviſia, Ferraria, tua vero Ateſtia. Itaque illi ſcribentur rectius, Franciſcus Piſanius, Piſanus Epiſcopus; Camillus Vincentius, Vincentinus; Cæſar Piſaurius, Piſaurienſis; Antonius Tarviſius, Tarviſinus; poſtremo Hieronymus Ferrarius, Ferrarienſis; ita & Hippolytus Ateſtius, Ateſtinus Epiſcopus ſcribetur. Quibus rationibus credo ego, te, Hercules Princeps, jam facile videre, quo Familia tua nomine ſit vere inſcribenda, quæ omnino aliud eſt, quam Civis ex Ateſte oppido, aut quid ad Ateſtæ oppidum pertinens. Iſtos vero cum barbarorum uſu, tum veterum Scriptorum ignoratione ſe in manifeſtum errorem eſſe delapſos, prorſus ſentire pari arbitror ratione. Qui mecum poſthac rectius facturi ſunt, ſi cum aut de te, aut de tuis Latine & loquantur, & ſcribant, hoc modo magis Familiam tuam Ateſtiam, quam veteri Ateſtinam, aut etiam ſi Diis placet, Eſtenſem appellarint. Vale.

HERCULI ATESTIO

Bartholomæus Riccius S. D.

Poſtquam de cura ſua in inſtituendâ vitæ vitæ Filii mentionem fecit, atque de Imitatione à ſe compoſitorum Patris, & Fratris exhibet, antequam in alienorum manus perveniat.

§. EN, Hercules Princeps, hic quoque mei in Alphonſum Filium tuum amoris veſtigia non levia impreſſa. Nam cum ſex hoſce annos ei viva, quod dicunt, voce in noſtris humanioribus ſtudiis nunquam de-

defuiſſem, hac quoque docendi ratione illi deeſſe nolui. Utinam, Hercules, tantum tibi a rebus publicis otii daretur, ut noſtrum hoc opus de Imitatione poſſes percurrere, haud id fortaſſe & tua lectione, & filio tuo munus indignum judicares. Certe mea in eum ſtudia, fidem autem in te inde quoque ſpero, maxime comprobares. Hoc volumen poſt cariſſimum Filium tuum tibi quoque Parenti optimo mittere placuit. Non enim par mihi viſum eſt, cum opus omnino ad te perventurum ſcirem, id potius, ut a quovis alio, quam a me ipſo in manus tuas venire permitterem. Vale.

HERCULI ATESTIO

Bartholomæus Riccius S. D.

Amici Ferrinii mortem Oratione, quæ publice haberi non potuit, proſecutus eamdem communibus amicis de ſcripto recitatam publica deſcriptione ad eum, & alios mittit, ut amici ſui liberos ab omni re imparatiſſimos ſingulis commendet.

6. FEci, Hercules Princeps, in Ferrinii tui funere Orationem, quæ quoniam haberi non potuit, a me privatim, ne cum eo tota interiret, multis communibus amicis de ſcripto recitata eſt. Qui omnes, quæ in eum ſumma erat illorum benevolentia, cum me rogarent, ut ſibi ejus copiam facerem, neque ego quicquam facilius facerem, quam ut in re honeſtiſſima amicis obſequerer, nihil autem difficilius, quam cum aliquid deſcriberem, hoc modo, hoc eſt, publica deſcriptione, & meum officium erga amicos ſecutus ſum, & me ab deſcribendi moleſtia prorſus liberavi. Quoniam vero cum ea te præſente habita eſſe videtur, tum etiam quoniam is eum locum apud te tenuit, qui haud poſtremus habetur, eam tibi in primis legendam miſi. Lege igitur, Princeps ampliſſime, ac Ferrinii tui memoriam, quod tua ſponte facis, hac etiam Oratione aliqua ex parte cum illi, tum ejus etiam liberis, quos ab omni re imparatiſſimos reliquit, præſta. Vale.

HERCULI ATESTIO

www.libtool.com.cn

Bartholomæus Riccius S. D.

Filiolo infanti unico a ſe ſene in rei perexiguæ tenuitate providendum oſtendit, ac propterea orat, ut poſſeſſionem Fiſco obſtrictam venalem a veteri Domino ad ſe novum Dominum transferri permittat.

7. NOn me, Hercules Princeps, ulla ſenectutis avidior cupiditas, cui ego valde ſemper ſum adverſatus, non naturæ meæ minus explebilis ratio, quæ vel multo eo tenuiore, quam quod a te in ſingulos annos adhibetur, contenta eſſe poſſet, non Familiæ magnitudo, non ejus intolerabiles ſumptus, quæ mihi perpuſilla eſt, & ad omnem frugalitatem modice temperata, ſed unici infantis filioli ſolicitudo, atque cura ad hoc, quod facio, impellit, cogit, adigit. Eſt enim mihi filius, in qua voce quantum inſit pietatis, nihil attinet dicere, parenti præſertim optimo, atque filiorum amantiſſimo. Sed hoc mihi accidit, qui mihi ſeniori parenti, atque in rei perexigua tenuitate conſtituto infans eſt filiolus, cui ad vitæ totius viaticum, ſiquid interea mihi humanitus accidat, magnopere providendum eſt. Sed cum hujus duæ ſint in primis viæ, una, quæ in rei uberioris copia, altera, quæ in rerum nobiliorum certa cognitione verſatur; quanto mihi de nobiliore, multoque certiore per ejus infantiam illi minus conſulere licet, tanto ejus ætas, in inferiore majorem ut curam ponam, poſtulat. Itaque ea cura dies noctesque me angit, atque ſolicitat, ſtudeoque, ut ad boni parentis nomen hoc etiam accedat, ne ipſe prorſus inops, atque cum parentis ſtudiis eorum quoque acquirendorum facultas omnis concidiſſe videatur, ad quæ ſi unquam perveniat, non magis meo, quam Principi filio tuo, cui eum ab ejus ortu addixi, & honori, & utilitati futurum confido. Sed in tua benignitate poſitum eſt, Princeps optime, ut nunc perpuſillæ rei patriæ adaugendæ facultatem habeam non mediocrem. Ea autem eſt ejuſmodi. Paulus Antonius Patarejus, Civis meus, poſſeſſionem habet in agro Lugienſi ex tertia parte, ſi veneat, Fiſco obſtri-

ſtrictam. Is nunc ſui commodi cauſſa eam vectalem habet; quam venditionem ſi mihi benignitas tua ex tertia illa Fiſci parte leviorem efficiat, hoc eſt, ſi a vetere Domino ad novum tantum Dominum Fiſci rationem transferre permittas, ego cætera cum Patarejo facile tranſigam. Rem equidem, Princeps, tibi uſitatiſſimam, quamquam tuis ſæpius concedis, me abs te petere ſcio, & propterea etiam ad impetrandum facillimam; ſed eam ſcito mihi tamen eo muneris loco futuram, quo ſolet eſſe, quam vix uni ex tuis intimis concedere ſoles. Non Fiſcum inquam tollo; non Fiſci rationem veterem ullam impedio; ſed ut hac mea emptione tantum jaceat, in cæteris autem ejus conditio, quæ nunc eſt, conſtanter permaneat, per me liceat, fiatque tantum a Patarejo ad Riccium poſſeſſionis tranſitio, remanente Fiſco, ut nunc eſt, integro, rogo, atque oro. Summa vero, quæ ad Fiſci rationem ſpectat X. HS. plus minus, ad noſtram autem rationem CCL. Scutatos aureos conficere poteſt. Amplitudini tuæ id quidem ſatis exile, atque paruum; meo fortaſſe in tuis filiis ſtudio non maximum; certe meæ fidei perexiguum eſt; qua ego una fretus, ſi caſus ferat, integram poſſeſſionem auferre non dubitem. Epiſtolæ vero locus hic poſtulare videtur, ut me gratiſſimum maximeque memorem, ſi id impetro, tibi recipiam. Quam autem grati animi ſignificationem ut pollicear, non ſatis video. Nam quod officium meum [quando re parem gratiam neque ipſe poſſum referre, neque tu eam expectas] aut ſtudioſius, aut diligentius tibi promittam, nulla datur faciendi facultas, qui ea ſemper in utroque diligentia, atque ſtudio verſatus ſum, quam tui omnes, tuque in primis omnibus laudibus proſequi non dubitaſti. Multo vero minus ad fidem quicquam adjungi poteſt meam, quam ita perpetuo ab uſque initio tibi integram ſervavi, ut eam neque ulla unquam vel tacita cogitatione violarim. Neque eſt, quod a me expectes, ut tibi promittam me in horum utroque præſtando, tamdiu permanſurum, quamdiu in vita mihi manendum ſit. Nam etiamſi hoc minime impetro, id mihi mea tamen conſtantia faciendum eſſe ſtatuo. Sed ea tibi erit, Princeps, a nobis relata ampliſſima gratia, quæ liberaliſſimis Principibus, quique ſe in dando ad veram liberalitatis rationem metiuntur, referri ſolet, vetus officium tuum recenti officio tuo

quo-

quotidie cumulare, atque adaugere benigniſſime curabis. Eam enim voluptatem, quam in recte officio tuo crebrioribus officiis cumulando capies maximam, pro maxima gratia tibi relata exiſtimare debebis. Vale.

HERCULI ATESTIO

Bartholomæus Riccius S. D.

Orationem, qua agri Ferrarienſis fines adverſus Bononienſem populum defendit, a ſe compoſitam mittit, in qua modeſte, ſi nihil repererit ad cauſſam ſublevandam, amoris ſaltem ſui veſtigia impreſſa ipſum viſurum ſignificat.

8. MItto ad te, Hercules Princeps, Orationem meam, qua Ferrarienſis agri tui fines adverſus Bononienſem populum defendo. Utinam illa & ea arte, atque dicendi vi, atque facundia ſcripta eſſet, quo animo, atque benevolentia eſt elucubrata. Profecto jam cauſsa tibi eſſet adjudicata; ſed, quod potui, libenter præſtiti. Neque enim id a me, quod ab optimo Juriſconſulto, multo vero minus quod duo fratres Phyleni Patriæ ſuæ præſtitere, fuit expectandum, qui ne Jus quidem Civile attigi. Factum autem Phylenorum neque Religio Chriſtiana in ſuis admittit, neque ſi admittat, ne quid tibi aduler, tam fortis eſſem, ut paterer, vel omnibus propoſitis præmiis me vivum defodi. Hoc, quod poſſum, do perlibenter. Si quid in eo repereris, quo cauſsa tua ſublevetur, mihi eum laborem non fruſtra accidiſſe lætabor; ſin contra nihil opis ei a nobis acceſſerit, id quoque non erit ingratum, quod videris hac quoque parte veſtigia amoris erga te mei non leviter impreſſa. Vale.

HERCULI ATESTIO

Bartholomæus Riccius S. D.

Agri parvi donationem ſibi factam largiori beneficio pro ejus amplitudine, & ſua in eum fide, ubi opportunior, atque expeditior facultas dabitur, auctum iri confidit.

9. EX iſta tua agri mihi largitione facta, Hercules Princeps, eum ſolum percipio fructum, quem mi-

mihi animi tui benignitas protulit, quando id beneficii tua ſponte a nullo invitatus in me contuliſti. Qui autem inde ullo alio commodo utar, nihil eſt. Nam quæ mea pars ad mille aureos, ut noſtri loquuntur, pervenire putabatur, vix ejus dimidium complet, neque eo quoque, qui frui poſſim, ulla ratio eſt. Res enim tota inter fratres ſex conſortes octo millibus denariorum æſtimatur. Mihi a te ſexta pars venit; continuo vides quid agelli, deinde qui ego illo frui poſſim. Nam proprius colonus in tam parvo agro haberi non poteſt. Si vero communi cum illis utar, rei meæ minime conducet. Quin hanc particulam meam illis ſi vendere cupiam, negant ſibi eſſe, unde pro ea diſſolvant. Qui vero ego eorum poſſeſſionem integram emam, neque mihi a pecunia ulla eſt facultas, neque fortaſſe, etiamſi adſit, ipſi eam venditionem faciant; ut ego me tua liberalitate, quod ad animi tui erga me benigniſſimam rationem maxime obſtrictum ſentiam, commodo autem ullo minime auctum videam, qui inde fructum nullum ſim percepturus. Ad hæc accedit, quod ex patris teſtamento hæc bona ex fidei commiſſione, ut dicunt, abalienari non poſſunt. Pro quo ego tibi maximas tamen gratias ago, multo etiam majores acturus. Non enim dubito, cum videris quam leviter meis rationibus conſulueris, quin largius, tuaque amplitudine, meaque fide dignius, cum opportunior, atque expeditior facultas dabitur, hanc benigne faciendi rationem exerceas. Vale.

HERCULI ATESTIO

Bartholomæus Riccius S. D.

Hortatur, ut perpetuam de rebus ab Ateſtiis Principibus præclare geſtis Hiſtoriam conſcribi mandet, qua ex obſcura hominum ignoratione in ſempiternum ſplendorem, quaſi in vitam alteram, revocentur. Addit Hiſtoriæ laudes, qualiſque Hiſtoricus eſſe debeat, oſtendit.

1c. CUm multa, Hercules Princeps, Viris illuſtribus accidere ſoleant, quibus ad eam gloriam, quam ſibi propoſuerant ſempiternam, aſpirare non poſſint, nihil eis tamen magis adverſum accidere poteſt, quam nul-

nullum habere, qui quæ ipſi cum prudenter, tum fortiter geſſerint, ullis Hiſtoriæ mandet monimentis. Adverſiſſimum id quidem Viro forti eſt, atque Imperatori egregio, cum multa bella confecerit, multas nationes debellarit, fortiſſimos hoſtes ſubegerit, aut in medio virtutis ſuæ curſu a perpetuo fortunæ vento deſtitui, aut etiam quaſi de ipſius triumphi curru violenter dejici, aut eo denique acto, pene in calamitoſam vitam miſere deturbari. Quemadmodum Annibali contigiſſe memoriæ proditum eſt, qui ex victore totius Italiæ, ac prope Romæ ipſius in eam calamitatem adductus eſt, ut victus in Africa non tam Romanos, quam etiam ſuos turpiter fugere coactus ſit. Alexandro vero vere Magno præpropera mors quantum de gloria detraxerit, dici non poteſt. Eo enim tempore moritur, cum vix virum agere cœperat, cum tantam tamen adhuc Orbis partem deviciſſet, atque ſub felici ditione teneret, quantam poſtea plures Reges non tenuerunt. Ad Scipionis autem Africani laudem cumulatiſſimam id poſtremo defuit, quod, iniquiſſimo ſuorum Civium odio ex ea Urbe, quam ſolus ex Pœnorum faucibus eripuerat, diſcedere, atque Linternum in villam ſuam, ubi reliquum vitæ prorſus inglorius egit, ſecedere coactus eſt. Quibus tribus optimis Imperatoribus, ne cæteros, quorum infinitus eſt numerus, qui talia ſunt perpeſſi, hoc loco referam, iniquiſſime accidiſſe dici poteſt. Sed longe tamen cum iis etiam iniquius actum eſſet, ſi quæ præclara geſſere, una cum iis prorſus interiiſſent, ac nulla omnino eorum extaret memoria. Quid enim, quæſo, calamitoſius, aut quid magis adverſum optimo Principi, ſtrenuoque ac forti Imperatori accidere poteſt, quam cum hic domi Remp. rectiſſime adminiſtrarit, ille militiæ omnia Imperatoria munera fortiſſime obiverit, nullum laborem omiſerit, omnia pericula confidenter adiverit, eaque prudenter explicuerit, poſtremo de fortiſſimis hoſtibus ſæpius triumpharit, ſi unum id ei deſit, quo hæc omnia in perpetua hominum memoria fideliter conſerventur? ſi nullus, inquam, Scriptor ea ſuo ſtylo excipiat, atque, qua una ratione comparata ſunt, immortalitati commendentur? Quod eo etiam indignius accidere videtur, ſi eorum ipſorum fortiſſimorum Virorum culpa contrahatur aliqua. Sunt enim quidam, qui hoc poſterioris laudis

dis nihil admodum laborent, nihilque ſtudeant, propterea quod ad mortuos, quæ eos ſequuntur, nihil, aut parum omnino pertinere arbitrantur. Quidam tantum præſenti laude contenti, hanc, quæ ex Hiſtoria continenter confici ſolet, a ſuis poſteris magis expectari cenſent. Nam quod ad eos attinet, qui totum hominem extingui volunt in morte, tametſi, quantum ad Hiſtoriam, multas rationes habere videntur, quibus ſententiam ſuam tueri poſſint, hoc loco tamen Majorum auctoritas apud me multo pluris eſt, qui huic uni venturæ gloriæ, quaſi alteri vitæ, aut ſuis ipſis, aut alienis ſcriptis ſtuduere; ut Cicero etiam [ſi Diis placet] ſuis locupletiſſimis voluminibus, quibus non ſolum ſibi, ſed innumerabilibus aliis in perpetuum nomen illuſtravit, non prorſus acquieſcens, aliquando L. Lucejum, ut Hiſtoriam ſuam ſcribere maturaret, palam ambire non dubitarit. At ſit ita; nihil prorſus ſentiant mortui ex iis, quæ ſe mortuos ſequuntur, ac una ſecum omnis eorum gloria extinguatur, num id fortaſſe parum eſt, quod dum vivunt, hac etiam altera voluptate, cum ſe non omnes interituros vident, læti perfruuntur, atque etiam latius nomen gloriæ ſuæ hac una ſcriptorum ratione diffundi planiſſime ſentiunt? Ii vero, qui recte factorum ſuorum præſenti gloriæ acquieſcunt, neque quicquam præterea affectant amplius, ac eorum Hiſtoriam a poſteris ſuis expectare malunt, multa peccant. Primum, quod immaniſſimæ impietatis notam ſubire videntur, qui in quo poſteros ſuos etiam mortui plurimum ad immortalem gloriam ſuo ipſorum exemplo urgere, quid enim dicam juvare? perpetuo poſſent, tam impie contempſerint, ac unis in ſe ipſis priuſquam nata eſſet, eorum gloriam extingui permiſerint. Deinde quod ſummæ imprudentiæ accuſari poſſunt, ut quod omnibus periculis, atque ſummis difficultatibus adepti ſunt, ea brevi ſua ſtultitia prorſus ſint perdituri, quando quod a ſe non obtinent, id ab aliis ſperant, atque ab iis interdum, qui quid ſit gloria ſi interrogentur, reſpondebunt, ne umbram quidem ejus ſe noviſſe. In quorum numero Majores tuos, Hercules, fuiſſe ſatis mirari non poſſum, qui cum omnia ubique egregia facinora ediderint domi, & militiæ, rem cum prudenter, tum etiam fortiter geſſerint, triumphis denique innumerabilibus Fami-

miliam ſuam illuſtrarint, nihil tamen curæ adhibuerint, ut hæc ullis doctiſſimorum Virorum ſcriptis, ut digna erant, maxime illuſtrarentur. Nulla enim ſeparatim extat, quæ de præclaris illorum rebus geſtis perpetua legatur Hiſtoria. Cum neque mihi tamen eorum deinceps poſteri ſua aliqua culpa caruiſſe videantur, qui id aliquando non viderint, atque eos tandem, ut melius facere poſſent, ex perpetua hominum ignoratione in ſempiternum Hiſtoriæ ſplendorem, quaſi in vitam alteram, revocarint. Quod cum ipſe quoque videres, ac ad tuam gloriam quaſi a Diis immortalibus hoc etiam tibi reſervatum eſſe duceres, tantam occaſionem ſubito arripuiſti, cum quæ privatis in omnibus Annalibus, ac ex univerſa Hiſtoria excipi poſſent, diligenter, ut colligerentur, ac in ſuum poſtea corpus ea omnia optime conſtituerentur, proxime juſſiſti. Ad quam unam tuam magis, quam tuorum gloriam, ut te horter, nihil attinere arbitror, niſi currenti, ut dicunt, calcar addere velim; tamen, ut meam fidem tibi hac quoque in parte non leviter probem, cum tua ſententia hæc pauca conjungere placuit. Certe, Hercules, omnibus Scriptoribus materiam præbere ad ſcribendum honeſtiſſimam maxima eſt gloria; cum quis ſcilicet fortiter, juſte, ſplendide, prudenter, moderateque vitæ ſuæ curſum omnem traducit; ſed una ea in primis vera, ac ſolida laus eſt, quam ex officiis in alios conferendis homines ſibi comparant. Cum autem tria ſint hominum genera, de quibus optime mereri poſſimus, unum eorum, qui jam deceſſere; alterum, qui adhuc nobiſcum agunt; tertium, qui poſt nos venturi ſunt, equidem exiſtimo, trium horum maximum eſſe officium, quod in mortuos confertur. Nam prodeſſe viventibus, ut omittam quod expectari poteſt, ut aliqua gratia nobis aliquando referatur, quod omnem liberalitatem tollit, iis adſumus, qui ipſi ſibi ſæpius adeſſe poſſunt. Quod vero ad poſteros attinet, equidem glorioſum eſt iis viam commonſtrare, qua Majorum ſuorum veſtigiis ad veram gloriam contendant; ſed hi omnino nondum ſunt, neque quicquam certo ſcimus, utrum ſint etiam futuri. Majorum autem ſuorum, quique ab hinc infinitos annos deceſſere, atque in ignorationis tenebris toti obruti jacuere, curam eam gerere, qua inde in lucem eruantur, ac quaſi ite-

ſ iterum in vitam, eamque longe diuturniorem, reſtituantur; multo glorioſius, multoque ſplendidius eſt; quique hoc facit, tanto ille cæteris viris præſtat, quo majus eſt omnino mortuis vitam reddere, quam eis, qui fortaſſe nulli ſunt futuri, certe non perpetuo permanſuri, ſua virtute omnia vel ad ſummam gloriam comparare. Tametſi cum ego rectius conſidero, tu hæc tria uno iſto tuo officio optime complexus es. Neque enim cum mortuis tam officioſe conſulis, non parum etiam vivis, non minimum poſteris in eo ipſo officio proſpicis, qui utrique æque inde ea ſumere poterunt, quibus ad ſummam laudem, atque æternam gloriam inflammentur. Quare, Hercules, etſi hoc antea me facturum eſſe negaram, te rogo, atque oro, ut quod ſemel aggreſſus es, continuo perficias, ac quod Herculis proprium ſemper fuit nulli deeſſe, tuis ipſe nunc adſis. Effer tandem in lucem hanc Cerberum, hoc eſt, mortuorum tuorum virtutes ſepultas in hominum linguas, atque in memoriam ſempiternam erue. Sed in hoc egregie perficiendo illud etiam, atque etiam diligenter videbis, ut hujus ſcriptio ei viro demandetur, qui id optime facere didicerit. Neque enim ad unam tantum veritatem, [quæ una in primis, ut in tua Hiſtoria explicetur, non autem ut ad aſſentationem legatur, diligenter providebis,] atque etiam rerum ordinem Hiſtoriæ lex univerſa referenda eſt. Sunt enim complura alia, quæ illi accidunt, haud his faciliora, quæ qui neſciverit, is multum ſibi ad eam optimam ſcribendi rationem deeſſe ſciat, ut ſtatim locorum deſcriptiones, conſiliorum comprobationes, præliorum multiplex certamen, fortuna varia, Urbium oppugnationes, ac quæ in earum miſeris fiunt direptionibus; his conciones, atque hortationes accedunt, quæ totæ ab Oratore ſunt petendæ, ſed ea ratione, ut earum oratio fluens magis trahatur, quam acriter inſiſtat; & cætera ejus generis multa, quæ prudentiſſimum Scriptorem deſiderant. In primis autem permagni intereſſe ſcito, qua dictione ea ſcripta ſit. Sunt enim quidam Scriptores, qui ita barbare, ita inſulſe, ita inepte illuſtrium Virorum Hiſtorias ſcribunt, ut legendo vix ad primam paginam ferri poſſint. Natura enim comparatum eſt, quod uſus, & ars poſtea comprobavit, ut pro dignitate unumquodque tractetur. Itaque tu, Princeps, Filios tuos, ſuos Cives tui,

tui, agricolæ item ſuos pro cujuſque conditione veſtitus. Neque enim par eſſet, ſi alius veſtitu alius abuteretur, quemadmodum neque deceret, ſi nobiliſſimus equus magis ephippiis craſſiori canabo confectis, quam ſerico, atque auro etiam contextis indueretur. Quam naturæ decentiam Alexander ubique vere ille Magnus mire intuebatur, ut cum interrogatus eſſet, quid in capſula, quæ illi ex Darii præda allata eſſet, & materia, & opere pretioſiſſima, reponi vellet, continuo Homerum reſpondit, videlicet rem præclariſſimam rei præclariſſimæ componens. Quod ipſum decorum tum quoque ſequebatur, cum ſe a nullo alio aut pingi, aut cælari, quam ab uno Apelle, aut Lyſippo, paſſus eſt. Vix a tanto Rege diſcedere potero. Iſte, inquam, ipſe, cum gloriam ſuam cum Achillis gloria conferret, id quod ſæpius faciebat, unum illi tantum Homerum invidebat, qui de eo tam magnifice, tamque præclare ſcripſiſſet. Neque enim quicquam tantus Imperator tam exoptavit, quam eum Scriptorem rerum ſuarum habere, qui alter eſſet Homerus, ut cum quidam aliquando ex ejus familiaribus neſcio quid magnum ad eum nunciatum accurreret, longe ille prius fertur de eo quæſiviſſe, nunquid Homerum ab Inferis rediiſſe, afferret? Videbat enim prudentiſſimus Rex de virtute ſua, ac rerum ſuarum præſtantia multum iri detractum, niſi eæ a pari Scriptore poſteris memoriæ proderentur, atque a fortiſſimo Imperatore eſſent geſtæ. A quo tanto decoro neque C. Julius Cæſar diſceſſit, qui cum & ipſe rerum ſuarum optimus æſtimator eſſet, eas ipſe ſcribere, quam ab aliis ſcribendas relinquere, maluit. Cicero vero pater eloquentiæ neque hoc judicio caruit, qui cum ipſe quoque res ſuas præclare geſtas, de quibus ipſe quoque tamen paſſim in ſuis ſcriptis egerat, in unum corpus componi vellet, id ab eloquentiſſimo ejus ætatis Viro, ut etiam paulo ſupra dicebamus, L. Lucejo per eas literas, quæ adhuc extant, nobiliſſimas ſummis precibus oravit. Prudentiſſimus item Senatus Romanus publico decreto T. Livio Hiſtoriam ſuam ſcribendam tradidit. Ac, ut propius accedam, atque in noſtris conquieſcam, Senatus Venetus rerum ſuarum & decreto, & mercede publica tres Scriptores habuit, Sabellicum, Navagerium, etſi hujus ſcripta deſiderantur, Bembum; Neapolitani Reges unum in primis Jo. Pontanum; Mediolanen-

nenſium Principes Merulam; Paulus III. Pontifex Max. Bernardum Maffejum, qui Scriptores, [ne omnium nunc populorum, & rerum publicarum Hiſtoricos perſequar] quantum quiſque ſuam Hiſtoriam dicendo illuſtrarit, eorum ſcripta facile declarant; ut non minus diligentiæ in iis rebus, quas ſtrenue geſſit, deſcribendis debeat Imperator adhibere, quam in iis ipſis agendis ſummæ adhibuerit fortitudinis. Certe, Princeps, quæ per ſe pulchra ſit Virgo, etiam ſi indecoro, atque agreſti veſtitu induatur, pulchra etiam videbitur; verum ſi ad naturalem pulchritudinem & corporis veſtitus ornatior, & capitis comptior ornatus acceſſerit, multo formoſior, multoque ſplendidior extiterit ad conſpiciendum. Neque ejus parens, præſertim cui egregiæ veſtis ſumma copia ſit, recte accuſari non poterit, ſi eam turpiori quaſi involverit veſtitu. Ac quoniam Virginis mentio facta eſt, his proximis diebus Annam filiam tuam formoſiſſimam Virginem cum effingi velles, id negotii ei pictori dediſti, quem ſcires illam optime eſſe expreſſurum, quemque etiam aliquid penicillo, atque artificio ſuo ejus pulchritudinem adjuturum probe noras. Te, te, Princeps, in hoc de Hiſtoria, ſi me audies, imitabere, ac quemadmodum in pulcherrima Filia depingenda optimo pictore es uſus, in tanta item Hiſtoria poſteris tradenda eum Scriptorem adhibebis, qui & ejus præſtantiam ſtilo ſuo peræquet, & ſic illam ea *dictione* perſequatur, quæ cum cupide legatur, tum attente, ac ſumma cum voluptate audiatur. Certe ſi tuorum illuſtrium Virorum ab hinc mille amplius annos mortuorum nomen in lucem, ac quaſi in vitam alteram revocare ſtudes, id eis ſpiritus, ac luminis comparare debes, quod non quo incenſum eſſet, eodem extingueretur die. Nam ea ſcripta, quæ hac elegantia carent, vix legi cœpta ſunt, cum deponuntur. At etiam pretioſiſſimæ gemmæ in plumbo interdum illigantur; at ſi in auro illigentur, magis decere, hocque ad rationem, illud magis monſtro ſimile eſſe, neque ipſe inficiabere. Tametſi hoc longe aliud eſt de gemma. Nam ea aut in arca concluſa cuſtoditur, aut in digito paucis oſtentatur, aut ut magis illuſtris appareat, ſi minus obſcuræ materiei conjuncta ſit; ſcripta autem Hiſtoria quid magis apertum? magiſque omnium oculis obvium? aut ab infanti Scriptore magis abhorret? Quare maxime providere debe-

bis, ne illi ſcilicet eam demandes Scriptori, qui illam omni barbarie, atque infantia coinquinet, atque conſpurcet. Noſti Princeps, atque adeo amas plurimum Alexandrum Manzolium, prudentiſſimum, neque ab his ſtudiis abhorrentem Virum, ex ea Familia, ex qua tot Principes Sforzii extitere, ortum. Hic cum a quodam propinquo ſuo, viro quidem bono, ſed Scriptore ineptiſſimo Sforziorum Hiſtoriam vulgo editam comperiſſet, accurrit ad eam Bibliothecam, ubi venale opus propoſitum erat, omnes libros emit, quanti ſunt judicati, quos, ut primum domum rediit, ſua manu combuſſit. Factum mea quidem, atque adeo omnium ſententia ſplendidiſſimum. Maluit enim optimus Civis nullam Familiæ ſuæ memoriam ſcriptam extare, quam eo modo indigne perpetuo legi. Quare, Princeps, ut cætera in Hiſtoriæ tuæ Scriptore comprobabis, hoc ante omnia maxime providebis, ut Latino viro eam committas, quique dicendo eam non minus ornet, quam vere, atque ordine explicet; quando res ſordide dictæ cito conſenefcunt, quæ vero ſua dictionis elegantia non carent, perdurant in omnium hominum memoria. Quæ omnia, Princeps, cave tamen in eam partem a me dicta eſſe ſuſpiceris, ut ego hanc ſcriptionem hoc modo mihi ambirem; quando meam ſcribendi rationem cum eorum, qui haud inepte ſcribunt, conjungere ſoles. Primum enim is ego non ſum, qui mihi id cæteris præſtare poſſe ſperem, quod ego in Hiſtoriæ tuæ Scriptore cupiebam; deinde, ſi omnia mihi abunde adſint, & ad eam veriſſime cum ſcribendam, tum omni dictionis elegantia ornandam facile ſuppeditet, ætas mea tamen, quam vides iam ingravelcentem, non patitur, ut tantum onus ſuſcipiam, qui in ipſius initio facile deficere poſſem. Sed quicquid tecum egi, id omne ſeculo, atque ea ratione egi, ut quemadmodum quæ tuorum præclarè res geſtæ ſunt, ita præclare etiam ſcriberentur, æque providentes. Vale.

PRIMI LIBRI FINIS.

AD EUMDEM

HERCULEM ATESTIUM,

Ac reliquos Principes Atestios

BARTHOLOMÆI RICCII

EPISTOLARUM

LIBER SECUNDUS.

HERCULI ATESTIO

Bartholomæus Riccius S. D.

Cum a Francisco Luysinio adolescente de Anna Filia Nuptiæ celebrandæ audisset, cujus virtutes & ipse hos Epistolæ ab oculos ponit.

CUm ego Venetiis essem apud meos, atque etiam tuos Cornelios, ac, ut fit cum hospite, de me illi quærerent, quidnam ego Ferraria novi afferrem, atque in primis de Anna Filia tua, cujus nobilissimæ per hosce dies Nuptiæ celebrantur, studiosius videre viderentur, ego illam iis virtutibus ornatam esse dixi, quibus revera est ornatissima, hoc est, quæ summo, atque humanissimo ingenio esset, quæ in literis, quæ in musicis tantum profecerit, quantum in multo grandiore nata viro quovis non facile reperiri posset, quæ denique [moribus, eaque educatione [ut acus scientiam egregiam, ac totius corporis formam egregiam nunc omittam] prædita esset, quibus probatissimæ Principes sunt laudatæ, ad quæ omnia, quæ a me pleno etiam ore dicebantur, sensi omnes ea admiratione commotos, ut ei in hisce Nuptiis una voce bene, ac feliciter ominarentur. Aderat Franciscus Luysinius adolescens ad carmina scribenda natus, qui nunc alterum & vigesimum attigit annum. Hunc ego; mi, inquam, Luysini, vides quantam

tam Principis meæ virtutes materiam Poetis præbeant ad
ſcribendum. Cur tu, qui in eorum numero locum jam
obtines non ultimum, & mox a primo propriorem oc-
cupabis, aliquid tuis verſibus in hujus Nuptiis non lu-
dis? Arriſit ad meam laudem adoleſcens, atque una ſi-
mul modeſtiſſime erubuit, ac paulo poſt inquit; grave
eſt, Ricci, quod a me petis, ut tot virtutes, quæ ab
omnibus Scriptoribus vix multis voluminibus complecti
poſſent, ego unus infans paucioribus verſibus perſequi
audeam. Experiar tamen, ſi quid poſſim, idque magis
ut tibi teſter, me nihil habere jam, quod tua cauſſa no-
lim, quam quod ſperem, me tibi in hac mea luſione
ſatisfacere poſſe. Tum ei gratias egi, ejuſque ſermonis
finis eſt factus. Poſtridie ejus diei me convenit, atque
Eridanum in manum affert, id enim centum verſus eſt,
quibus Padum ipſum Annæ Principis Filiæ tuæ diſceſſum,
quaſi Solis, qui alium Orbem ſuo lumine ſit illuſtratu-
rus, noſtrum autem unde diſcedit, in denſiſſimis tene-
bris relinquat, flebiliter querentem inducit, cui poſtre-
mo feliciſſimas haſce Nuptias exoptat. Eum ad te mit-
to, non ut hoc meo officio fidem erga tuos meam hinc
quoque tibi quicquam magis probare velim, qui jam
multos annos habes quam probatiſſimam, ſed ut hæc
legens & tuorum laudibus non parum gratuleris, & te
cum animo plurimum laudeas, qui ſentias, te tantum
Principem in hoc quoque ſcriptorum genere tantum pro-
feciſſe, ut non ſolum ea optime intelligas, ſed de ii
etiam prudentiſſime judices. Vale.

HERCULI ATESTIO

Bartholomæus Riccius S. D.

*Rogat, ut pecuniam vectigalium a Petro Vandinio de
duabus, aut tribus penſionibus ad diem conſtitutum
vi permittat, ut redemptores hac benignitate mot
periorem locationem etiam ad quid amplius in re
addendum excitentur.*

2. PEtrus Vandinius affinis meus eſt; ſe
cum multis communis eſſe poteſt; b
vero, quæ ego illum proſequor maxima,

Ejus enim antiqua bonitas facit, ut multis etiam propinquis in amore eum præponam. Is ex vectigalibus Magnacaballensibus particulam quamdam de Gajaniis redemptoribus redemptam habet, ex qua eis ad quadringentos Scutatos, ut noſtri dicunt, aureos debet, ſed ſua bonitate nullo dolo, nullaque fraude debet. Nam cum negotia ſua Venetiis procuraret, proneptis ſuæ viro CC. aureos dat, filio Lugum perferendos, quos ipſe poſtea Gajaniis diſſolvat. Ille bonus vir cum ingenti illa pecunia nuſquam poſtea apparuit. Quare Petrus, relictis omnibus, quæ Venetiis curabat, eum quaque quærere inſtituit, cumque fere univerſam citeriorem Galliam [eſt enim ille Mantuanus] obiviſſet, tandem Brixiæ illum reperit, qui tabernam veſtibus cujuſque generis uſitatis, quas ex ea pecunia ſibi comparat, plenam aperuerat, eaſque iterum vendebat. Hunc in judicium vocat. Jam annus eſt, cum res ad Judices dilationibus, vadimoniis, ac implicationibus judicialibus ducitur. Fratres enim is duos habet in Divi Dominici familiam cooptatos, qui ſuo illo ſacroſancto Sacerdotio, ac Divi Dominici auctoritate in re tam turpi abutentes, Vandinium obtortis ad ſanctitatem collis quaque via, quaque ratione oppugnant. Quo item tempore & in publico hoſpitio, & in patronis, cæteriſque, quæ ad litem conficiendam innumerabilia pertinent, ingentem pecuniam conſumpſit. Quo uno tanto incommodo affectus, Princeps, ſupplicat, ut a Gajaniis id pecuniæ nihil exigi velis, a ſe eam peti, nomenque ſuum a Gajaniis ad te transferri jubeas. Id quod commodiſſime facere potes, & aliis, quæ tua ſumma eſt benignitas, ſæpe alias feciſti. Quam pecuniam ipſe poſtea tibi diſſolvet ad eum diem, quem ei commodum dederis aut duabus, aut tribus penſionibus ad diſſolvendum. Is enim totam eam pecuniam habet in nominibus, quam per hanc caram annonam Vincentius filius exigere nequivit, quam interea commodius exiget, exactam tuis fideliter dinumerabit. Quare te rogo, ut in quo nullum tibi incommodum, Vandinio vero omnis fortunarum ſuarum incolumitas ſit acceſſura, ei ſubvenias, publicanoſque tuos optimos viros ſubleves, ut cum novi redemptores intelligant, ſe in exigendo te tam benigno uſuros, ad ſuperiorem locationem etiam quid amplius in redimendo addere non dubitent, atque

ut a præſentibus tuis Civibus, ac ſociis facis, ita a poſteris etiam hoc modo optime ut audias, tuis iſtis officiis, tua iſta ſumma benignitate efficies. Vale.
III. Non. Maji MDLI.

HERCULI ATESTIO

Bartholomæus Riccius S. D.

Hortatur, ut pacem armis anteferat, & priſtinam concordiam, oratione, conſilio, & auctoritate ſua tumultibus compoſitis, reſtituat.

3. SI vales, bene eſt, Tui Filii, & univerſa Familia bene habet, niſi quod omnes tui uno deſiderio jam confecti ſumus. Sed cum tamen cauſſam, quam ob rem abes, conſideramus, id nobis moleſtiam aliam magnopere lenit, atque comminuit. Effice vero, Princeps, ut tuo quoque exemplo res urbanas, atque consilium militaribus rebus recte anteferri, atque tuæ prudentiæ inermi omnia arma, quibus jam magna ex parte Italia premi videtur, ceſſiſſe planiſſime conſtet. Fac, inquam, Princeps, ut illud Ciceronis de te rectius uſurpetur, *Cedant arma togæ, concedat laurea linguæ*. Quid enim glorioſius, quam in tanto bello, antequam concurratur, pacem parare, otium conſtituere, de utraque parte honeſtiſſimum triumphum ducere? Hoſtem enim armis vincere non tam virtutis eſt, quam Fortunæ; conciliare vero copias jam in acie conſtitutas, atque ex earum manibus arma ſine armis eripere, diſcordias componere, odia ſedare, in priſtinam concordiam illas reſtituere, ſolum eſt virtutis, atque prudentiæ; quod qui faciunt, non tam mihi cum hominibus, ſed cum Diis immortalibus conferendi eſſe videntur. Te, Princeps Hercules, Herculem proba, oratione tua, conſilio, auctoritate tumultus iſtos compone, atque extingue. Propoſiti victor, atque honeſtiſſimi voti compos ad tuos redi, infer in Familiam tuam Lauream iſtam, non ut pugnans hoſtem fregeris, fugaris, viceris, ſed dicendo, conſulendoque Italiam in otium ſuum reſtitueris. Para omnibus Hiſtoriis ſplendidiſſimum, ac illuſtriſſimum prudentiæ tuæ factum, quod cum omnes poſteri legent, me-

memoriam tuæ gloriæ renovent, teque in Cœlum, unde venisti, extollant. Vale.

www.libtool.com.cn

HERCULI ATESTIO

Bartholomæus Riccius S. D.

Orat, ut decimam partem prædioli empti Fisco debitam sibi dono liberaliter largiatur.

4 PRoximis hisce diebus præteritis de Antonio Maria Nigrisolio prædiolum emi in agro Quartisano; ejus summa est ad MCCC. plus minus libras ad nostram rationem. Quoniam vero ex omnibus emptionibus decima Fisco venit, meam partem, quæ ad sexaginta quinque est, a te dono peto, atque, si tua benignitas patitur, rogo. Id quidem quam pusillum tibi sit, plane vides; quam vero mihi & commodum, & gratum fit futurum, ipse intelligo. Brevis sum, Princeps, ne, si multis utar in re non admodum magna, benignitatem tuam offendere videar, quæ in alienos etiam sua sponte largissime quotidie conferre non cessat. Hoc tibi tamen affirmo, id mihi valde gratum fore. Vale.

HERCULI ATESTIO

Bartholomæus Riccius S. D.

Petit, ut emptum agellum in fundo Quartisano omni labore publico liberet, atque immunem efficiat.

5. HAbeo in fundo Quartisano agellum, partim de Antonio Maria Nigrisolio, partim de Leonora, Cichinia emptum. Is totus ad quinque modios pervenire non potest. Hunc mihi, Princeps amplissime, ut omni labore publico liberes, atque immunem efficias, te rogo, atque oro. Scio equidem, quod te rogo, cum singulari mea in te fide, tum tua in omnes tuos summa beneficentia, multo esse inferius; verum id mihi tamen tam gratum futurum polliceor, quam si agrum ipsum mihi utrumque condonasses. Vale.

HERCULI ATESTIO

www.libtool.com.cn

Bartholomæus Riccius S. D.

Epitaphium mittit Strotii tumulo inſcribendum.

6. UTinam Strotium tuum tibi ab Inferis revocare poſſem, multo id, quam hoc, quod facio, facerem libentius. Sed cum id optari tantum liceat; quod potui puſillum, tibi libenter præſtiti, ut ego quoque in ejus funere & doloris erga illum mei, meæque item in te fidei aliquam ſignificationem darem. Habe igitur, Princeps ampliſſime, quæ in tanti Viri tumulo inſcribi poſſunt, ut brevius potuit, a me conſcripta, teque, tua prudentia, atque ea animi altitudine, qua ſumma es præditus, iſto tanto mœrore, ſi non prorſus liberes, ſaltem leva, idque in primis tua, tum etiam tuorum cauſſa a tuo tanto incommodo obtine. Id Strotius vult, id ratio poſtulat, id Deus Opt. Max. jubet, ne in unius hominis interitu omnia tua interiiſſe videantur. Vale.

HERCULI ATESTIO

Bartholomæus Riccius S. D.

Conatur perſuadere, ut Municipale jus Ferrarienſe in aliquibus corrigat, atque ad æquiorem rationem diligentius inſtituat.

7. INter ea, Princeps Hercules, quæ quotidie in Municipali jure tuo Ferrarienſi corrigis, atque ad æquiorem rationem diligentius inſtituis, id fortaſſe non poſtremum eſſe videtur, quod qui de jure diſceptant, alter ex impendio in lite facto nihil metuat, alter nihil ſperet. Eſt enim caput, cum quis in judicium alium vocarit, ac inopiam ſuam jurarit, ſi is poſtea cauſſa cadat, nihil adverſario victore quicquam accepti damni ſit præſtiturus, quod mihi perinique comparatum eſſe videtur. Hac enim ratione vel leviſſima de cauſſa cuique impuro homini ſecurius licebit optimum Virum in judicium vocare, atque in eo quamdiu ei libebit, illum ve-

vexare. Sit, exempli cauſſa, mulier, cum qua cauſſidicus clam conſuescat, atque ejus amore teneatur, quique non ſolum ei, ut ſit, pro ejus conſuetudine quicquam perſolvat, verum etiam ex ejus bonis aliquid ſperet. Haec vero fraudem aliquam ſibi confingat, qua Civem aliquem in jus rapiat, ac de eo per iſtum certam ſummam poſtulet; continuo ut egeſtatem ſuam juravit, nihil poſtea, ſi cauſſa cadat, pro cauſſae expenſis adverſario praeſtare tenebitur. Qua una ſpe adverſarium ſuum ita torquebit, ut ad centeſimam provocationem eum rapere non ceſſet; qui contra in jure ſuo tuendo multum in patronis, multo etiam plus in ſcripturis, cum in Judicibus etiam non parum pro ſpectuli, ut dicunt, centies interdum amplius, quam pro quo litigatur, impendet. Hoc Princeps cuiquam prohibitur? neque ex inſtitutis iis ſtatim eximetur? parque utrique omnis cauſſa reſtituetur? At hoc modo egenis, atque peregrinis adimeretur jus ſuum perſequi poſſe, quorum alter ab egeſtate, alter quia notum nullum in Urbe haberet, fidejuſſorem habere non poſſet, quo nihil immanius, nihilque magis iniquum. At patroni, qui horum cauſſam aequiſſimam eſſe maxime perſpectum habent, ii pro iis fidem ſuam obligent, fidei hanc iſti juſſionem dent, qua ratione quoque fiet, ut hujuſmodi cauſſae, quaſi praejudicio facto in judicium veniant, neque quiſquam petet, niſi jure aequiſſimo petat. At non ita cauſſae explicatae ſunt, ut ab omnibus cerni poſſint, utrum aequae, an iniquae ſint. At in veritate nullum dubium; de quo vero ambigitur, id turpe eſt. Verum ita fit. Cur eas defendunt, ſi utrum aequae ſint, incertum habent? Probi enim procuratoris eſt, niſi aeque agere, ac quas cauſſas agendas ſumat, eas prius optimas comprobare; quod ſi is non callet, juris peritiores conſulat, eumque deligat, qui cum probe rei naturam pernorit, ad eam poſtea fideliter judicium ſuum dirigat, non autem eum, qui lucri cauſſa in quanque partem eum implicare contendat. Certe verum uno plus eſſe non poteſt. Hoc ſi a juris peritiſſimo, ac fideliſſimo Viro habebit, tunc ita tuto aget, quaſi ſi cauſſam victam habeat, & qua ſpe praemii ſui eam defendit, ut ex devicta cauſſa id poſtea ſumatur, eandem in fideijuſſione retinere poterit. Hoc autem a me, de aliis meliora quaeri poterunt, modo hic error aliquo modo corrigatur. At, quid tibi cum jure? Utinam nihil, aut

aut non hujus fateri genera. Me etiam mulier hac judicii ratione, atque in tabulis, quæ jam a Prætore tuo fictæ pronuntiatæ sunt, jam annum integrum ad Judices vexat, perget, ne etiam dum omni sumptu cumulare, a quo illa cum procuratoris, cum quo summa consuetudine conjuncta est, tum etiam a me juratæ inopiæ causa, si causa cadat, libera est, ut si queror, & jure æquissimo, & honestissima de causa id faciam, qui & fictis tabulis opprimar, & cum causam vicero, ex ejus tamen dispendio, quam quanti causa sit, plus damni sim facturus. Vale, tuisque, ut facis, æquissime consule.

HIPPOLYTO ATESTIO CARDINALI

Bartholomæus Riccius suorum Civium nomine S. D.

Gratulatio Lugiensium nomine de Cardinalatu ipsi concesso, augurioque de Suprema Dignitate in Familiam Atestiam aliquando feliciter inducenda.

H. CUm superioribus diebus rumor de Pontificatu tuo nobis allatus esset, tanta statim cujusque nostrum animo voluptatis quasi titillatione affecti sunt, ut parum abfuerit, quin id, quod nunc facimus, publice tibi gratulatum mitteremus. Nunc vero cum non modo fama verum etiam literis, ac nuntiis de eo certiores fieremus longius faciendum non duximus, quin a lectis literis tuis & per literas, & per publicos legatos summopere tibi gratularemur. Vere igitur, atque ex toto animo tu etiam, atque etiam gratulamur, quod majoris etiam dignitatis tuæ ratio habita sit, quodque improborum quorundam iniquitatem honesta tua petitio vicerit. Nec etsi multos habes, ad quos ex isto tuo Pontificatu singula lætitia pervenisse debet, unos scito tamen Lugdunenses tuos tantum abesse, ut eorum ullo in tui tanta lætitia vinci patiantur, ut ne omnium quidem, si maxime conjuncta sit, lætitiæ concedant, qui a Diis immortalibus ita precibus omnibus contendunt, ut quod ad te attinet, nihil de virtute tua prorsus tanta, ut Dignitatem istam ita tibi fortunent, augeant, ut tuo veneratu illam aliquando etiam in ipsam tuam familiam feliciter inducas. Vale.

HIPPOLYTO ATESTIO CARDINALI

www.libtool.com.cn

Bartholomæus Riccius S. D.

Orationem in funere Franciſci Regis Galliæ a ſe Ferrariæ habitam mittit.

9. CUm reliqua funeris Franciſci Regis pompa, quæ tuo nomine Ferrariæ celebrata eſt, Orationem quoque noſtram habe, quæ de ejus laudibus & ſcripta, & habita eſt. In qua ſcio te multa deſideraturum, neque ea minima; ſed neque viram integram, multo vero minus tanti Regis Hiſtoriam eram ſcripturus; quæ tamen commode poteram, atque etiam debebam, ſcito illa me nulla aut eorum ignoratione, aut mea negligentia præteriiſſe; qua autem ratione evenerit, ut omitterentur, tui ad te ſcribent. Certe ſi in quo potui dictionem meam exercere, id tibi gratum fuiſſe intellexero, omnia me tibi cumulatiſſime præſtitiſſe arbitrabor. Vale.

RENATÆ PRINCIPI FERRARIÆ

Bartholomæus Riccius S. D.

Sub ejus nomine Orationem in vulgus exeuntem de laudibus Franciſci Regis Galliæ Sororis Viri recitatam in iis Inferiis, quas Hippolytus Ateſtius Cardinalis illi Ferrariæ perſolvi juſſerat, tamquam conſolationem offert.

10. FEci Orationem de laudibus Franciſci Regis Galliæ, Sororis tuæ Viri, quæ habita eſt in iis Inferiis, quas Hyppolytus Ateſtius Cardinalis illi Ferrariæ perſolvi juſſit. Sed quid ego me illam feciſſe dixi? Immo vero, ut veteres rectius loquebantur, eam faciebam. Nam ad illam integram & majori volumine, quam in funere fieri ſolet, tempore etiam multo longiori peropus erat. Quo impedimento & multæ a me ex ejus laudibus omiſſæ ſunt, & quas attigi, ſuo ornatu non ſatis ſunt conſcriptæ. Hanc tamen, utcunque eſſet, cum ii, qui Regium funus curarunt, in Galliam Cardinali Hippolyto mittere vellent, atque eo modo mittere, ut

ſuum

ſuum ſtudium, ſuamque diligentiam inde quoque illi maxime probarent, rati ſunt id eo modo aſſequi poſſe, ſi publica deſcriptione, quemadmodum vides, eam mitterent deſcriptam. Quod cum neque ipſe illis gravate concederem, continuo illis, ut dicunt, excudendam dedi. Sed cum ego viderem quo ipſa quoque luctu, ac mœrore tantum Regem proſequereris, tametſi multo ante cum literis, tum etiam nuntiis tuis de iſto ipſo tuo ſqualore in Gallia auditum eſſe ſcirem; putavi tamen tibi minime ingratum accidere, ſi hæc mea Oratio non ſine aliqua tui mentione & illuc perferretur, & ubique legeretur. Itaque volui, ut ſub tuo nomine in vulgum exiret. Hanc igitur habe, atque cum cæteris, ut Orationem ſi minus juſtam, ſeparatim ſaltem, ut conſolationem fortaſſe, non ingratam lege. Nam in ejus laudibus recenſendis illud ſolatium capies, quod ſi tibi dolorem iſtum tuum univerſum exhaurire non poſſit, certe id magna ex parte ſit tamen levaturum. Vale.

RENATÆ FERRARIÆ PRINCIPI

Bartholomæus Riccius S. D.

Sententiolas quaſdam ex probatiſſimis Auctoribus decerptas ad mores informandos non ſolum Filiis, ſed Filiabus etiam docendis accommodatas ad illam mittit.

11. CUm ego ſcirem natura pueros omnes a ſchola, hoc eſt, a diſcendi ſtudio valde abhorrere; Principum autem, ut qui delitias ſuas optime cognoſcunt, omnium plurimum, omnia in tuis Filiis docendis conquiſivi, qui hanc eis diſciplinam, ſi minus odioſam, ſaltem aliqua ex parte faciliorem efficerem. In primis itaque id unum provideo, ne longum, ac perpetuum eis volumen ullum proponatur ediſcendum, ne ejus magnitudine majus quoque in literas eorum odium excitetur; ſed quaſi more apum, quæ non ex uno roſeto, ſed ex diverſis floſculis materiam illam ſibi deligunt, qua poſtea ſuas cellas nectare compleant, breves quaſdam mihi ſententiolas non tam ad omnium mores maxime aptas, quam optime etiam ſcriptas, ex probatiſſimis Auctoribus decerpo, quibus illos cum ſuaviter la-

lectem, tum etiam ad longiorem lectionem ſenſim comparem. Has tibi nunc mitto, ut idem, ſi videbitur, in junioribus Filiabus inſtituendis cures, ut efficiatur. Nam cum mecum ſæpius ageres, ut aliquid eis quoque prodeſſem in noſtris ſtudiis, inde mihi initium ſumere placuit, unde cum Filiis exorſus eram. Quod vero ad dicendi rationem attinet, in eo quoque brevi operam dabimus, ut aliquid ſeparatim habeas. Vale.

www.libtool.com.cn

ALPHONSO ATESTIO

Bartholomæus Riccius S. D.

Patris exemplo ad Liberalitatem, & Clementiam Filium hortatur, eumdemque ad veram gloriam in rebus omnibus gerendis ipſi tamquam ducem proponit.

12. HErcules Pater tuus, Alphonſe Princeps, cum videret tibi multa opus eſſe & ad commodiſſime agendum, & ad quam geris dignitatem honeſtiſſime tuendam, quotidie tum ad rem augendam, tum ad nova, ac magnifica ædificia conſtruenda omne ſuum ſtudium confert. Hinc vectigalium maximæ acceſſiones, hinc Berriguardi inſtauratio ampliſſima, hinc a fundamentis ipſis in Urbe, quod ad Montem appellant, item in agro *Caput aureum* magnificentiſſime ædes extructæ ſunt. Sed quoniam hæc, quanquam ad Principem maxime ſpectant, ut habeat & unde Principatum ſuum tueatur, & ubi cum numeroſa familia habitet, caduca, atque ingloria ſunt; ne tibi quid a ſe quoque deeſſet, quod ad ſolidam gloriam, atque ad Deos ipſos proxime accedendum pertineret, ille ipſe in Repub. feliciter gerenda quotidie aliquod tibi præclarum exemplum aut Juſtitiæ, aut Liberalitatis, aut Clementiæ edere non intermittit. Sed cum ea multa, atque egregia ſint omnia, tamen hoc unum, quod hodierno die inuſitatæ Clementiæ exemplum tibi dedit, facile ea omnia ſuperat, cum Paulo Manfronio, quo tam iniquiſſimo, quam etiam fœderatiſſimo inimico uſus fuerat, multa in ſe ſcelera & veneno, & ſica excogitata ſine ullo cruciatu ſua ſponte confitenti, ſua ipſe voluntate, nullorum aut precibus aut gratia ignovit, ac, quam illi jure æquiſſimo adi-

me-

mere poterat, vitam condonavit, quo quidem clementiſſimo, atque illuſtriſſimo facto quid ille a patre ſuo expectare mitius, aut tu a tuo ſplendidius deſiderare potuiſſes? Fortaſſe ejus pater in pietate ſeverior fuiſſet, ubi tuus in vindicta ſua Clementiſſimus, in tui autem ad virtutem inſtituendi ratione prudentiſſimus extitit. Alter illi dies ex multis, qui in ejus vita illuſtres extitere, ſplendidiſſimus illuxit, cum Princeps creatur, non quod illum ad tantum imperium evexerit, ſed quod ille eo die Liberalitatem ſuam largiſſime exercuit, cum ſua ſponte in ſuos ampliſſima, in alienos rogatus non mediocria contulit munera, cum ab eo nemo quicquid is petiiſſet, repulſam ullam tulerit. Verum ſi ejus lux cum hujus ſplendore conferatur, ille hybernus, hic æſtivus dies videbitur. Sed illum Patris Principis partes peregiſſe, atque adeo quotidie peragere ad tuam præceptionem multum id quidem eſt, verum niſi tuas ipſe quoque perfeceris, [ignoſce mihi ſi paulo liberius partem hanc tecum ago] non ſolum id tibi ulli gloriæ, ſed non parvæ ignominiæ eſt futurum, qui cum Parentem habueris ad veram gloriam quaſi præeuntem, ab ejus glorioſiſſima via quicquam deflexeris. Quod tamen tantum abeſt, ut id ſis effecturus, ut ſperem, te multo eum, [quod ſcio cum ejus bona pace dictum ſore,] in omni Regia virtute ſuperaturum. Si quis tamen aderit, [quando a virtute ad libidinem magis homines inclinant] qui tibi, quod minime honeſtum ſit, ſequendum proponat, eum tu pro ejus conſilio tractabis. Interea vero ab eo virtutem diſce, ac quæ hujus generis quotidie agit, tu ea in interiori memoria fideliter reconde, cum res feret, poſtea ad tuam utilitatem, atque ad communem utriuſque gloriam deprompturus. Vale.

AL-

ALPHONSO ATESTIO

www.libtool.com.cn

Bartholomæus Riccius S. D.

Madium Philoſophum commendat reliquis Academiæ Ferrarienſis Philoſophis anteferens. Eos cum piſce comparat, qui, ut ex aqua extractus eſt, continuo interit, neque quidquam valet; hunc vero in rebus fere omnibus verſatum quemvis hominem ſecum afferre, *ut ille ait, oſtendit, ingeniumque ſuum, quo velit, feliciter convertere. Addit in quibus rebus Philoſophiæ dignitas, & ſplendor verſetur.*

13. ETſi plane ſcio quanti Pater tuus Madium Philoſophum faciat, qui paucos habet, quos æque diligat, magis autem neminem; quoniam tamen alienus eſt, [utinam enim aut is in tua Civitate natus, aut ejus Patria tuæ ditionis eſſet;] eique confecto ſuo tempore liberum, atque integrum eſt, quoquo velit, commigrare, ſi me audias, ita cum Patre tuo ages, ut tantum Philoſophum a Ferrarienſi Academia abduci, te vero tanto Viro ſpoliari non ſinat. Cum hoc cæteros Philoſophos non confero; ſunt enim omnes omni commendatione digni, & Bucchiferrius, vel etiam Buccaurius, Genua, Portius, & ſi qui ſunt alii, qui Philoſophiam profiteantur; ſi quid tamen id eorum ſcripta, atque ex ſuggeſtu publico explicata probe teſtantur, quique magis, qui minus in abdita Philoſophiæ penetralia perveniant, atque rem ipſam acutius perſpiciant, atque cernant, facile declarant, hic quidem cum aliis nobiliſſimis Philoſophis in univerſis ſcriptis, quæ in omnibus ſcholis verſantur, explicandis, plurimum valet. Verum in eo ſolus eſt, qui Ariſtotelis Poeticam primum ex publico loco, ut cætera facit, feliciter interpretatus eſt, tum vero in eam ipſam mox locupletiſſima Commentaria eſt editurus. Sed redeo ad Philoſophos. Hujus quidem generis plerique, ut a ſuis ſtudiis ad aliarum rerum artium rationes abducuntur, piſcem imitantur, qui, ut ex aqua extractus eſt, continuo interit, neque quiſquam valet; ſic iſti ubi non agitur de Cœlo, de Anima, de Deo, muti ſunt, neque ſe Philoſophos eſſe rentur, niſi

omnem

omnem in tota vita ſeveritatem præ ſe ferant, agantque etiam in re jocoſa graviſſime; hic vero noſter ut a Philoſophia rerum cauſſas, & cognitionem petiit, ea ſic utitur, ut homo. Hoc in congreſſu nihil urbanius, nihil lepidius, in conviviis nihil ſuavius, ac magis facetum; quicquid agit, de quaque re ſermonem habet, ei rei totam actionem ſuam ſplendide accommodat, gravia graviter, humilia leviter, omnia vero intra ſuum modum æqualiter agens. Illud quoque addas licet, quod hic ad primum aſpectum equorum naturam optime norit, atque de iis rectiſſime judicat, quod deinde tam commode lites componit, atque acerrime inter ſe infenſos animos facillime conciliat. Poſtremo vero [quando nunc ſingulorum gladiatorum multæ cautiones adhibentur,] hoc nemo acutius in ea diſputandi ratione animadvertit; ut non ſolum in Philoſophiæ ſpatiis ingenium ſuum laxe vagari ſinat, ſed etiam, quo velit, illud feliciter convertat. Diogenes Ariſtippo adulationem objiciebat, ille vero illi contra olera objectabat. In noſtro nihil horum, qui & ingenue cum omnibus agit, & ſplendide ex ſuo vivit. Utinam ita commode omnes, ut Madius facit, philoſopharentur. Certe Philoſophia per ſe nobiliſſima eſt, neque quicquam extrinſecus admodum deſiderat, verum ſi ſuis & ipſa ſuorum ornamentis, ut in eo facit, non careat, multo ſplendidius eluceret, multoque apud graviſſimas perſonas majori in honore haberetur. Neque enim in oblongis unguibus, aut nunquam reſecto capillo, aut etiam veſtitu ſordido Philoſophiæ dignitas, & ſplendor exiſtit, ſed poſt rerum omnium cognitionem perfecte perceptam in bene agendi culta ratione conſtat, ut vides in noſtro, & in corporis totius ornatu, & in omni familiæ victu ampliſſimo. Hic ſi, Princeps, his tantum bonis abundet, quæ ad Civilem cultum pertinent, digniſſimus eſſet, quem uſque domo accerſitum, Civem tuum, ac convivam faceres; nunc vero cum accedat tanta rerum omnium ſapientia, nullum dubium eſt, quin perpetuo apud te hunc habere velis, cujus conſilium in multis, iiſque graviſſimis rebus tibi præſto adeſſe poſſit. Contende igitur a Patre tuo, ut tantum Virum tibi concedat, in quo obtinendo nullum erit negotium, quin facile impetres; immo vero tuum iſtud conſilium vehementer laudabit, quem in diligendo tanto Viro optime vidiſſe videat, teque in hoc quo-

quoque sui simillimum esse, qui idem, quod tu de eo optime senseris, judicabit. Vale.

www.libtool.com.cn

ALPHONSO ATESTIO PRINCIPI

Bartholomæus Riccius S. P. D.

Gratias agit de salute sibi ab Æneæ ejus nomine dicta. Ejusdem adventum in Italiam se magis optare, quam sperare posse, subjicit. Tandem Putium adolescentem validissimum lethargo oppressum interiisse significat.

14. ÆNeas, qui tibi pedes operam dat, modo istinc rediens mihi tuo nomine salutem dixit; quod tam gratum fuit, quam si longissimas tuas literas mihi attulisset. Hac enim summa belli difficultate a Regis latere te nunquam discedere, vixque locum ad respirandum, nedum ad scribendum, facultatem ullam tibi dari, certo sciebam. Cætera, Princeps, recte, si valebis, rectissime vero, si te aliquando ad nos incolumem receperis; quod isti ex Æneæ, atque ejus comitum adventu adduci posse videntur, ut adventare suspicentur. Ita enim faciunt, ut familiam tuam ad itineris commodiorem rationem ita distribueris, ut scilicet nonnullos præmitteres, Nobiliores tecum duceres, reliqui vero te postea sequerentur. Ego vero id magis opto, quam spero, cum tu ad meas longissimas, quas superioribus mensibus tibi conscripseram, quibus multis, iisque omnibus æquissimis rationibus tibi tuum istum reditum tuis omnibus optatissimum persuadere conabar, nihil rescripsisti. Sed Dii te, sive istic remanseris, sive te in Italiam ad tuos te magis receperis, salvum velint. Credo, te de Putio audisse. Is & corporis, & fortunæ, & animi bonis omnibus, ut scis, præditus gravi lethargo interiit, cum statim atram bilem edidisset. Adolescentis validissimi virtus adversus tanti morbi vim amplius triginta dies luctata est; tandem victa succubuit, ut hunc cum multis aliis, quos discedens florentes reliquisti, cum redieris, non sis reperturus. Vale.

ANNÆ ATESTIÆ HERCULIS FILIÆ

www.libtool.com.cn

Bartholomæus Riccius S. D.

Poſtquam facete in verbo Theſaurus *luſit, neque ex eo a ſe quidquam ſurreptum, ſed quoſdam adulterinos numos in eo repertos a ſe bonos factos ſignificavit, quatuor Virgilii verſuum ex Ecloga VII.* Melibœus *inſcripta interpretationem tamquam ineptam rejicit, ſuamque ſubjicit.*

15. THeſaurum tuum tibi remitto, ſerius fortaſſe, quam oportuit. Ignoſces. In Theſauro verſabar. Magis mirum eſt, quod remiſerim, ac non interverterim potius. Sed is non ejus eſt, ſcis bene quem ſignifico, ampliſſimus Theſaurus, ex quo ditari poſſem magis, mihi crede, omnes cruciatus tuliſſem, atque ultra omnia aufugiſſem maria, quam eum unquam remiſiſſem. Sed quoniam verborum eſt Theſaurus, neque ego eorum ſum admodum inops, eum tibi remitto, atque integrum remitto itidem, ut accepi. Ac ſi quis ſecus ſuſpicetur, ne aliquid ex eo mihi ſurripuerim, illum adeat, volvat, pervolvat, numeret vel ad literam. Siquid in eo deeſſe offenderit, is mecum poſtea recte furti agat, per me licet. Sin quoſdam in eo, ut qui ex quaque gente tantam vim pecuniæ ſibi confecerit, adulterinos numos a nobis bonos factos eſſe deprehenderis, ecquid erit præmii? Id ſcilicet, ut pars altera in pauciores dies nobis accommodetur. Nam hactenus ad medium tantum viæ perventum eſt, eam ut abſolvamus, in tua poſitum eſt manu. Huic igitur noſtro ingens illud onus [ſatis enim eſt & crure, & pedibus firmus] imponi jubebis, qui ad me vel validiſſimo equo validior id perferat. Ac id a nobis etiam habeas licebit, quod neque ab iſto Theſauro admodum alienum eſt, & tibi ſpero fore pergratum. Nam cum ſchedulam quandam in Codice manu tua, ut arbitror, ſcripta offenderem, eam avide legi. In hac quædam erant in Virgilium, credo ex aliquo tuo Magiſtro tibi explicata. In his id quoque in Melibœo:

Setoſi caput hoc apri tibi, Delia, parvus,
Et ramoſa Mycon vivacis cornua cervi,

Si

Si proprium hoc fuerit, lævi de marmore tota
Purpureo ſtabis ſuras evincta cothurno.

In quo quidem dodo cum illud, *ſi proprium hoc fuerit*, exponeret, reliquorum ſententiam ſequebatur, ut Mycon deſideraret, ſe ea carmina facere, qualia Codrum paulo ante facere dicebat, quod minime verum eſt. Primum enim verſuum ſcribendorum facultas a Diana non eſt petenda. Quid enim nunc Dianæ cum Muſis? Deinde vox illa *proprium* nihil facit ad eam ſententiam. Ne igitur te multis teneam. Parvus Mycon ſetoſi caput apri, ac veteris cervi ramoſa cornua Deliæ dono dat, ſed ea aliena erant manu victa. Nondum enim Mycon, qui parvus erat, tantum poterat, qui valentiſſimas beſtias ſuperaret. Itaque Deæ promittit, ſi ipſius beneficio, quæ quidem in ſylvis dominetur, tantum munus ſuum proprium poſſit donare, hoc eſt, caput earum ferarum, quas ipſe interfecerit, ſe eam ex læviſſimo marmore in morem venatricis cothurno indutam erecturum. Qua in noſtra ſententia vides & perſonæ rationem maxime convenire, ut venatori adſit Delia in feris ſuperandis, & illud *proprium* non ſolum aptiſſime ad hunc noſtrum ſenſum quadrare, ſed proprium planiſſime ſentis. Vale, atque Academiæ ſalutem dic.

ANNÆ ATESTIÆ PRINCIPI

Bartholomæus Riccius S. D.

In edenda Epiſtola ejus Parenti ſcripta, atque inſcripta ſe ipſi quoque gratum facturum ait, eamque cum Patre hac lætitia, qualique ſcriptione in ſuis Latinis literis uti debeat.

16. ETſi, quæ ſequitur, Epiſtola Herculi Parenti tuo Principi optimo ſcripta, atque inſcripta eſt, eaque ſatis ſuperque habere poterat, ſi tanta ejus inſcriptione in vulgus ederetur; ego tamen, Princeps ampliſſime, qui paulo ſum ambitioſior, cum mihi nunc hoc beneficii offerretur, ut tibi quoque in hac ejus editione quidam modo gratificarer, eam cupide arripui, non quod me fugeret, quin tuæ ampliſſimæ virtutes magis dignæ eſſent, quæ multis, ac magnis voluminibus celebrarentur, quam hoc modo, quaſi laudis guttula aſper-

gerentur. Sed ea a locupletiſſimis Scriptoribus tibi expectare licebit, utinam poſſem, a me quoque fortaſſe alias, addere. Id enim eo tibi animo præſtarem, quo Fratri tuo Principi olim feci libentiſſimo. Nunc autem cum Patre tuo ſatis habebis, ſi, qua ſcriptione in tuis Latinis literis uti debeas, a nobis didiceris. Vale.

ALOYSIO ATESTIO

Bartholomæus Riccius S. D.

Libros tres de Imitatione Alphonſo Principi primum inſcriptos multo correctiores, & emendatiores Aloyſio Fratri in ſecunda editione nuncupat. Conſilii ſui cauſſam affert, & quibus rationibus ad idem opus cum Fratre communicandum compulſus fuerit, exponit, eumque hortatur, ne ſibi deſit in ejuſdem Operis præceptis recte, ac ſedulo ſervandis.

17. SCripſi ego, Aloyſi, tres hoſce libros de Imitatione Alphonſo Principi Fratri tuo, mihique in hiſce humanioribus ſtudiis, etiam cum tu in cunis eſſes, alumno, non tam ut hoc quoque locupletiſſimo teſte meum erga illum amorem maxime teſtatum ei relinquerem, quam ut hoc etiam docendi modo illi non deeſſem. Jam hic tertius agitur annus, cum primum opus eſt editum, nulli alii inſcriptum, quam cui erat ſcriptum. Nunc vero cum hoc ipſum multo correctius, emendatiuſque ſecundo edere ſtatuiſſem, ac alicui item Principi inſcribere pari ratione ſtatuiſſem, ex iis, qui ſe mihi offerebant, cui illud hac ſua ſecunda editione quaſi dono mitti poſſet, te mihi nullus opportunior oblatus eſt. In omnibus enim, ut omnia diligenter providiſſem, nunquam id mihi ſatis cavere poteram, ne viderer, quod ajunt, ex una filia duos mihi generos comparare, ac ex eadem fidelia duos parietes dealbare voluiſſe. Qua ſuſpicione in te uno prorſus liberatus ſum. Nam cum frater ſit fere alter cum fratre, in hac mea tibi inſcriptione de Fratre tuo nihil detraxero, quod tibi cum eo hac fratris ratione non commune ſit. Ad hæc accedit, quod pari amore te proſequi videbor, qui pari etiam munere te ſim proſecutus. Nam ſi quid aliud tibi

bi ſeparatim ſcribere voluiſſem, nihil erat, aut ſi erat
mnino, certe cum hoc de Imitatione non erat compa-
andum. Præterea vero qui ego, qui alios imitari do-
ebam, ab imitatione diſcederem? qui cum vos conjun-
tiſſima voluntate, atque mutuo inter vos maxime a-
ari viderem, hoc modo meis ſcriptis disjungere, at-
ue ſeparare facile videri poſſem. Ætas item nunc tua
t, quæ Fratris erat, cum illi hoc ſcripſi, ſtudia ea-
em, par etiam intelligendi ratio, quibus rationibus
on ſolum ſuaſus, ſed etiam tractus hoc cum Fratre tuo
riſſimo tibi communicavi. Quam tamen Fraternam
ommunionem ſi magis libet propriam tuam tibi effice-
e, id facile a te obtinere poteris. Neque quicquam
ut propinquitatis, aut honeſtatis rationem violabis, ſi
ta in hujus operis præceptis verſabere, itaque hiſce u-
is operam dabis, ut brevi tui ſtudii nihil te pœniteat.
ix quo iſto tuo ſtudio ego tibi polliceor non multum ab-
ſe, cum hanc non parvam voluptatem capias. Inge-
ium tibi non deeſt, commoditas, quantam vis, da-
ur, a me vero magiſtro tuo, quod ad hanc rem fa-
it, nihil deſiderabis, ut tantum tibi providendum ſit,
t tute ipſe tibi ne defuiſſe videare. Vale.

ALOYSIO ATESTIO

Bartholomæus Riccius S. D.

Accipitris, atque ejus generis avium cæterarum uſum in venando a Regibus, Principibus, ac Primariis Civibus adhibitum novum inventum eſſe ſcriptorum optimorum teſtimoniis confirmat. Gregorium Lilium Gyraldum ſecus ſentientem refellit, judiciumque in eo requirens dilemmate rem totam conficit. Martialis Diſtichum, quo ejus ſententia nititur, ab eo male intelligi oſtendit, atque adeo Martialli illud non eſſe adjudicandum probat. In fine Epiſtolæ de Gyraldo conqueritur, quod in amore non ſatis ſibi reſpondere videatur.

1. CUm de me olim quæreres, Aloyſi, utrum accipitris, atque ejus generis avium cæterarum uſum in venando, uti nunc Reges, Principes, ac Primarii Cives habent, Majores noſtri exercuiſſent? reſpondi; cum ego

hoc quoque de doctiſſimis Viris quærerem aliquando, omnes mihi reſpondiſſe, novum eſſe inventum. Quorum ſententiam optimorum etiam Scriptorum ſententia poſtea comprobari ubique offendi. Siquidem apud Plinium nullam mentionem factam eſſe video, præſertim cum de ejus avis natura abunde agat, ac ejus etiam mirum aucupii genus, atque huic noſtro non admodum diſſimile recenſeat. Blondus vero in ſua illuſtrata Italia affirmat, CC. annorum plus minus ante ætatem ſuam id aucupii genus eſſe adinventum. Blondo Polydorus Virgilius accedit, qui & ipſe in eo opere, quod *De rerum Inventoribus* inſcripſit, in iis, quæ a noſtris inventa ſunt, reponit. Certe quidem, ſi Maronis temporibus hæc venatio inſtituta fuiſſet, is in quarto Æneidos, ubi Regiam venationem deſcribit, ejus aliquam mentionem omnino feciſſet. Quibus rationibus, atque etiam conjecturis conſtat, accipitres hominis ſtudio edoctos ad alias aves capiendas apud veteres non fuiſſe. Quod vero nunc Gregorius Lilius Vir doctiſſimus, quique ex aliorum voluminibus, quæ fere omnia lectitavit, multa ſibi volumina confecit, ſolus repertus ſit, qui adverſus tot illuſtrium Scriptorum [quid enim dicam meam?] ſententiam tibi ſcripſerit, affirmans ex hoc Diſticho, quod in poſtremis Martialis Diſtichis legitur;

Prædo fuit volucrum, famulus nunc aucupis: idem
Decipit, & captas non ſibi mœret aves;

Martialis ætate hanc aucupandi rationem fuiſſe, non poſſum non admodum mirari. Nam ſi re vera tantus Vir ita ſenſit, ejus judicium valde deſidero; ſin hoc modo veteres amicos notare voluit, illius in me amorem, ut de Madio nihil dicam, requiro. Siquidem quod ad judicium ſpectat, plane videre potuit, illud Diſtichum inter Martialis Diſticha, etiam ſi in eorum numerum conjectum ſit, minime eſſe reponendum, id quod multi, iique doctiſſimi Viri multis, ac optimis de cauſſis exiſtimant. Nam ſi Martiali illud recte attribuatur, aut ante Domitianum illud aucupium in uſu fuit, aut a Domitiano, ſub cujus imperio Martialis floruit, adinventum eſt. Quod ante uſus hic fuerit, nullum eſt verbum; quod vero Domitiani inventum non ſit, ex Tranquillo conjici poteſt, qui cum ejus Principis vitam integram perſcripſiſſet, nihil quicquam de hac re indicavit. Legas eam totam diligentiſſime,

me, relegas etiam diligentius, ſi ullam hujuſce Regiæ voluptatis ſignificationem reperias, cum Plinio, Blondo, Virgilio, ac cæteris, qui cum eis ſentiunt, victus ſum. Neque dicendum eſt, Svetonium, qui omnes ejus Principis luſus, ludos, voluptates, atque delitias etiam turpes, hanc laudatiſſimam aut ſcientem diſſimulaſſe, aut ignarum præteriiſſe. Quin id quoque meæ ſententiæ ſuffragari poſſe videtur, quod in ipſo Diſticho verba ſunt, quæ magis eam avem ſignificent, qua utuntur aucupes ad cæteras aves in retia illiciendas, quam ilicem appellant, quam aut accipitrem, aut quamvis ejus generis avem aliam. Nam cum dicit *decipit*, id ad accipitris venationem noſtram nequaquam referri poteſt. Nullis enim insidiis, nullis laqueis, nullis retibus, immo vero ille aperte in eas irruit, atque capit. Præterea vero ubi ait: *& captas non ſibi mactet aves*. Neque hoc eſt accipitris, qui prædæ ſuæ non prorſus eſt expers, ut ea eſt, quæ in retia cæteras illicit, ut columbi, ut turtures, & cætera id genus. At prædo mecum facit. At ex hoc ipſo, quod Diſtichum ſibi minime conſtat, illud adulterinum eſſe magis conjici poteſt, quod eorum verſuum ea ratio ſit, quæ ſingulis duobus verſibus ſententiam compleat; neque perpetuum quid agat, in quo ſcribendi genere cuivis facile fuit in ſuo codice aliquid tale addere. Id quod etiam in aliis hujus generis ſcriptis deprehenſum eſt, ut in *Hippocratis* Aphoriſmis, item in Ariſtotelis Problematibus, in quorum numerum, quia ſingula ſingulas ſententias habent, nonnulla, quæ a doctiſſimis medicis neque Hippocratis, neque Ariſtotelis eſſe exiſtimantur, paſſim leguntur. At quis ſui ſtudii gloriam alteri adſcribat? aut non ſibi, quam alteri, ſua ſcripta malit nuncupare? Scilicet, magnum quidem volumen, ingens gloria, duo verſus ſunt, qui multo facilius ſoli periiſſent, quam ſi eo modo cum quovis aliorum conjungerentur. Quid ſi ille ſatis habuit, cum videret ſuos verſus ita a quibuſdam probari, ut Martialis eſſe crederentur? quaſi vero longiora etiam ſcripta non alieno nomine jam multos annos legantur, neque plane conſtet opus ad Herennium nunquam a Cicerone ſcriptum, cui tamen uni adſcribitur. Item ad Octavium [ut nihil dicam de Salluſtii Oratione in Ciceronem, atque de ea, quæ illi reſpondet, quas neutrius eorum eſſe, ſunt doctiſſimi Viri, qui affirmant] Epiſto-

la illa bene & longa, & docte ſcripta, quæ Ciceronis haudquaquam a doctis Viris agnoſcitur. Id quoque accedit, quod illud Diſtichum in poſtremis adſcriptum eſt. Eſt enim octavum ab ultimo; neque etiam ſatis apto loco; qui erat, ſi poſt ſagacis canis venationem poſitum fuiſſet; ut omnibus conjecturis, atque etiam rationibus conſtet, eos verſus minime eſſe Martialis; quo uno comprobato, hoc aucupii genus apud veteres minime fuiſſe comprobatum eſt. Sed hoc quantum ad ejus judicium pertinet; nunc autem quamobrem in amicitia perpetuo mecum non manſerit, videamus. Hic per undecim annos, quos a me unice obſervatus eſt, ſatis in amore viſus eſt reſpondere. Jam vero biennium eſt, cum nulla cauſsa, quam afferre poſſit vel ineptam, non ſolum non amare, ſed etiam me odiſſe, atque de meo nomine detrahere cœpit, ut primum in Dialogo de Poetis, & ſi id quidem paulo tectius, cum me inducit de amicis ea dixiſſe, quæ mihi ne in mentem quidem unquam venerunt, tametſi poſſum id illi ignoſcere, quando is nulli in eo ſermone, ne ſuis quidem Gyraldiis fratribus, Pignæque, cui plurimum debebat, ignovit. In hoc vero, quod in me unum inſtruxit, ſeſe totum indicavit. In quo tantum abeſt, ut me ſuo loco non ambitioſe laudet, ut ſæpius, ut etiam palam mordeat. *Quid enim, quæſo, eſt, nemine impellente, artes ingenuas ſtudioſe* [ut ipſe ait] *capeſſere?* Scilicet neſciebat, me tibi in iis ſtudiis operam dare, atque eam operam dare, quæ ab omnibus probaretur; niſi forte is unus eam non ſatis probat; quod ſi ita eſt, mehercule, omnem illi hanc injuriam facile ignoſco, qui ita de me ſentiat. In poſtremo vero Dialogo inquit; *Quamquam & longe plura, & meliora ex tuis Præceptoribus audire poſſis.* Audiſtin *ex tuis Præceptoribus?* de me, qui ſolus ſum tibi, atque unicus Præceptor, dixit de *tuis Præceptoribus*, ſuam improbitatem ſignificans. At levia hæc ſunt, & puerilia. Recte quidem. Sed majora, ac graviora non habuit. Quibus ego nihil reſpondeo. Ego enim conſtantiam meam in eo amando præſtare malo, quam ejus in me maledictis parem gratiam referre. Legentur ejus, ſcio, in me ſcripta aut palam, aut alieno nomine aculeata. Legentur meæ contra ad eum Epiſtolæ amoris plenæ. Legetur Dialogus in Ferrinii morte, qui meum hunc in eum amo-

morem probe teſtabitur. Legitur in meo opere, quod de Imitatione ſcripſi, non ſemel ejus honorifica mentio. Sed ne te pluribus, atque etiam odioſis teneam, habes, Aloyſi, de accipitris venandi uſu Gyraldi ſententiam, habes Riccii magiſtri tui cum cæterorum omnium ſententia opinionem; tuum erit, atque adeo Parentis tui judicium, utra magis vobis probetur. Certe ego in eo tibi explicanda officium meum, nullas autem Junii Calendas ſecutus ſum, neque extra rem, ſed cum re ipſa conjunctus, in officio meo permanſi. Vale.

FINIS.

BARTHOLOMÆI RICCII

www.libtool.com.cn

EPISTOLARUM FAMILIARIUM LIBRI IV.

AD

JO. BAPTISTAM CAMPEGIUM

Balearium majoris Episcopum.

GRave est, Campegi, cum quis alteri debet, quo debitum solvat, is parem non habet facultatem; multo vero etiam gravius, cum nullo prorsus modo est persolvendo. Siquidem reddere beneficium multo magis tenemur, quam dare. Des enim, nec ne, in tua situm est voluntate; qui vero acceperit, nisi ejus probe memor sit, indignus est, (ut omittam, quod multis etiam pejus obesse non possit,) in quem iterum conferatur. Qua debitione, atque remunerandi ratione ego tibi jampridem valde obstrictus sum. Audio enim de multis, iisque doctissimis Viris, in primis autem de Robertello Viro in optimis studiis omnium judicio præstantissimo, te mea scripta & cum summa animi delectatione legere, & minime jejune, ac frigide commendare: separatim autem, præter

ne , tum etiam ſummo judicio prædi-
e , neque id , niſi ex animi integritate
, ſcirem , in me proficiſceretur , admo-
ut vere fatear , lætabar . Rebar enim
: id ita eſſe , atque quod a me non fa-
a , aliquid eſſe me , ut tuo prudentiſſi-
atque fideliſſimo judicio crederem , faci-
lducebar . Pro qua mea ſumma cum volu-
: , tum etiam minime vulgari laude , tan-
tibi debeo , ut , cum multa etiam retu-
, ſemper tamen multo plura , quæ referre
:am , relinquantur . Neque enim cum idem
:ua ingenua educatione , de tuis optimis ſtu-
, de tua in omnes homines humanitate ;
:ua in egenos , quod tuæ proprium eſt per-
: , charitate , atque de cæteris tuis egre-
virtutibus ea dixero , atque prædicaro , quæ

do, quod maxime cupiebam, majorem, atque tuo merito dignam nequivi, ex meis ſtudiis decerpſi: id autem eſt, ut quos quatuor mearum Epiſtolarum libros ſuperioribus octo addere, atque edere ſtatui, eos tibi gratiſſimo animo inſcriberem, atque dicarem. Niſi tamen in hac quoque parva referenda gratia magis novum munus a te accipere, quam veteri gratiam referre, videri poſſim. Quando iſta tui nominis inſcriptione multo plus dignitatis meis ſcriptis, quam tibi ex eorum dedicatione relatæ gratiæ evenire poſſit; ſpero tamen, cum quæ tua ſumma bonitas eſt, tum etiam bonorum virorum judicium, fore, ut magis quo animo hoc fiat, quam quanti res ſit, ſpectes. Cætera quidem, quæ in re verſantur, aut materia, aut artificium, haud illa quidem contemnenda, atque in parvo pretio ſunt habenda, ſed ea tamen ut externa ponderantur. Animus vero is eſt, quo totius muneris nobilitas illuſtratur. Sed utcunque ſit, aut accepti beneficii gratia, aut ejus ipſius gratiæ conduplicata ratio, in eam ego partem accipio, qua quid in optimam acciperem. Neque enim cui plurimum debeam, multo etiam magis debere me, unquam pigebit. Habe igitur, Præſul ampliſſime, quatuor mearum Epiſtolarum libros, hoc eſt, eorum ſcriptorum, quibus te maxime delectari dicis, ſub tuo nomine editos, ſi

non

non relatæ tui veteris officii, saltem acceptæ novæ gratiæ loco, meque, de quo antea tua sponte tam honorifice loquebaris, nunc tui ob singulares tuas virtutes studiosissimum, in tuorum numero aliquo habe. Vale.

XV. Kal. Januar. MDLXII.



BARTHOLOMÆI RICCII

www.libtool.com.cn

EPISTOLARUM

ALTERIUS VOLUMINIS

LIBER PRIMUS.

CAROLO AUSTRIO PHILIPPI FILIO

Hiſpaniæ Principi

Bartholomæus Riccius S. P. D.

Orationem de Caroli Cæſaris Avi factis illuſtribus in ejus funere habitam vi dicas, eandem hac etiam Epiſtola ſummis laudibus extollens. Ut autem ea in plurium manus perveniat, Orationi non parum ponderis, atque ornamenti acceſſurum addit, ſi ipſam cum ſuis ſimilibus Principibus Princeps communicarit.

1. DUo ſunt, Carole Princeps Ampliſſime, quibus homo erga hominem maxime afficitur, tacita naturæ vis alterum, virtutis nobilitas alterum. Multi enim ſunt, qui naturali quadam propenſione primo aſpectu ad alii bene cupiendum facile adducuntur; contra vero non pauciores, qui, ut quoſdam ſemel viderint, eos libenti animo videre non poſſint. Virtutis vero quanta vis ſit ad eos, in quibus eſt, amandos, qui non norit, indignus eſt, qui ab ullo ametur. Horum ego utroque ita in Carolum Cæſarem Avum tuum viventem afficiebar, ut paucis concederem, qui id ardentius facerent. Quare etiam, quoties iis ſermonibus, qui de ejus egregiis factis inter homines, ut fit, haberentur, aut caſu intereſſem, aut etiam dedita opera eos inſtituiſſem, hujus partes ſemper enixe tutabar, in quo conflictu, ut ille ſuos, ego meos adverſarios ſemper frangebam. Nunc vero cum is feliciter deceſſiſſet, meum eſſe duxi, ut in mea erga tantum Imperatorem ſenten-

tia

tia permanens, quem vivum tantum amassem, ejus quod que mortui memoriam pie colerem, hoc est, si in ejus funere res ab eo præclare gestas commemorarem, quando laudarem dicere hominis esset insolentissimi. Itaque feci. Sed quid ego me fecisse dico? qui pro earum multitudine vix millesimam partem attigisse videor? Quis enim tantus stilus? quod tantum eloquentiæ flumen? quæ tanta Orationis ubertas, atque dicendi copia est, quæ Caroli Cæsaris facta illustria vel longis voluminibus enarrare posset? Sed quicquid id fuit, quod ego attigi, cum id in hominum manus exire cuperem, atque eorum in primis, qui eadem animi affectione in illum & fuissent vivum, & essent etiam mortuum; tu mihi unus omnium visus es, Carole Princeps, cui non solum hanc meam laudationem legendam mitterem, sed eam etiam hoc suo in vulgum publico exitu reverenter dicarem. Nemo enim, uno Philippo Patre tuo semper excepto, qui, quam ipse facis, illi propius accedat. Neque est, qui laudes alicujus libentius audiat, quam quicum earum maxima pars, ut hujus tecum sit, communicetur, præsertim ista ætate, quæ omnibus optimis opinionibus imbuenda est. Etsi me non præterit, quam tua quoque sponte ad omnem summæ gloriæ amplitudinem erectus sis; cum tamen in Majorum tuorum gloriam aut legendo, aut audiendo intueberis, non dubito, quin multo ardentius ad eam consequendam inciteris. At, Ricci, [quispiam hic] tu quidem in Cæsare Carolo excolendo valde commendandus es. Qui enim Solem lucere negant, ejus lumen qui videant prorsus indigni sunt. Neque fortasse improbandus, si cum multis aliis tuum istum in eum animum hoc quoque modo palam testari voluisti, in eo vero, quod cum Illustrissimo Principe homuncius, atque senio confectus, neque illi quicquam ante vel de nomine cognitus tam familiariter agas, vide ne parum consideratè fit viri. At ego, cum ejus Regiis virtutibus, tum etiam illa natura, quam omni humanitate, comitate, facilitate conditam esse audio, fretus, tantum abest, ut in hac mea animi erga illum ingenua significatione quicquam honestæ accusationis pertimescam, ut etiam sperem, huic meæ Orationi non parum ponderis, atque ornamenti accessurum, cum ille illam cum sui similibus Principibus Princeps communicarit.

Hoc

Hoc illi. Nunc ad te redeo. Si quid eſt omnino, Carole, quod mihi in hac re dolendum ſit, illud quidem eſt, quod Orationis granditate, ut par fuit, Cæſaris Caroli Avi tui rerum geſtarum magnitudinem æquare non potuerim. Equidem omne ſtudium, atque omnem operam adhibui, quantaque in me fuit, ſi modo ulla eſt, dicendi facultate, atque virtute contendi, ut id aſſequerer. Sed quis tantum ejus tubæ ſonitum? quis armorum terrorem? quis militarium tormentorum tonitrua? quis præliorum honorificos concurſus? quis fluctuum ingentes fragores? quis bellorum ipſorum fulmina? quis reliquorum factorum ſummam ejus animi altitudinem dicendo æquaret? Immo vero quis tantus Orator reperiri poſſet, cujus oratio vel ad horum quodvis non langueſceret, non concideret, non deficeret? quique cum omnia omni Orationis ornatu collaudaſſet, frigide tamen, jejune, atque languide non laudaſſet? Ergo ego in hoc quoque parum conſulte feci, qui id auſus ſim, quod aſſequi minime quirem. Sane quidem; ſed quid facerem? Meo illi deſiderio vim facere non potui. Vicit me animi mei in illum naturalis affectio, ut quicquid poſſem, quando quod vellem, non liceret, non omitterem. Quanquam in eo ſocios habere præſtantiſſimos Viros, qui hoc quoque auſi ſunt complures, multo levius erratum meum facere poteſt. Neque poſtremo cuiquam vetitum eſt, quia Solem interius intueri non poſſit, ne ejus quoque lumen longe lateque fuſum intueatur; ut ego, qui Orationis meæ aciem ad ejus virtutis ſplendorem præfractam eſſe ſentirem; hæc tamen, quæ tibi de illo mitto, ex ejus aliquo Numine meo ſtilo perſequi non diffiderem. Habe igitur, Princeps Ampliſſime, quæ de Caroli Cæſaris Avi tui eximia laude ſtrictim a nobis percurſa ſunt, cætera a cæteris, ſi tamen hoc ipſi quoque aſſequi poterunt, & majori dicendi copia pertractata, & omnibus Oratoriis luminibus ornata, atque diſtincta interea expectans. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Herculi Campegio S. D.

Epistolarum suarum, quæ sub prælo sunt, impressori se mandasse significat, ut ei copiam faciat, volumen integrum, cum opus absolutum erit, se missurum pollicitus. Modeste tributam suis scriptis a Robertello laudem elevat.

2. UTinam ita esset, quemadmodum Robertellus tuus de nostris scriptis tibi retulit. Omnes enim, qui hodie scribendo nomen aliquod sibi confecerunt, facile superassem; sed id eum cum amicitiæ nostræ, tum optimæ naturæ suæ magis, quam quod ea ejus generis sint, quæ a tanto Viro tantopere laudentur, dedisse excuso. Is enim a me tuo nomine mearum Epistolarum, quæ istic sub prælo sunt ad octavum librum, volumen petiit, idque te valde cupere significans; cui ego statim rescripsi, atque una simul meo impressori scripsi, ut earum eam copiam, quam velles, tibi faceret. Equidem, ut opus absolutum esset, expectabam; postea, si in primis, quibus illud misissem, non esses, certe in postremis non fuisses. Tametsi ego mea scripta magis a mediocriter instructis, quam a tui similibus elegantissimis Viris legi malim. Novi enim tuum judicium vel ab eo tempore, quo te Bonamicus noster domi tuæ cum fratre tuo majore natu in hisce nostris studiis institueret, cum vero postea Venetiis multo magis. Patavii vero ubi cum ætate, tum etiam optimis studiis auctior factus es, quid omnibus Bonamicus de tuo ingenio referret, optime recordor. Sed tua tamen humanitate fretus id libenter feci, qui de nullo, nisi modeste loqueris, & si quid in eorum scriptis desideras, id tibi soli desideras. Habe igitur a tuo Riccio volumen, quod petis, integrum, cum opus absolutum erit, exspectaturus. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Thomæ Cuſpio XL. Viro S. D.

Fuſchinium amicum ſuum commendat, ut inter præſtantiſſimos Juris conſultos delectus cauſſis publicis dijudicandis præficiatur, ejus integritatem, & ſcientiam in multis muneribus publi is ab eo exercitis perſpectam proponens. Rogat, ut animum ſuum virtute ipſa in Fuſchinium ſatis incitatum ſua quoque cauſſa etiam incitatius urgeat, ut omnino in iis decernatur, nullamque ſe in hac commendatione excuſationem accepturum denuntiat.

3. QUam ego in amicis meis commendandis ſim diligens, quaque id meliore de nota facere ſoleam, plane ſcis. In hoc uno tamen Fuſchinio tibi commendando cum omnia fecero, quibus tibi commendatiſſimus ſit, eum vulgariter commendaſſe videbor. Tot enim, ac tantæ neceſſitudinis cauſſæ inter nos intercedunt, ut, niſi, quod petimus, nobis obtinebis, minime mihi ſim ſatisfacturus. Meus primum Civis eſt, hoc eſt, cujus gloria mecum quoque cum cæteris Civibus communicatur. Civitatis vero conjunctionem vicinia, atque eadem Sacra conjunctiorem efficit. Huc accedit, quod ego non ſolum ejus ſuaviſſima conſuetudine, ſed in Jure etiam optimo jam multos annos uſus ſum conſilio. Verum ſingularis ejus integritas, quæ multis, ac magnis in rebus ſæpius perſpecta eſt, cur ego hunc tanti faciam, maxima eſt cauſſa. Hic ab amicis ſuis, ſe eorum opera in iis præſtantiſſimis Juris conſultis, qui vobis multi propoſiti ſunt, ex quibus poſtea deligatis, quos cauſſis publicis dijudicandis præficiatis, eſſe adnumeratum, atque in eorum albo deſcriptum, fit certior, quorum cum amiciſſimi erga ſe animi operam, tum veſtram etiam tantam dignitatem omnium ſibi gratiſſimam accidiſſe, ut demonſtraret, omnibus eorum, atque cæterorum amicorum commendationibus in eam incumbit, meque per unum in primis, quem apud te, atque aliquot etiam tuos Collegas plurimum valere jam pridem novit. Hunc igitur tibi nunc, paulo poſt cum aliis hanc *eandem* illi operam daturus, non quantum ejus virtus po-

poſtulat, quæ omnibus per ſe commendatiſſima eſſe debet ſed quantum mutua, atque ſumma inter nos benevolentia me facere cogit, commendo. Habebis Virum in cauſis dijudicandis exercitatiſſimum, qui primum, idque admodum adoleſcens, Ferrariæ quæſtionum, poſtea Regii Lepidi provocationum Judex fuit; quibus abſolutis ſub Strotio Gubernatore totum illud tempus judicavit. Ferrariam rediens provocationi iterum præficitur. Carpenſem poſtea, deinde Regienſem Præturam geſſit, nunc vero totius Ferrarienſis Ditionis cæterorum Judicum, quem Sindicatum dicunt, animadverſionem cum publica Feudi interpretatione feliciter pergit exercere. Sed, quod familiam ducit, æquiſſimum Judicem, quemque nullis reus aut precibus, aut præmiis a recto judicio ſit, vel quantum pilus eſt, deducturus. Quibus bonis etſi ſcio jam tibi, ut tui ſimillimum, hunc jam valde commendatum eſſe, tamen, ut aliquid ipſe quoque addam de meo, præter hoc de eo veriſſimum teſtimonium, te rogo, ut animum tuum, quem video virtute ipſa in hunc ſatis incitatum, mea quoque cauſſa etiam incitatius urgeas, atque ita cum Paleotio, atque Bolognetio agas, ut noſter omnino in iis decernatur. Nullam enim in hac commendatione excuſationem accipio. Pro quo tuo iſto ſummo beneficio promitto tibi, Cives tuos nunquam ſatis dignas gratias tibi acturos, atque etiam habituros; me vero, ſi quid tibi amplius debere poſſum, id aut hac una ratione, aut nulla alia debiturum. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Herculi Malvetio XL. Viro S. D.

In commendando Fuſchinio ſe ſuffragatores optimos habere, gratioſos Viros, ejus Collegas oſtendit; ſed rogat, ut ſe quaſi inſtitutæ petitioni ducem, atque gubernatorem adhibeat, cujus auctoritate futurum ſperat, ut Fuſchinius Vir ſumma integritate, atque in judicando uſu, ac ſcientia preditus inter primos renuntietur.

MAgis tua ſingulari humanitate, quam noſtra ulla veteri conſuetudine, qui vix ſemel, atque

iterum ad Bevilaquios tuos collocuti ſumus, hoc, quod facio, adducor, ut faciam. Satis enim mihi arbitror futurum, ſi, quod a te contendam, honeſtum, atque pro honeſto Viro me petere, tibi comprobaro. Ego, Malveti, valde laboro, ut Fuſchinius Vir optimis moribus præditus, neque inter Juris conſultos poſtremus, unus ex iis, quibus vos, ut dicitis, Rotam conficitis, decernatur. Scio complures vobis optimos Viros, Juris autem conſultos peritiſſimos eſſe propoſitos; ſed noſter quoque cum iis facile numerari poteſt. Quare ego hunc tibi, multiſque aliis, ut ſuos alii aliis, commendo: in qua noſtra petitione optimos ſuffragatores habemus, gratioſos Viros, Collegas tuos. Verum ſi tu te quaſi inſtitutæ petitioni ducem, atque gubernatorem adhibebis, non dubito, quin primi renuntiemur. Scio quantum in iſto XL. Virum Collegio valeas, ac quanta auctoritate in univerſa ſis Civitate. Unum mihi tanta in hac commendatione mea deeſſe videtur, ut antiquior, atque frequentior uſus inter nos intercedat. Verum cum illum cum univerſa mea Ricciorum familia, quæ tota tibi addicta eſt, habeas, mecum quoque ut habeas, oportet. Tametſi non hoc tantum noſtra, aut cujuſquam gratia peto, quam Fuſchinii ipſius ſumma integritate, atque in judicando veteri uſu, ac ſcientia fretus poſtulo. Quod ſi, ut ſpero, impetro, promitto tibi, fidemque meam obſtringo, te nulli unquam meliori, atque prudentiori Viro, atque etiam magis grato operam, ac ſtudium tuum præſtitiſſe, brevi eſſe cogniturum; me vero tibi ita obſtricturum, ut qui tibi omnibus officiis obligati ſint, nihil iis maximæ debitionis ſim conceſſurus. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Camillo Paleotio XL. Viro S. D.

www.libtool.com.cn

Dolet, ſibi nihil recte ex omnibus proceſſiſſe, quæ domi conſtituerat, ſe Bononiæ facturum; ex iis autem, quod in Urbe illum non offenderit, ut cum eo ageret de duobus Poematibus Heroico verſu ſcriptis a Camillo Paleotio ejus Gentili, hortaturque, ut ea publici juris faciat, neque diutius in hominum ignoratione cum univerſæ Paleotiæ Gentis ingenti gloria jacere patiatur.

5. CUm ego Bononiam multis de cauſſis proxime veniſſem, nihil eorum, quæ domi conſtitueram iſtic agenda, recte mihi proceſſit. Omnia enim aut adverſa accidere, aut ſaltem, ut volebam, non facile evenere; ut etiam in levioribus negotiis fortuna hominem ludibrio habere non negligat. In iis autem id quoque mihi adverſum accidit, quod te in Urbe non offendi, neque illos etiam quinquaginta dies, quibus ego iſtic manſi, tu unquam interea peregre domum rediiſti. Tecum enim mirum in modum eſſe cupiebam. Nam cum abhinc quadraginta annos plus minus Camilli Paleotii Gentilis tui præſtantiſſimi Viri, cujus nomen tu fortaſſe refers, duo præclara Poemata, utraque Heroico verſu ſcripta legiſſem, alterum, quod ipſe in Virgiliana ut dicunt, prælectione, alterum Ovidiana ex publico loco recitaſſet, ita ea mihi tum argumento, tum ſcriptionis dignitate probata ſunt, ut avide poſtea ſemper expectarim, ut hæc aliquando tandem alicunde in vulgus exirent. Cujus mei deſiderii tamen nunquam compos ſum factus. Quin etiam interdum ſubveritus ſum, te aut aliquo malo fato perierint, aut, quod ab improbis fieri ſolet, aliquis ſibi ea interverterit; de quibus, quid factum eſſet, de te facile ſcire poſſe ſperabam. Quod meum deſiderium Marco quoque Tullio Berne optimo Civi tuo expoſui. Quin etiam Virgilianæ argumentum illi totum explicavi. Hoc autem ejus erat initium:

Iverat Imperio magni genitoris opacam
Umbrarum in ſedem, & late ſqualentia regna
Interpres Divum.

Hæc pauca mihi tantum hæsere. Quæ carmina, atque etiam reliqua, (non enim arbitror, tantum Virum hæc sola scripsisse,) si apud te sunt, miror, quod non videas, quam diu in hominum ignoratione jaceant, tam diu cum illis & ejus, & tuam, & universæ Paleotiæ gentis ingentem gloriam jacere. Si vero penes quempiam tuorum conduntur, tua eadem cura esse debuit, ut inde quoque in vulgus eruerentur. Quod meum desiderium, vel etiam, si mavis, consilium, si tibi nimis familiare videbitur, tuam humanitatem, quam ab omnibus prædicari audiebam, quaque ego fretus ita tecum egi, excusabis; aut si quicquam omnino in me accusare voles, etiam summam erga ejus Viri vel manes ipsos benevolentiam accusabis, qui hac mea cupiditate nihil aliud, quam ejus gloriam; quid enim memoriam dicam? ex Inferis in hanc lucem eruendam esse cupio. Vale, ac Cuspio collegæ tuo meo nomine plurimam salutem dicito. Ferrariæ XVI. Cal. Decemb. MDLVII.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Camillo Paleotio S. D.

Amici laudes tamquam a laudatissimo Viro profectas sibi gratissimas accidisse profitetur, seque in posterum ejus hospitio peramice oblato usurum promittit. De Camilli ejus Patrui versibus Heroicis cum Epigrammatibus ad se missis gratias agit, judiciumque suum de iis exponit, eorum inventionem, inventorum aptam dispositionem, & elocutionem miris laudibus extollens, & Poeticæ artis ornamenta omnia, ac virtutes in iis inesse declarans. Pro versibus autem suum de Imitatione ad eum opus mittit, illos sibi soli missos, istud vero jampridem cum cæteris omnibus communicatum significans.

6. CONstitueram, quod nunc per literas tecum ago, brevi me coram esse facturum, sed cum meum istuc adventum aliud ex alio incommodum differre pergeret, ne diu tacendo meam gratissimam naturam offenderem, tuam autem summam humanitatem contemnere viderer; malui hoc modo neutri deesse, quam diu-

is expectare, dum facultas daretur, ut coram utri-
atisfacerem; quæ tamen ſi detur, non eam non a-
arripiam, ut hoc meum officium multo etiam plu-
præſens renovem. Ego te, Paleoti, jam in eo a-
um numero, qui mecum omnibus neceſſitudinis
conjuncti ſunt, facile numerare poſſum, quando
veteribus amicis novus amicus neque benevolentiæ,
officii quicquam concedis. Dii boni, quid ami-
aut magis benevole a quoquam eorum, qui mi-
intimis ſunt, quam quod tu proxime facis, re-
poſſet? Nam, ut omittam, quod nullum mei lau-
finem facis, quæ laus, quoniam a laudatiſſimo
proficiſcitur, mihi ut gratiſſima accidat, neceſſe
atque unum illud tantum recenſeam, quod me tam
iriter accuſas, qui vel te abſente, quibus multis
Bononiæ fui, tuorum hoſpitio non ſim peramice
quam tuam liberaliſſimam accuſationem, etſi mi-
quam, qui te ac tuos tantum propter ſingulares
es veſtras amarim, præterea vero nihil neque u-
neque verborum inter nos interceſſiſſet, quoniam
ſummi amoris, atque humanitatis erga me tuæ
ena, non poſſum non valde probare, atque vehe-
r amare. Quem meum errorem, (ita enim meam
ſtiam tua liberalitate appellas) ut dedita opera cor-
, non ſolum mones, ſed etiam rogas. Quod ego
acturum tibi recipio, cum ut ad animi conjuncti-
hoſpitii quoque neceſſitudo accedat, tum etiam,
gratus videar, ſi tuam tantam liberalitatem toto
ccipiam animo. Non enim illum minus grate fa-
rbitror, qui accepti beneficii nullam gratiam re-
quam qui benigne oblatam non accipit. Quid ve-
quod in Camilli Patrui tui verſibus tuo quoque of-
meam expectationem ſuperaſti? Nam cum ego illos
d Gentis tuæ gloriam edendos tantum hortarer, tu
eos deſcribendos curaſti, ut, quoad eorum exem-
cum cæteris publice communicaretur, hoc ego
interea privato perfruerer. Neque totum ſolum, de
s ego tecum agebam, exemplum mihi miſiſti, ſed
ajorem tuæ erga me benevolentiæ ſignificationem,
rammata iis quoque addidiſti. Quod vero me ro-
ut quid ego de omnibus ſentiam, id ad te libere
ribam, atque etiam, ubi videbitur, emendem, at-

que corrigam, reſpondeo, hoc quoque magis tuam ſingularem humanitatem præſeferre, quam ad meam ejus rei ſcientiam pertinere. Equidem, Paleoti, tantum in eo ſcriptorum genere profeci, quantum qui ea cæteris explicant, non autem quantum, qui natura ad illud exercendum & nati, & facti ſunt, quos nihil latere poteſt, in quo aut quid vitii, aut virtutis inſit. Si quid ego tamen in docendo ex ejus, ut fit, artificio, atque virtute detexi, id, ut in iſto tuo deſiderio depromam, omnem operam dabo; ſed non eo, ut in illis quicquam corrigam, verum ut tuæ honeſtiſſimæ petitioni obſequi voluiſſe videri poſſim. Primum igitur in eo genere verſuum, quæ Epigrammata appellantur, quibus cum de amoribus ſuis, tum etiam amicorum varie ludit, pictorem rudem imitari videtur, qui hominis formam, quam aut ex aliquo optimo ſigno, aut mente ſua etiam meliori ſibi conceperit, primis ſuis penicillis in ſuis tabulis effingere conatur, quod quidem ſuis optime diductis lineis facile facere poterit, ſed ſuis certis coloribus ad vivum eam nondum exprimere didicerit; ita iſte tuus in primis ſuis carminibus faciendis ludere videtur, qui nondum polite, atque ſuis luminibus carmen ſuum illuſtrabat. Ut vero multas tabellas experiendo confecit, ac naturæ longum uſum adjunxit, optimus omnium rerum imitator eſt factus, ut in Heroico, in quo omnes colores, omnem artem, omnem dignitatem, omnes ſplendores conſumit. Tria ſunt in quibus omnis Scriptor verſatur; inventio; inventorum apta diſpoſitio; elocutio. Hæc omnia in illo ſplendide florent. Mirus enim, ſi quis alius, eſt in inveniendo; in diſpoſitione cave, quicquam eo compoſitius videas, aut in quo planius perpetuum filum ſervetur. In ejus vero dictione omnia veterum lumina elucent, omnes virtutes extant. Grandiorem Poeticam orationem efficit epithetum aut proprium, aut aliunde quaſi mutuo ſumptum. Translatio, imago, comparatio in magnis Poetæ ornamentis ponuntur. Brevitas, cum res poſtulat, auditorem recreat, cum etiam ſuo loco copia ſpatiatur, ejus animum mirum in modum oblectat. Rem ita enarrare, ut ante oculos geri videatur, ſumma Scriptoris laus eſt. In decoro vero ſervando, hoc eſt, a natura nuſquam diſcedere; videre quid deceat, quid non,

non, idque optime præstare, non solum in præstantioribus scriptis, sed etiam in scena maximam laudem tulit. Unus postremo proprius est Poetæ numerus, quo uno cum auditoris aures maxime permulcentur, tum se Poetæ laus concinniſſime extollit. Quæ omnia ita noſter [quid enim semper tuus dicam?] sua certa possidet, ut ex eorum virtute perfectam sibi compositionem conficiat. Recordor, me jam abhinc multos annos Andreæ Navagerio homini doctiſſimo, sed in primis summo judicio, hujus Heroicum Virgilianum legiſſe. Is adolescentem istum admirabatur, mireque commendabat. Sed illum terris Dii invidere, itaque nobis illum nimis cito sibi eripuere. Nam si huic in tot bonis unus vitæ cursus longior, qui multis beſtiis in hominum forma datur, conceſſus fuiſſet, veteres Virgilios ætati noſtræ repræsentare potuiſſet. Sed ita est; mortem optimum quemque celerius rapere, ignaviores contemnere, atque, ut in sua ignorantia longiſſime dormiant, sinere. Sed ut ad me tandem redeam, ego, mi Paleoti, pro isto tuo, quo me patrio prosequeris amore, summa te observantia colam, in qua, ut te cum cæteris tui similibus superem, omnia conaturum polliceor. Pro tuis autem versibus opus meum tibi de Imitatione mitto, in eo quidem inferior, quod tui versus mihi soli sunt missi, meum autem opus tibi cum cæteris omnibus jampridem communicatum habes. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Camillo Paleotio XL. Viro S. D.

Fuscbinium antiquæ fidei, & bonitatis Virum in judicando exercitatiſſimum enixe ei commendat, ut suffragatione sua cum cæteris XL. Viris Collegis Rotæ, quod dicunt, Judicum numero adjungendum curet. Commendationis autem ratio mira sane est, ac singularis.

7. QUoniam virtus ipsa, in quibus perspecta sit, eos sua sponte valde commendatos efficit, neque iis præterea quicquam alienum opus est ad omnia impetranda, ut qui omnibus per se digniſſimi sint; ego ut amici mei in omnibus rebus integritatem, in judicando vero

vero ſummam ſcientiam cum ſumma æquitate conjunctam oſtendero, ſatis huic meæ commendationi fecero. Joannes Baptiſta Fuſchinius Vir ſumma integritate præditus, atque in utroque Jure optime inſtitutus eſt, quique domi, foriſque multos Magiſtratus integerrime geſſit, in quibus Carpenſis, atque Regienſis Præturæ æquiſſime ſunt abſolutæ; nunc vero Ferrariæ non ſolum de cæteris Judicibus, [quem Sindicatum dicunt] æque judicare, ac Feudum publice interpretari pergit; ſed cum, quæ multa huic quotidie privata compromiſſa, tum etiam quæ a Principe ipſo minime vulgares cauſſæ deferuntur, pari æquitate componit, atque iudicat; in una vero vera Religione, quod maxime ad rem facit, colenda Vir eſt probatiſſimus. Sed ne te pluribus teneam, ac rem uno verbo tibi abſolvam, antiquæ Vir eſt & fidei, & bonitatis. Hæc ſunt, quæ ego tibi de Fuſchinii virtute cum polliceor, tum etiam fideliter ſum præſtiturus. Hic in eorum præſtantiſſimorum Virorum numero conſcriptus eſt, ex quo ipſe cum cæteris XL. Viris Collegis tuis Rotæ, quod dicunt, Judicum numerum eſtis poſtea confecturi. Ego, Paleoti, ſi mea cauſſa a te peterem, ut in hac petitione illi adeſſes, continuo per Camilli patrui tui clariſſimi Viri, cujus tu & nomen, & prudentiam refers, ſanctiſſimos cineres te obteſtarer; deinde per noſtram, quam ſcis paulo ante incæptam eſſe, amicitiam omnibus precibus orarem, ut eam hoc uno officio, quaſi optimo fundamento, communires, atque fulcires. Adderem ſingularem humanitatem tuam, qua me domi tuæ accepiſti, ac prope hoſpitii religionem interponerem. Poſtremo, quæ in me non levia officia contuliſti, ut ea in Fuſchinii petitione cumulares, te etiam atque etiam rogarem. Sed quoniam una virtus agitur, eaque per ſe ſatis commendata eſt, iis præſertim, qui ea quoque maxime ſint præditi; unum ego tantum agam, ut, ſi quid in iſta tua ſuffragatione aut animo tuo, aut Fuſchinii virtuti, diligentioris ſtudii, aut ardentioris curæ adjungi poteſt, id mea ſumma in te obſervantia, tuaque erga me ſingulari benevolentia adjungatur. Quod, etſi id totum cum ejus integritati, tum tuæ virtuti dabis, polliceor tamen, me iſto tuo officio ita tibi in perpetuum eſſe debiturum, ac ſi id mihi ſoli dediſſes, neque alia cauſſa, quam mea ſo-

admodum admonet de commendatione ipſi facta, de ſolus ex multis nihil reſcripſerat, aitque, ſibi per- um eſſe, eum ſecum familiarius agere, ut petitioni magis officio, quam literis reſpondeat.

U ſolus, Paleoti, ex multis tuis Collegis, qui- bus eadem de re ſcripſi, reliquus es, qui mihi eſcripſiſti. Credo, te mecum familiarius agere, ut ni meæ magis officio tuo, quam tuis literis re- as. Nollem tamen, ut fieri ſolet, eas literas Ta- i, quæ maxima eſt, negligentia periiſſe. Quare hac ratione has breviſſimas ad te exaravi, quam ad illas reſcribendum provocarem. Satis mihi eſt te illas accepiſſe. Nam ſi ſecus accidiſſet, aut eaſ- tibi remittendas curarem, aut aliis eamdem com- rationem renovarem. Vale.

ARTHOLOMÆUS RICCIUS

Franciſco Bolognetio XL. Viro S. D.

eteri more, quo receptum eſt, ut etiam ſummi Viri iſtratus quodammodo ambiant, ait, ſe ad eum ſcri- . & commendare Fuſchinium præſtantiſſimum Virum.

ambitioſos eſſe, ut niſi vobis quoque ſcripſiſſem, petitioni meæ aliquo modo nocuiſſem; malui tamen utrique ſeparatim ſuam quoque Epiſtolam exarare, idque magis, quia ſcirem, vos mea ſcripta libenter legere, quam quod ego vel omnibus precibus a vobis contenderim, ut mihi, quam Cuſpii vel unico verbo, facilius daretis. Tecum igitur nunc, Bologneti, paullo poſt cum Paleotio agam. Audio non multum abeſſe, cum novi Judices, quibus publicas cauſsas judicandas committitis, vobis deligendi ſunt, multoſque, eoſque præſtantiſſimos Viros hanc judicationem eſſe competituros, in quibus etiam meus Fuſchinius adnumeratur. Hic, ne te fruſtra multis morer, qui reliqua a Cuſpio habebis, is Vir eſt, quem ſi ipſi pernoviſſetis, abſentem, atque cætera omnia agentem omnibus ſententiis decerneretis. Tamen quia vetus eſt mos, ut etiam ſummi Viri Magiſtratus quodammodo ambiant, ejus amicis, in quibus ego haud poſtremus ſum, videndum eſt, ne quid ei deſimus. Quare ego te etiam, atque etiam rogo, ut una cum Cuſpio, atque Paleotio ita petitionem noſtram ſuſcipias, ut eam nobis, ut volumus, abſolutam tradas. Id, quod facillimum ſpero futurum. Quis enim tribus honeſtiſſimis Viris, ut de reliquis tribus Malvetio, Gislerio, atque Elifantutio nihil dicam, in honeſtiſſima petitione ſuum ſuffragium non dabit? Pro quo iſto tuo ſummo officio Fuſchinium ipſum tibi in perpetuum obligaveris; me vero, quem jampridem obligatiſſimum habes, etiam ſtrictius devinxeris. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Franciſco Bolognetio XL. Viro S. D.

Poſtquam de Corradii Bononienſis Academiæ ſplendidiſſimi luminis obitu conqueſtus eſt, ejuſque præclaras virtutes recenſuit, Aonium Palearium Mediolanenſibus eamdem publicam docendi operam dantem nominat, eumque cum ſoluta, tum etiam adſtrictiori oratione cum paucis pereleganter, atque luminoſe & ſcribere, & canere ita omnibus conſtare ait, ut hæc Epiſtola magis currenti ſit calcar, quam amici commendatio. Poſtulat autem, ut legendam nonnullis ex XL. Viris mittat, eoſque nomine ſuo roget, ut Corradio Palearium ſufficiendum decernant.

10. UT mihi de Corradii noſtri obitu nuntiatum eſt, multis, iiſque honeſtiſſimis de cauſſis graviter, moleſteque tuli. Primum, quod quaſi alterum filium, qui me parentem pie appellabat, amiſi; deinde, quod in eo magnam jacturam res literaria feciſſe videtur, qui & in eleganter ſcribendo, & ſuperiore de loco erudite docendo, eam quotidie novis ſcriptis, atque præceptis cumulatiorem reddebat; poſtremo, quod veſtra Bononienſis Academia tanto Viro orbata ſit, cui ut parem reperiat, fortaſſe non facile fiet. Nam ad eas literas, quas profitebatur, ejus generis mores accedebant, qui in paucioribus probantur. Equidem modeſtiorem, humaniorem, ſanctiorem Virum non cognovi, qui nihilo magis movebatur adverſis, quam etiam lætis, ac ſecundis rebus faceret, in quibus ne vultum quidem mutabat; ejus autem ſermo, congreſſus, hoſpitia fuere, quæ ejus generis moribus optime reſponderent. Sed quid ego ejus virtutes tibi commemoro, qui eum optime noras, & amaras plurimum? Quin quod reſtat, magis curandum eſt. Ego, Bologneti, certo ſcio, iſtum XL. Virum Ordinem alium Corradio brevi ſubſtituturum. Quoniam vero mihi in tanto amico adempto providere non poſſum, neque ab eo quicquam noſtris ſtudiis amplius ſperandum eſt, ac tantum, quod vobis damnum ex ejus obitu accidit, id optime præſtari poteſt, ſi alium in ejus locum delegeritis; in quo ejus deſiderio mederi poſſem, par eſſe du-

duxi, ſi mihi non deeſſem. Equidem non dubito, quin multi, iique doctiſſimi Viri Senatui veſtro propoſiti ſint, ex quibus is decernatur, qui Corradio ſufficiatur; verum ſi inter eos unus Aonius Palearius, qui Mediolanenſibus hanc eamdem publicam docendi operam dat, nominetur, ego fidem meam tibi do, fore, ut quicquid de eo decreveritis, modo quod cum veſtra, atque ejus dignitate fiat, id eum eſſe optime comprobaturum. Commendarem ego tibi amicum meum quam diligentiſſime, rogaremque, quantum in te eſſet, efficeres, ut in demortui amici loco vetus amicus meus decerneretur, probaremque iſto loco, ſi quiſquam alius, digniſſimum eſſe; niſi ſcirem, te quoque eum valde amare; omnibus vero ex doctiſſimis atque elegantiſſimis ejus ſcriptis conſtaret, unum Aonium eſſe, qui cum ſoluta, tum etiam adſtrictiori oratione, quod paucis ad hanc ætatem datum eſt, æque pereleganter, atque luminoſe & ſcribat, & canat; tamen ſi quid amori erga illum tuo adjungi poteſt, id ut mea cauſſa adjungatur, te etiam, atque etiam rogo; ut quaſi hæc mea Epiſtola magis currenti ſit calcar, quam amici commendatio. Malvetio, Ghislerio, Cuſpio, Fantutio XL. Viris hanc meam Epiſtolam legendam mittes, atque eos poſtea meo nomine rogabis, ut in hac cauſſa mihi tecum adſint, ac qua ratione tecum ago, eadem me ſecum egiſſe exiſtiment. Quod ſi a vobis impetro, etiam ſi omnem gratiam vobis referam, ſemper tamen apud me ea erit integra. Vale. Ferrariæ Non. Septemb. MDLVI.

BAR-

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Joanni Antonio Locatellio S. D.

Rationem reddit, cur Sylvium Antonianium adoleſcentem non ſolum cæteris in amore præferre debeat, ſed eum, quantum ſe ipſum, amare cogatur. Ex hoc autem vehementi Epiſtolæ initio Antonianii multiplex commendatio apud Locatellium oritur, quem enixe orat, ut ad conſtitutam horam domi ſuæ in Philoſophiæ præceptis eum inſtituat, quemadmodum & publice, & privatim paterne faciebat Madius, qui propter armorum tumultus cum cæteris Academiæ Ferrarienſis Doctoribus dimiſſus eſt.

11. CUm Sylvius Antonianius in humanioribus ſtudiis cum eruditione, tum etiam judicio ſit adoleſcens, qui in iis æquales paucos pares, in illo vero neminem habeat ſuperiorem, ſi illum non plurimum diligam, literis injuriam facere videar. Verum ſi horum nihil unquam attigiſſet, neque literam noviſſet, quoniam tamen iis moribus, atque ea vitæ integritate, quæ ab improbis etiam hominibus ſuapte virtute laudatur, præditus eſt, facere non poſſem, quin eum cariſſimum haberem, atque ejus cauſſa omnia vellem. Nunc vero cum hæc omnia ſimul una in eo excellant, atque ita, ut utrum ars, unde ſtudia, & literæ emanarunt, an recte agendi a natura inſtituta ratio antecellat, ſatis conſtitui non poſſit, quando æque utrunque in eo ad ſuam ſummam pervenit, ut quem ſtudia prudentiſſimum reddant, vitæ vero ſanctior ratio in probatiſſimis Viris collocet, impius ſim, ſi huic primas, & ſecundas, & tertias in amore non deferam. Sed his etiam accedit, quod propter communia ſtudia, atque ſummam meam erga illum benevolentiam, in amore mecum mutuum facit. Propter autem ætatem me eumdem, ut grandiorem natu, ſummo etiam honore proſequitur. Qua ejus in me ingenua reverentia non jam illum cæteris in amore præferre debeo; ſed eum, quantum me ipſum, amare cogor. Video te expectare, quorſum tam vehemens Epiſtolæ initium, atque multiplex amici commendatio ſpectet. Scito igitur, novo iſto bello exorto, docendi pu-

bli-

blicam diſciplinam apud nos totam ſublatam eſſe. Malo enim hoc fato non ſolum arma nobis in manus ſumpta ſunt, ſed libri etiam ex manibus exciderunt. Quo uno publico incommodo multis magnum detrimentum, Sylvio vero maxima calamitas injecta eſt, cui Madius Philoſophus, a quo paterne in Philoſophiæ præceptis inſtituebatur, ereptus eſt, qui cum cæteris, qui in noſtro Gymnaſio publice docebant, dimiſſus eſt. Sed aliorum melior conditio, qui ad alienos Doctores aut Patavium, aut Bononiam, aut quovis alio ſe conferre potuere. Huic uni omnes hæ viæ præcluſæ fuere, neque hoc ex ulla rei tenuitate, quem amici nunquam deſeruiſſent, ſed ne ab Hercule Principe ſuo vel tantum pedem diſcederet. Sed Deus Optimus Maximus, qui ſuis optime conſulit, te quafi dedita opera per hoc tempus nobiſcum eſſe voluit, a quo ni ſi non publice, ſaltem privati muneris habere poſſet. Audivi enim, te tua ſponte illi obtuliſſe quæcunque, quod maximum eſt, in te eius facultatis eſſet, ni omne cum illo ad ſepulturam horum dolor fideliter eſſe conſepeliendum. Quod ut ego intellexi, manus in Cœlum tuli, Deo gratias egi, qui tuos proceſſus non deſereret: tibi vero, quem non multo ante a meo Brachio magis amare non poteram, plurimum debere cœpi. Verum ſi ad tuum iſtum animum mea commendatione quicquam amplius acceſſerit, quod erit, ſi non ſolum diligentiam partem fidelitatis explevero, ſed quam viam in his ſtudiis cum minus anciſpiſem, tum etiam brevioren, inſiſtere debeam, eam illi familiariter commonſtravi. Multi enim, ut magnus in ſuis ſtudiis progreſſus fecerint, interdum in noſtra tamen in illis magis erraſſe, quam didiciſſe animadverterunt, atque ut cæpit iterum redire, aliamque ac integro tam inire cognitu. Hoc, inquam, ſi antea amplius habebimus, me nihil, quod tua cauſſa poſſimus nolim, poſſeo habiturum, quin moleſtum ſit, non eam mihi remunerandi facultatem dari, quam ego cuperem, & ipſe mereris. Si quid tamen mei, ut quid dicam de eius, ſcripta unquam valuerint, non minima ex parte tibi pollicor valitura. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Joanni Antonio Locatellio S. D.

Facete taciturnum ejus discessum Bononia fugillans orat, ut impressorum ignaviam urgeat, ut tandem suum opus absolvant post septimum mensem, quod altero mense debebant.

12. QUarto Idus Septembris ad tuum cubiculum, ut te viserem, veni: pulto: nulli intus: foris mihi puer respondet, neminem adesse; te Bononiam nudius quartus tuos visum profectum esse. Dolui tantum viæ frustra suscepisse me; sed acerbius tuli, quod sine me, ut millies constitueramus, discessisses. Scilicet comitem insacetum, quique sua taciturnitate comitatui magnam molestiam attulisset, sprevisti. At ego tibi pro isto tuo officio tantumdem reponam. Nam, te inscio, Venetias solvam, neque ego tibi magis fidem meam in eo itinere præstabo, quam tu mihi tuam in Bononiensi præstiteris. Sed de jocis hactenus. Si me amas, ad impressores istos ibis, atque eorum ignaviam, quantum potes, urgebis, quando ignorantiam corrigere non potes, ut tandem post septimum mensem, quod altero debebant, opus nostrum nobis absolvant; hocque etiam cum Zoppio nostro ages diligentissime, non quod is in eo corrigendo quicquam claudicet, sed ut tecum istis Vulcanis, vel fustibus ulmeis grandiorem gradum efficiatis. Vale, ac fratri tuo salutem meo nomine dixeris. Ego vero vino illi tuo divino, quando perpetuitatem non possum, saltem, ut bene ætatem ferat, opto. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Antonio Locatellio S. D.

Ipsi, & Campegio gratias agit, quod Dialogum suum de Judicio cupide legerint, & laudarint.

13. MIhi scribis, Campegium doctissimum atque optimum Virum Dialogum meum de Judicio & cupide legisse, & laudasse etiam minime jejune; quod

eo ſpectare videtur, ut illi admodum placuerit. Cujus laudi tuam ipſe quoque laudem addis, me ſcilicet in Latina dictione non poſtremam laudem eſſe conſecutum; quorum utriuſque judicium ut probem, cum veſtra integritas, atque rerum omnium cognitio, tum etiam meæ laudis non parva mea cupiditas efficit. Sed cum ad meum poſtea redeo, facile ego contra ſentio. Nam ut ingenue de me fatear, non mihi plane ſatisfacio; Diique faciant, ut mea illa ſit nimis exquiſita diligentia, voſque rectius, quam ego, de me ſentiatis. Sed hactenus de Dialogo. Campegio, quod de me tam egregie ſentiat, & tam honorifice loquatur, meo nomine ingentes gratias ages, cui ego ut aliquando aliquam referam, omnem operam dabo. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Antonio Locatellio S. P. D.

Petit, ut certiorem faciat, utrum verum ſit, quod circumfertur, Bononienſes in Robertelli locum cæcum ab ejus ortu ad publicam operam præſtandam delegiſſe, quod ſibi ſimile veri non videtur; quod ſi ipſe confirmet, ſe Bononiam ſtatim advolaturum pollicetur, ut illum audiat, amicumque amanter complectatur. Obiter nobilitatem ingenii hominis ob oculos ponit.

14. AUdio, Cives tuos cæcum quendam ab ejus ortu in Robertelli locum delegiſſe, quæ res mihi maximam admirationem attulit. Ut enim ille in noſtris ſtudiis tantum audiendo proficere potuerit, ut cæteris modo publicam operam ſuam feliciter præſtaret, vix mihi veri ſit ſimile. At in quo, Dii boni! loco? In Bononiæ celeberrima Academia. Hoc reliquum erat ad ſummam ætatis noſtræ præſtantiam, ut cæci etiam plus, quam oculati viderent, ut undique quanta hominis ingenii ſit nobilitas, quotidie Deus ipſe declaret. Quid enim recenſeam, quæ ab hoc apud ſuperiores ætates inventa, atque in hominum uſum ſunt prodita? Artes ſcilicet ipſæ, atque artium omnium inſtrumenta. In primis autem literarum formulæ, quibus paucioribus ſignis omnia noſtra ſenſa vel longiſſime gentium exprime-

re

tum te etiam amanter complectar. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Sylvio Bertolaio S. D.

agit, quod gratulatur, a Principe poſſeſſionem optigri ſibi donatam fuiſſe. Largiendi rationem, & poſeis commoda, atque amœnitatem extollit, ad quam invitat.

DE tua iſta gratulatione valde te amo, atque eo magis, quod omnes meos Cives ſuperaſti, n adhuc nullus iſto modo mihi gratulatus eſt. I-, ut dicis, Sylvi, me a meo Principe valde amari, in primis haberi. Tanta enim munera non omniargiuntur. Poſſeſſionem noſti quam optimi agri, ue oppido commodam; ut quod ille de ſuo rure t, ego de meo commode uſurpari poſſim. *Ex meo propinquo rure hoc capio commodi; neque agri, nebis odium me unquam percipit. Ubi ſatias cœpit fieri, o locum.* [Eunuch. Act. 5. ſc. 6.] Quid vero de aquula , quæ ſub villam fluit? Sed poſſeſſionis commotque amœnitati accedit largiendi ratio. Nam cum nam multi peterent, iis omnibus præteritis, eam

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

M. Tullio Beroio S. D.

Ejus verſus ad ſe miſſos numeroſe, concinne, ſplendide ſcriptos laudat, agitque gratias, quod de ſe honorifice ſenſerit.

16. TUi verſus, M. Tulli, mihi gratiſſimi fuere Qui enim aliter eſſe poterant, cum tam numeroſe, tam concinne, tam ſplendide ſcripti eſſent? In e vero, quod ad meas laudes attinet, ſi cum cæteris am bitioſe agam, majori voluptate affici non potui; ſi ver tecum ingenue loquar, te in iis multo malui, quam ſti ſti, modeſtiorem. Sed hoc te amoris erga me tui nimi ardore ductum feciſſe, certo ſcio, idque, quam ego tuur agnoſco, tam etiam tibi facile ignoſco. Expecto mittas qui tibi tuum Siccinium deſcribat. Nihil enim eſt, quo ego faciam difficilius, quam cum deſcribo. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

M. Tullio Beroio S. D.

Virgilii locum a Servio male explanatum ipſe interpretatur ſuamque de eo explicationem, & ſententiam Salluſtii a ſtimonio, & Aldini Codicis lectione confirmat. In ſu Epiſtolæ Camillum filium ſuum ei commendat.

17. CUm Bononiæ ſuperioribus diebus eſſem, tequ fere quotidie domum ex febricula langueſcente amice viſerem, ac noſtri ſermones plerunque eſſent i noſtris communibus ſtudiis, ſcio te recordari a Topia noſtro hos duos Virgilii verſus Æneidos lib. 4.

Extremam hanc oro veniam, miſerere ſororis,
Quam mihi cum dederis, cumulatam morte relinquam

aliquando adductos fuiſſe, in quibus ingenue adoleſce fatebatur, ſe quid Maro in *cumulatam* voce ſibi velle prorſus ignorare, præſertim cum Servius quoque in loco neſcio quid involvat. Tum ego meam a te ſente tiam rogatus reſpondi, ſi recte recordor. Servius, du lo-

corrigere ſtudet, magis corrumpere videtur. Qui
o juſſu allatus eſſet, ita compertum eſt: qui cu-
m gratiam ad Annam referri vult: dicens: *quod*
um cum mihi cumulatum dederis, & quæ ſequun-
on enim ita eſt; ſed ad Didonem magis refertur;
ceret: tantum ſoror apud me tuum beneficium e-
: ſemper cumulatum remanſurum ſit, etiam ſi o-
ibi pro eo in tota vita reddidiſſem. Auget, in-
Dido ſororis gratiam, dicens: ego non ſolum
tota vita omnibus meis officiis non æquabo, ſed
partem quidem, quo minus ea in me integra ſit,
. Cujus meæ ſententiæ, ut Ferrariam redii, cum
tem veniret, locum adii in meo Codice, ubi in
ntentiam Salluſtii locum notatum offendi, quo
ſententia planius explicari non poſſet. Eum tibi
placuit. Is ita inquit. *Id adeo experiri licet, ar-*
ores, pecuniam, poſtremo quicquid animo libet, ſu-
ere, & quoad vives, nunquam tibi redditam gratiam
is: ſemper apud me integra erit. Vides, ut eadem
hi Regis, [is enim eo in loco hoc modo Sylæ ſe
fatetur] atque Didonis erga ſororem ſuam debitio;
uterque uſque eo adauget, ut ſe negent omnibus
ulli ejus parti eſſe ſatisfacturos. Quod Dido per *cu-*
m, Bocchus vero per *integram* vocem dixit. Sed
ad Didonem, ac planius, ſi poſſum, locum expli-
ec igitur inquit: ſi tu ſoror hanc mihi gratiam fe-
ut ego omnia poſtea tibi retulerim, nihil omiſe-
pari gratia referenda, nihil tamen de ea diminue-
in cumulatam, ut ſemper fuit, etiam moriens re-
n. Atque in hanc ſententiam Aldinus Codex le-

uam mihi cum dederis, *cumulatam morte relinquam*;
tem ut Servius legit:
uam mihi cum dederis cumulatam, *morte relinquam*.
nterpunctio poſt *cumulatam*. Sed de loco ſatis. Ca-
filium iſtic habes. Si eum tuis conſiliis [eſt enim
um adoleſcens] ſi ei, quoties tibi videbitur, non
, me a te plurimi fieri judicabo. Pro quo etiam
uo officio cum tibi omnem gratiam retulero, mul-
en major ſemper apud me erit referenda. Vale.

Baptiſtam quendam Carmelitam præferant, eumque magis, quam Matonem, eſſe imitandum ſua ſtultitia tueantur. Sed utrum iſti, quod ſentiunt, prædicent, non graviter accuſandi, an, quod tam pueriliter ſentiant, magis contemnendi? Sed hoc pacto quid prudens a ſtulto differat, facile cernitur. Hæc in mea Ricciola in Quartiſano, cum tuæ mihi Ferraria literæ ſunt allatæ, quibus me cujuſdam ſponſionis appellaturum graviter minitaris. Ego, Tulli, ut ad Urbem venero, nuſquam tibi deero. Quid vero ſi eas exequias expectemus, quas ego iſtic tecum ſpectem? & eos verſus tum tibi dictem, tu vero tibi fideliſſimus ſis deſcriptor? ſed ut lubet. Nihil eſt, quod meæ fidei diffidas. Probe enim eam tibi ſum præſtiturus. De Frizolio vero bellus homo es, qui de me Evangelia quæras. Equidem illi gratulor. Sed mihi, qui ejus ſuaviſſima conſuetudine cariturus ſum, non minus doleo. Zoppio ſalutem. Camillum vero filium, niſi fruſtra eſt, tibi etiam atque etiam valde commendo. Vale ex Quartiſano Cal. Maji MDLIX.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Sebaſtiano Regulo S. D.

Oblatam amicitiam ſe & amice accipere, & arcte complecti profitetur, quam officiis omnibus ſe effecturum promittit, ut, ſi non ſuperet, ſaltem æquet. Orat, ut videat, ſi quæ literarum forma ſatis idonea apud impreſſores reperiatur, qua ad ſua ſcripta edenda uti poſſit.

20. TUas literas accepi, mihi quidem, ut par fuit, gratiſſimas, in quibus me novo, atque eo maximo amico auctum eſſe intelligo; neque tantum humanam conditionem mihi in eripiendis veteribus amicis adverſari, quantum etiam mea ſtudia novos ereptis probe ſubſtituere, video. Scribis enim pro altero Sebaſtiano mihi proxime erepto, te alterum Sebaſtianum mihi eſſe relictum, atque ut in ejus locum te accipere velim, peringenue me invitas. In quo tuo officio tu quidem, Regule, tuorum ſtudiorum dignum facis, qui eum ames, quem in aliquo tuorum ſimilium numero fortaſſe eſſe non ignoras, neque ego meorum indignum faciam, qui

ſatis idonea tibi videatur, præſertim ejus generis manum imitatur; ſin, quæque alia ſit, atque ſtea exemplum paucioribus verſibus deſcriptum mitas, quo mihi quoque comprobato, continuo iſtuc nferam, atque de meorum ſcriptorum editione s conſtituam; ut videas, te non ſolum a me limme in amicitiam acceptum eſſe, ſed continuo eam n parvo officio confirmatam eſſe voluiſſe, teque odo probe invitaſſe, ut ſi quid tibi a nobis opus , id a me tam libere, quam a te hoc nunc me videas, petere non dubites. Vale.

ARTHOLOMÆUS RICCIUS

Sebaſtiano Regulo S. D.

iteras cum impreſſoris literarum exemplo ſe accepiſſe ſitas, illas quidem amoris plenas, impreſſoris autem, non plane comprobantur. Itaque rogat, ut, ſi quid melius extiterit, certiorem faciat.

Tuas literas cum impreſſoris literarum exemplo accepi; tuas more ſuo amoris plenas; impreſquæ non plane comprobantur. Nimis enim tritæ,

lianda, ut prior fuisti, in petendo autem ab amico eumdem locum habere non potes, saltem, te magis in secundo, quam in nullo, ut videam, efficies. Ac si quid tibi a nobis opus esse videris, id ne fideliter petere dubites, te etiam atque etiam rogo. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Sebastiano Regulo S. D.

Magistro Manterchio sibi commendato locum non esse respondet propter temporum difficultatem, bellique calamitatem, quorum causa plerique magistros, quos habent, missos faciunt. Admonet tamen, si quid interim apparuerit, se ei promisisse, nusquam suam operam illi defuturam.

22. ET amice, &, ut ego cupiebam, fecisti, qui me, ut te antea rogaram, in petendo imitaris. A Manterchio tuas literas, quibus eum mihi commendas, accepi. Ego, Regule, si omnes Cives nostri magistrum suis filiis quærerent, solus vel triduo omnibus, ne quid ejusmodi egerent, qui providerem, abunde haberem. Vix enim alius a me discessit, cum alius adest. Quin etiam sæpe alius alium ad me opprimit. Verum cum nemo nunc non solum non quærat, sed quos plerique habent, [vides enim in quam temporum difficultatem inciderimus, quodque bellum nos urgeat] missos faciant, quid ego tibi recipere, aut qua spe illum accipere possim, non habeo; cui tamen promisi, idque præstabo, si quid interim appareret, meam operam nusquam illi esse defuturam. Tu vero meum Cuspium meo plurimum nomine salvere jubebis, apud quem si istis Saturnalibus sim, nihil vobis mirum videri debebit. Utrique interim Camillum filium commendo. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Sebaſtiano Regulo S. D.

Academiarum fructum, & utilitatem exponit. Earum tria genera conſtituit, unum publicum, alterum privatum, tertium, cum utrinque res diſputatur. De ſingulis nonnulla ſubjicit: ubi exerceantur: qua ratione: quantam nobilitatem, & præſtantiam præ ſe ferant, quantamque utilitatem afferant. Fuſius autem de privatæ Academiæ forma, & imagine diſſerit, commemoratque Viros præſtantiſſimos, qui in hoc genere Academiæ Florentiæ ſub Coſmo, Petro, ac Laurentio Mediciis floruerunt.

23. CUm proxime Bononiæ eſſem, quo toto tempore quotidie una vel multam horam partim domi, partim foris deambulando eſſemus, ac de multis rebus, in primis autem de communibus ſtudiis colloqueremur, ſcis de me, quid mihi de veſtris iſtis doctiſſimorum Virorum conventibus, quos vos Academias appellatis, videretur, quæſiviſſe, meque ad id, quod de illis ſentirem, tibi explicandum, tempus poſtulaſſe. Nunc igitur, ut ei parti ſatisfaciam, tibi reſpondeo; quædam in ejus generis Academiis eſſe, quæ mihi valde probentur, nonnulla etiam, quæ non ſatis placere poſſint. Nam, quod una tam amice conveniatis, ut de vobis dicam, atque in nobiliſſimis ſermonibus illam diei horam tranſigatis, cur non ſumma laude digni videri debetis? Id enim vere eſt ſocietatem colere humanam; ut qui, poſt mutuam benevolentiam, in communem uſum quæ privato quiſque ſtudio ſibi compararit, benigne conferat, atque alii aliis, omnes omnibus conſilio proſint. Quo fit, ut quiſque veſtrum ſemper domum aut meliori ſententia, aut in ſua confirmatior redeat omnino. Huc accedit, quod novæ, atque nobiles amicitiæ ſuſcipiuntur, veteres vero conſuetudine ſtabilius confirmantur. A bonis deinde omnibus inde quoque optime auditis, qui veſtro iſto otio, non, ut ii faciunt, qui ex multis ſunt, abutimini; ſed in iis ſtudiis, quæ hominem expoliunt, atque Virum reddunt elegantiorem, illud egregie inſumitis. Deinde ex veſtris ſcriptis maxi-

mam

mam utilitatem percipitis. Quiſque enim ita frequentior, atque magis aſſiduus in iis ſit exercendis, quam ſi liber erret, atque ſuo arbitratu agat, non fieret. Poſtremo in eorum correctione dici non poſſet, qui, ac quantus fructus ſequatur. Nam cui Epigramma cenſendum ſit, is omnes ejus partes prius, ut teneat, oportet; poſtea vero quibus illud careat, planius oſtendat. Id, quod in cæteris quoque cenſendis ſcriptis faciendum eſt, qui fructus omnium eſt uberrimus. Hæc ſunt in primis, quibus cum ſumma utilitate non parvam laudem ex iſtis conventibus vobis comparatis. Sed contra illa mihi iſtis tot, ac tantis bonis non leviter adverſari videntur, quod qui nobiliſſimorum Scriptorum loca abſtruſa, minimeque omnibus nota, atque obvia ſummo ſtudio, ac ſua induſtria ſibi deprehenderit, ſi quoquo modo de iis agendum accidet, ea dedita opera præterierit, ac tantum omnibus trita, atque perſpicua protulerit, ineptus, atque imperitus habeatur, qui in re veſtro tanto conſeſſu indigniſſima operam ſuam occupatam habuerit. Sin contra ea benignius in medium protulerit, atque cum cæteris communicabit, is ſuorum ſtudiorum fructus, ac gloriolam in magnum periculum adduxerit; ne ſcilicet, diſſoluta Academia, atque adeo ſtante illa, eorum quiſquam pro ſuis aliis poſtea divulget; atque ita is ſuo ſtudio, atque labore aliis laudem, & gloriam compararit. Ex quo, præterquam quod maxime injurium eſt, interdum illa odia excitantur, quæ nulla poſtea ſanctior amicitia conciliare poſſet; ut ex optimo officio eum fructum feras, quem vix ferres ex injuria graviter illata. In his præterea Cenſores creantur, quorum judicio aliorum ſcripta cenſeantur. In quo idem inimicitiarum periculum verſatur. Natura enim comparatum eſt, ut quiſque, quicquid agat, laudari maxime cupiat. Si vero contra illud damnari ſentiat, nihil ægrius patiatur, nihil iniquius perferat. Quare etiam contra ſuam ſententiam præfracte tuebitur, neque vinci poterit: in qua contentione ſæpius ad jurgia, atque criminationes, ab his autem ad manus etiam venitur, quorum nihil turpius, atque a noſtris ſtudiis magis alienum dici poteſt. Si vero error, atque mendum tale ſit, ut nulla ratione defendi poſſit, tum ille iracundius etiam in ſe ipſum, quod id non viderit, exardeſcet. Non enim, mihi crede, tam utile eſt

erran-

erranti mendum corrigi, quam odioſum ſe erraſſe, monſtrari. Mallet ille quidem perpetuo in eo errore verſari, quam cum tanta ignominia doceri. Quod ſi ſæpius accidat, id quod neceſſe eſt, ut accidat, pudore pulſus, aut perpetuo poſtea tacebit, aut etiam a collegio ſeſe abduxerit. At huic malo prudenter cautum eſt. Lege enim prohibetur, ne quis adverſus Cenſorem cauſam dicat, ſed æquo animo ejus judicium perferat. At primum inique latum eſſe videtur, quod ſua quiſque ſcripta defendere non poſſit. Qui enim ſcitur, an is recte ſcripſerit, Cenſor autem interdum imperite judicarit? Certe enim rei auctor, quique ſciat mox eam doctiſſimorum Virorum judicium ſubituram, mature, atque haud inconſulte ſcribet, atque interius in illam, quam alienus Cenſor, penetrabit. Deinde, ut lex etiam jure defenſionem omnem accuſato eripiat, id ei numquam auferet, ut non graviter ferat, atque etiam illi, a quo ſe damnari putet, gravius iraſcatur. Verum æqua lex omnibus eſt perſcripta. Is quoque poſtea cum alios cenſebit, hoc ejus beneficio in eos utetur. Audio. Ergo tacito odio laborabunt, qui apertam benevolentiam profitentur. At alii de ſe viderint; inter nos ita ingenue jam triennium agitur, ut horum nihil ſit auditum. Id ſi ita eſt, vobiſcum feliciter agitur, ac permirum videtur, inter multos eandem ſententiam congruere, quæ vix in paucis congruit. Hæc vero ſunt, quæ de ejus generis Academia dici poſſe videntur, quæ tamen, ut omnes Academici a nobis ita amice dicta accipiant, volumus, ut facerent, ſi ab eorum amiciſſimo dicta eſſent. Neque vos cum aliud Academiæ genus mihi quodammodo magis probari dixero, ideo feciſſe, ut hoc veſtrum, atque ejus ſimile ex iſtis honeſtiſſimis conventibus excludam, aut ex hujus laude aliarum ſequatur vituperatio. Tria enim Academiarum genera mihi conſtituo; unum publicum, privatum alterum; tertium, cum utrinque res diſputatur. In Publico unus tantum docet, cæteri diſcunt. Hoc item duplex eſt. Majus, ut ita nunc diſtinguam, & minus. Majus, ut Bononiæ, Patavii, Piſis, Ticini, Ferrariæ in Italia; in Gallia Lutetiæ Pariſiorum; in Germania Auguſtæ, Lovanii, atque in cæteris ſimilibus locis perpetuo fieri conſtat. Ex quibus florentiſſimis Academiis quotidie, tanquam ex tot equis Trojanis, præſtantiſſimi extant Viri, qui poſtea quaſi ex frequentiſ-

ſimis

ſimis Seminariis aut ad Civitates regendas, ac populis jus dicendum, aut ad hominum morbos depellendos, atque ad priſtinam eis valetudinem reſtituendam, deliguntur, atque in omnes Orbis partes, tanquam in vacuum agrum diſſeminantur; quo genere Academiæ nihil nobilius, nihil præſtantius, nihil utilius in terris habetur. Minus autem genus eſt, quod in minoribus Urbibus, atque in Oppidis exercetur, quod perinde ſe habet ad illud majus, atque familia optime inſtituta ad Remp. ſancte adminiſtratam. Ut enim familiæ parvæ ſunt Reipub. formæ atque imagines, unde etiam ii poſtea Viri deliguntur, qui ad Remp. gubernandam accedunt; ita Oppidanæ Scholæ adoleſcentes erudiunt ad majora illa poſtea ſtudia capeſſenda. Alterum genus erat, quod privatum facieba-mus. Hoc autem inter domeſticos parietes, & certis quibuſdam, quibus tantum ingredi licet, nulli præterea alii, conſtitutum eſt. Hoc quoque bifariam dividitur: alterum, ut veſtrum, de quo ſatis ſupra a nobis diſputatum eſſe arbitror: alterum, cum pauciores conveniunt, ſed alio inſtituto, atque vos facitis, ſe in eo exercent. Id autem tale eſt, ut ego hanc Academiam tibi conſtituam. Sex viri, ſatis enim hi nunc mihi ſunt, alias alii plures, ut faciant, licebit. Horum vero quiſque ſuum certum habeat officium: puta alius, qui in Poetis: alius, qui in Oratore: tertius in Hiſtoria: quartus in linguæ ſplendore, atque dignitate: quintus in agricultura: ſextus in moralibus diſciplinis optime verſatus ſit. Horum quiſque tertio quoque die paratus veniat, atque quicquid habuerit in ſua facultate indagatum, id in medium afferat. Ut ſi Poeta [Poetam enim nunc illum appello, qui in Poetis verſabitur] ſibi ſumpſerit aut quartum Æneidos, aut Horatii Poeticam, aut quid tale explicandum, paucis, ut per ſemihoram de ſuperiore loco, quicquid in præſenti parte dignum vobis, dignum Poetis habebit, cæteris Academicis explicabit. Ita Orator in quaque Oratione malit; ita Hiſtoricus; ita reliqui deinceps omnes omnibus, quod ſibi domi excogitarint, ut melius facere poterunt, fideliter impertient. Ex quo genere ſtudii quantus fructus percipiatur, atque utilitas emanet, nihil eſt opus dicere. Quis enim continuo non videt, una opera quinque facultatum quenque eorum partem ſuam domum referre?

at-

eodem tempore præſtantiſſimis diſciplinis optimam
i dare, cum tamen niſi in una ſua ſexta quiſque
, faciatque quaſi qui pecuniam in fœnus locet,
t centum quingenties fœnus recipiat. Quæ ratio ſi
enſem conficiatur, magnam ſummam conficiet,
tam ferax pratum eſt ullum, quod tantum fœ
quantum hoc ſtudium fœnoris ferre poſſit. Neque
um erit, ne ingratos ſuorum ſtudiorum partici-
iat, cum ſtatim pro uno quinque recipiat. Quod
Academiæ Stephanus Saulius Vir in hiſce noſtris
elegantiſſimus in amœniſſima villa ſua in agro
ſi cum Marco Antonio Flaminio, cum Julio Ca-
ac Sebaſtiano Delio aliquot menſes exercuit, at-
ucere pertexiſſet, ſi per Flaminii invaletudinem
iſſet. Tertium genus eorum eſt, qui de re propo-
ite diſputant, atque etiam in contrariam partem;
quidem plurimum valet ad ingenii aciem acuen-
atque poſtea cum opus eſt, etiam ex tempore in
is rebus apparatius reſpondendum. Hoc genus Phi-
i propriam ſibi vendicant, a quibus etiam ſolis
ntandi rationem, & viam petendam eſſe volunt.
o genere Academiæ Florentiæ ſub Coſmo, Petro,
urentio Mediciis Ficinii, Cavalcantii, Argiropoli,
, Pici, Politiani, Marulli, Landinii, Marſupi-
Ricaſoli, aliique floruere. Hæc ſunt, Regule, quæ
is ſtudiis, quas Academias dicitis, ego per iſtos
iſſimos Solis ardores in meo Quartiſano colligo
quæ tibi poſtea ſcriberem. Cui meæ ſententiæ non
, ſi is ſis, qui eſſe debes, quin tua quoque fa-
cedat ſententia; ſin ſecus ſenſeris, expecto quibus
tias rationibus, ut mihi perſcribas. Vale. Meis
niis fratribus, ac Robertello ſalutem. Ex meo
iſano XI. Cal. Auguſti.

BAR-

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Sebaſtiano Regulo S. D.

Rogat, ut impreſſores urgeat ad fidem ex pacto præſtandam in reficiendis literis vetuſtate corroſis, quibus in ſuis ſcriptis edendis utantur. Deinde admonet, ut amice purget negligentiam ſuam cum Savignanio, quem ejus culpa ne viſit quidem, cum aliquot menſes Bononiæ manſerit.

24. SI iſti impreſſores eas literas, quæ vetuſtate ita corroſæ ſunt, ut alia ab alia dignoſci vix queat, reficiendas curarint, ut tandem ad inſtitutum opus redeant, meis verbis eos impelles; ſi nondum etiam; ut ipſi fuſorem ſuum urgeant, benigne commonefacies; ſi vero eos neutrum curare ſenſeris; tum apud Cuſpium conqueraris licebit, qui eos mihi ex pacto noſtro fidem præſtare cogat. Nolo enim, abſente me, rem in judicium vocari. Hactenus de impreſſoribus. Reliquum eſt, ut Ludovico Savignanio tuam negligentiam amice purges; meam erga eum benevolentiam valde commendes. Probe enim ſcis, tua culpa factum eſſe, ne ego illum, & poſtea cum multos dies, & primum, cum aliquot etiam menſes Bononiæ manſerim, ſaltem viſerem. Quod meum officium ita ex die in diem protuliſti, ut illud mecum domum referrem. Meis etiam Fantoniis fratribus ſalutem renovabis. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Camillo Filio S. D.

Se optime valere ſignificat, & tempeſtate in Conſandolo detineri. Comaclio barbatulos piſciculos, auratas, ſgumbros & rhombos ſe miſſurum promittit, librorumque curam commendat.

25. CAmille, ſi vales, bene eſt, ſi mater quoque valet, multo melius eſt; ego quidem optime valeo. Nos adhuc in Conſandolo tempeſtas retinet: cum mare conquieſcet, quo navibus commeatus tranſvehen-

dus eſt, Comaclium navigabimus; unde ego tibi mittam barbatulos piſciculos, auratas, ſgumbros, rhombos vel Ravennatibus meliores. Tu eris interea cum tuis libris; neque tamen tibi pilam, atque reticulum tuum aufero, ſi iis & ſuo tempore, & moderate, hoc eſt, ſine ſudore uteris, matrique, ut debes, obtemperabis, cui meo nomine ſalutem dices. Vale. Ex Conſandolo.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Camillo Filio S. D.

Ad parce, & reſtricte utendum pecunia, quam mittit, & dandam aſſiduam ſtudiis operam hortatur.

16. PErpuſilla hæc quidem pecuniæ ſumma eſt, ſi animum meum ſpectem; multo etiam minor, ſi tuum. Si vero cum re noſtra eam comparem, ea quam maxima eſt. Tuum autem erit, ut tua parſimonia & meam voluntatem æques, & tuum animum ſuperes, & agelli tui merces ut te ferre poſſit, æque curabis; in tuis vero ſtudiis tantum profeceris, quantum debes: debes autem quamplurimum. Vale.

BARTHOLOMÆI RICCII LUGIENSIS EPISTOLARUM LIBER SECUNDUS.

www.libtool.com.cn

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Laurentio Gambaro S. D.

Amicum jocoſe hortantem, ut cum eo, & aliis amicis ad Indos tranſvehatur, facete etiam ipſe excipit, ſeque jam ſeptuagenarium ad tam longam navigationem ineptum profitetur, ſatis ſibi futurum inquiens, ſi in ſuum Quartiſanum, vel Bononiam, vel Patavium cum amicis ſe conferat, vel ad ignem hyemis tempore cum Columbo, & ceteris ejus navigationis Scriptoribus totum illud iter legendo ſibi conficiat. Re ipſa, non rationibus, atque argumentis jam declaratum eſſe oſtendit, nugas eſſe, & Poetarum fabulas, Orbem terrarum totum non eſſe habitabilem. Nauticarum munera ſingula diligenter deſcribit, ſeque ad ea obeunda minime aptum fatetur. Itaque magis amice ſecum eum acturum ait, ſi a ſuis ſtudiis non abduxerit, ſed potius multiplicem eam navigationem ſibi deſcribendam attribuerit.

1. MEn quoque, Gambare, tuis Heroibus admiſces? atque cum iis uſque ad infimos Indos tranſvehis? Utinam ego mihi melius augurer. Perinde enim eſſe videtur, atque ſi diceres, jam eo perveniſti, Ricci, unde ulterius progredi non potes; id quod ex LXX. annis meis facile conjici poteſt; neque tibi ab Inferis ullus, quam ſummi Judicii, alius datur reditus. Non enim tantum viæ tam natu grandem virum ingredi, par eſſe videtur, ut iterum ex longiſſima illa navigatione ad nos Superos rediturum me ſperem. Quare mihi ſatis

eſſe

eſſe poterit, ſi quod reliquum eſt vitæ, in meum Quartiſanum meo ciſio per æſtatem cum meo Antonianio vehar; vel ſi quid paulo etiam longius, Bononiam ad meos Cuſpios, Beroios, cæteroſque amicos; aut etiam Venetias ad meos Cornelios; inde Patavium ad meum Abioſium: per hyemem autem, cum non ſolum maria, verum etiam terreſtria itinera tum frigoris, tum ventorum vi clauſa ſunt, ad ignem cum Columbo, ac cæteris, qui navigationem illam ſcripſerunt, totum illud iter legendo mihi conficiam. Sed quid ego ſum hominis, qui ſuperiore anno etiam bello bonus ſum habitus, cum tot fortiſſimis viris navem vel ultra Indos, ſi detur alius locus, conſcendere verear? unde mihi tot gemmas, tantam auri vim, tot pretioſas res ſim domum revecturus? Huc accedit, quod magnam voluptatem capiam, cum alium Orbem, alias gentes, atque harum alios mores, cultus, quæ ad humanam vitam agendam maxime pertinent, videro. Sed heus tu, quam torridam, quamque glacialem plagam inter nos, & illos veteres eſſe rati ſunt, ut eas prætervehemur? Ne timeas, Ricci. Nulla ea eſt, nugæ ſunt, atque Poetarum fabulæ. Totum eſt habitabile. Veteres enim [quod cum eorum bona gratia dictum volo] in eo imprudenter allucinati ſunt. Quid ego ex te audio? Num tuus quoque Maro cum cæteris illius artis prudentiſſimis Viris in ſuis quinque plagis elapſus eſt? Re ipſa, non rationibus, atque argumentis ita eſſe jam pridem declaratum eſt. Doleo, tantos Viros in hoc tam manifeſto errore verſatos. Sed quoniam non arbitror te vectorem ullum officio vacuum tollere, quæro ego de te cui operi meam operam uſui eſſe poſſe reris? Nam ſi me aut impellendo remo, aut velis ſive tollendis, ſive deducendis deſtinaſti, aliarum virium id, quam ſeptuagenarii viri, totum eſt onus. Si ut per funes volitem; ego vix humi repo; nedum ſatis obeſus funambulus fiam. Si clavo gubernatorem conſtituiſti, magnum periculum eſt, ne vel prima nocte alterum Palinurum Oceano compararis. Non puto te ad ſentinam exhauriendam politiſſimum hominem addicturum; multo vero minus, qui cæteris imperem, qui eius artis ſim imperitiſſimus, quique ventorum nullam ſcientiam teneam, neque umquam alias mare intravi. Si vero malueris, ut is ſim, qui aut per foros

curſitem, aut qui remiges impellam, aut qui ſignum iiſdem quando remis incumbant, aut quando eos ſuſtineant, aut inhibeant, falleris; cum horum nullus mihi uſus, nulla ſit ſcientia. Neque me in ſummo malo, quaſi in ſpecula, collocabis, qui ne vitreis quidem oculis certius quicquam cernam. At quædam ſunt tamen, quibus ego aliquam operam dem, ut pede faciendo, in anchoris evellendis, & funibus in ſpiras colligendis, &c. in cæteris ejus generis. Verum ſi tu magis amice mecum agas, me a meis ſtudiis non abduxeris, ac multiplicem eam navigationem mihi deſcribendam attribueris; in quo officio fortaſſe ego tibi ſatisfaciam. Ut continuo unde a Gadibus ſolvemus quantum viæ in ſingulos dies, ac quæque, quo vento, conficietur, quæ pericula prudenter devitabimus, quas tempeſtates virtute ſuperabimus, ad quæ loca poſt longiſſimam navigationem appulerimus, qui eorum habitatores, qui mores, qui Deorum cultus, qui veſtitus, quæ leges, inſtituta, rerum copia, cæteraque, quæ notatu digna videbuntur, deſcribendo. Hoc modo utrique optime conſulueris. Neque enim ipſe inanem hominem tolles, neque ego non ad nihil bonus videbor, neque hac ratione quicquam habebo, quamobrem nobiliſſimam iſtam navigationem non exoptem, qua non Colchos, non Thulem vehar, ſed totum Orbem terrarum circumvehar. Tuis igitur me, quod tua ſponte antea feciſti, permittentem, atque etiam rogantem, adſcribas, licet; cui ego ad diem dictum præſto ad portum adero, atque cum reliquo nobiliſſimo comitatu feliciter navem conſcendam. Vale. Ferrariæ.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Camillo Filio S. D.

Hortatur filium, ut cum matre in villulam Riccianam ſe conferat, ejus Cœlum ad concoquendum factum extollens, admonenſque, ut ſecum Aliotium adducat.

2. MAtrem tuam, ſi per Annæ valetudinem ei licebit, expecto. Tuum eſſe videtur, ut eam non ſinas ſolam venire. Fuſchinius equum, quando ciſium odiſti, tibi accommodabit. Viſes poſt alterum annum tuam vil-

villulam. Perſicorum adhuc reliquum eſt non parum, uva optima, Cœlum autem illud, quod ſcis ad concoquendum factum, ut vel ad alteram diei horam eſuriendum ſit. Si tuum Aliotium tecum adduceres, nihil amplius deſideraretur. Curabis, ut hæ literæ recta Bononiam perferantur. Vale ex noſtro Ricciano.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Camillo Filio S. D.

Pro pecunia argentea peregrino ſigno excuſa, publicoque edicto vetita, tantumdem auri ſignati remittit. De ſua penula ſitu, ſordibus, pice, atque plicis male obſita ſibi relata, novaque ipſi propter hyemem conficienda admonet.

3. TUas literas cum pecunia argentea peregrino ſigno excuſa, quam iſtic publico edicto, ut ſcribis, impendi vetant, ut quam ipſi ſuam interim maximam ſignant, commodius diſpendant, a noſtro Viſcovino accepi, pro qua tantumdem auri ſignati, quando argenti non eadem, quæ auri, ratio habetur, ut hac ratione major ejus vis a peregrinis cogatur, atque cum eo argentum ſuum commutent, tibi remitto. Cum his etiam penula mea mihi relata eſt, ſitu, ſordibus, atque, ut in navi fit, tota pice, atque plicis male obſita. Qui retulit, quod ipſe coram nunquam dixti, refert, ſi tuam & ipſe per imbrem, atque hyberna tempora habeas, tibi quam commodiſſimum futurum. Continuo eam tibi conficiendam curo, atque cum his literis per publicum Tabellarium tibi mitto. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Camillo Filio S. D.

Tabellariis male precatur, qui neque literas, neque penulam, neque pecuniam in decimum diem reddiderant, cum pro iis ferendis etiam amplius, quam ſatis eſt, in literis foris inſcripſerit, ut eæ citius & perferrentur, & redderentur.

4. DIi omnia mala dent iſtis publicis Tabellariis. His ego literas cum pecunia, atque penula do, atque pro iis ferendis etiam amplius, quam ſatis eſt, in literis foris inſcribo, ut eæ citius & perferantur, & reddantur, & tamen in decimum diem non redduntur. Quare iſtorum Magiſtros ad Angeli hoſpitium ipſe adibis, atque de illis hæc omnia quæres. Cave quicquam periiſſe putes. Quicquid damni in iis feciſti, id eſt, quod eorum uſu decem hoſce dies caruiſti. Sed in pecunia gravius, qui interea contubernalibus tuis gravis fuiſti, qui eorum convictu tuum victum ſuſtinuiſti: ſed omnium rerum eſt viciſſitudo. Alias ipſe hoc ipſum illis præſtabis. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Camillo Filio S. D.

De navigatione ſua Ferraria Venetias ſtrenua, ac felici certiorem facit. Admonet, febriculam ex illa navigatione a ſe contractam, ſeque coactum ob pedum frigus ad quartum diem in lecto decumbere, nunc tamen valide valere: Cornelios moleſte tuliſſe, quod eum, ac matrem ſecum non duxerit: matri omnia a ſe empta uſque ad ocus, ſeque quamprimum ad eos advolaturum.

5. QUa hora a te Ferraria diſceſſi, eadem, hoc eſt duo de vigeſima, altero die Venetias appuli, ut videas quam ſtrenue, ac feliciter navigarim: tametſi ex mea illa navigatione nonnihil febriculæ contraxi. Nam cum nuſquam remum continerem, ac totam illam noctem in navi, in tabulis cubarem, tanto pedum frigore ſum affe-

affectus, ut duobus ſequentibus diebus ſtomachus ita confrigueriť, ut quicquid cibi caperem, nihil omnino ex eo concoquerem. Quod cum video, ab eo me abſtineo, atque inedia curari cœpi. Tertia vero nocte ſua ſponte venter in illud profluvium mihi perſolvitur, quo eum Fabius noſter interdum ſuis pharmacis exonerare ſolitus eſt, in aquulam totum ſe diffluit: quæ me res cum paulo languidiorem reliquiſſet, mane medicum accerſiri jubeo. Præſto adeſt Abioſius meus, qui me non ſine febri offendit, hortaturque, ut bono ſim animo, ex illo frigore hæc omnia contracta eſſe affirmans, meque eadem, ut illi, dicta uti juſſit; atque ita quarto die ex lecto ſurgo, atque valide valeo. Hoc quantum ad me. Nunc venio ad noſtros Cornelios, qui quam moleſte tulerint, quod te, ac matrem tuam mecum non duxerim, dici non poſſet. Cauſſam affero honeſtiſſimam. Non eſt accepta. Ut Dii ſalvum illum eſſe velint, quando mea integritate perdant dicere non poſſum, qui nos hac integra voluptate frui prohibuit. Matri omnia emi uſque ad acus. Tibi vero cras totum dabo, cui cum ſatisfecero, nihil mihi reliquum erit, quin ad vos duas animas meas advolem. Vale interea, & matrem meo nomine deoſculabere. Venetiis.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Camillo Filio S. D.

Brevis hæc Epiſtola multa complectitur: meſſem ad aream convectam eſſe: culpa eorum, qui equas ad trituram locant, eam longius produci: ob hanc rem ſe diutius ruri detineri: a ſuis ſtudiis non eſſe propterea ſe prorſus vacuum; nonnulla perlegiſſe, alia correxiſſe, Epiſtolas ad amicos ſcripſiſſe. Præterea ipſi mandat, ut nonnulla faciat, &, quid ipſe cum matre agat, reſcribat.

6. MEſſis ad aream convecta eſt; ut primo quoque tempore tritura fiat, probe curatur. Sed qui equas ad illud opus locant, eam longius producere videntur; ut qui altiores frumenti cumulos, ac pleniores areas ſequantur. Quæ res nos diutius ruri continebit: ubi tamen noſtris ſtudiis non prorſus vacui ſumus. Tres

enim primos noſtros de Gloria libros perlegi. Quædam etiam diligentius correxi. Scripſi ad Cantellium, ad Nobilium, ad Antonianium haud fortaſſe ruſticas Epiſtolas. Huc accedit ea Oratiuncula, quam tibi mitto. Contra vero quid tu in tuis agas, ſcire cupio. Cum Sarachio ſi eris, ac rem illam numariam curabis, ne ſcilicet ille abeat, antequam ad numum diſſolvat, rem tuam curabis. Aurifici pauciores illas literas, quæ ad noſtri imaginunculam adſcribendæ ſunt, quamprimum dato. Floram matrem tuam meo nomine plurimum ſalvere jubebis. Vale. Ex noſtro Quartiſano Non. Julii MDLVII.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Camillo Filio S. D.

Epiſtola lectu utiliſſima, atque adeo neceſſaria iis, qui alio ſtudiorum cauſſa proficiſcuntur. Patris monita ad filium Bononiæ commorantem: ſtudiorum diligentem rationem habendam eſſe; morum, totiuſque vitæ curſum optime inſtituendum. Suggerit itaque locum, ubi habitet; unde pecuniam habeat; quem ſibi Doctorem proponat; amicos, quibus familiarius utatur, quaque ratione cum iis ſe gerat. Omnibus temere fidem non eſſe adhibendam admonet; noctis tenebras vitandas, & pericula, quæ tunc temporis caſu circumvolitant; contentiones in Magiſtratibus creandis exoriri ſolitas fugiendas, quodque primo loco ponendum eſt, Deum Unum, & Trinum toto animo colendum.

7. HOdie, Camille fili, duo de viginti annos natus es. Tantum enim dierum eſt, ex quo die tu in has auras editus es. Quod tempus domi tuæ cum parentibus tuis in optimis ſtudiis, atque ingenua, ac liberali educatione traduxiſti. Primos quidem annos, ex quo fari cœpiſti, cum Aloyſio Ateſtio in primis literarum rudimentis percurriſti; reliquos quatuor in Jure Civili perdiſcendo publice poſuiſti; nunc vero, cum domeſticus tuorum ſtudiorum curſus iſtius importuni belli interjectu interrumperetur, atque eorum abſolutio, quam domi ſperaras, apud alios tibi comparanda eſſet, Bononiam conceſſiſti, ubi cum me, quaſi adoleſcentiæ tuæ rectorem habere non poſſes, mihi viſum eſt, ſaltem hiſce

nuptis tibi absenti non deesse, quibus, si parue-
quasentis quidem praesentia carebis, ejus quidem
in minime. Duo igitur sunt, Camille fili, quae ti-
hoc tuo statu maxime attendenda sunt: alterum
tuum tuorum, quorum caussa istuc vehisti, diligens
alterum morum, & totius vitae, quae non mi-
hominе, quam rerum egregiarum scientia, elu-
ptima institutio. Quod ad studiorum rationem at-
eam iis operam dabis, cujus omnibus brevi non
m fructum extitisse comprobes; quibus ut libere,
nullo impedimento vacare possis, omnia tibi a
apud quempiam eorum hominum, qui in singu-
uisos certa mercede constituta tui similes alunt,
in comparata, ne, si ad menstruum cubiculum in
omnia [ne quid agam de quotidiana ejus commu-
e] quae ad victum faciunt, a te ipso sint cum tuo
p incommodo providenda; neque quae ad ea tibi
esse pecunia, tibi Ferraria quotidie sit expetenda,
etiam expectanda. Quod vero ad Doctores tuos
h, continuo videbis, quos tibi proponas ad au-
m, in qua una consultatione si Cephalius noster a
nsibus, ut factum iri videtur, decernatur, nul-
hor tibi accidet. Scio enim, te hunc multis de
is caeteris omnibus esse antepositurum. Si vero nul-
ccesserit Cephalius, tum tu, quem cum nomine,
etiam re caeteris praestare cognosces, eum tibi deli-
d audiendum. Hoc autem, quod ad tua studia. Re-
m est, quod ad vitae institutionem attinere dice-
In primis igitur quicum agas, quoque familiarius
, prudenter videbis. Nam cum duo sint hominum
a, alterum optimis moribus praeditum, quodque
virtute agit; alterum, quod ab his contra abhor-
ab hoc ut caveas, alteri ut adhaereas, te paterne
o. Sed quoniam difficile est in primo congressu ho-
m naturam deprehendere, ut quae in intimis ani-
tebris delitescit, praesertim in tanta nobilium ado-
tum multitudine, continuo non ita te totum in
familiaritatem conjeceris, ut, cum jam experien-
alam deprehenderis, ab ea non facile postea disce-
teque recipere possis. Cum iis vero, quibuscum
beris, ita te geres, ut nulli te insolenter praeferas,
s tibi anteponas; quo uno officio omnium omnem

be-

benevolentiam facile tibi conciliabis. Cave enim putes quicquam tam amari, atque commendari, quam humanitatem, atque facilitatem; quemadmodum contra, nihil plus homines odiſſe poſſe, quam ipſam inſolentiam, atque ſuperbiam. In iis vero obſequendis eam rationem adhibebis, ut ne, quod dicitur, præter aras, ne quid cujuſquam alius injuria facias. Potius enim ab ea cum tuo aliquo incommodo ut abſtineas, quam cum aliorum damno ut facias, tibi præcipio. Nam in tuo damno, ut ego id ignovero, nemo alius a te quid tale repoſcet, in injuria autem, quam alii intuleris, conſcientiæ ſtimulis ſemper ſolicitaberis. Illud in primis tibi perſuadere debebis, non omnibus temere fidem eſſe adhibendam; multo vero multis pollicitationibus minus. Imponunt enim nunc magis homines, quam mutuum reddant: in quo ſæpius dedecus, quam damnum gravius hominum animos offendit, quorum utroque poſtea facile ad arma venitur: atque ita, quos amicos nobis officio comparaſſe putamus, infenſiſſimos inimicos experimur. Quoniam vero noctis tenebræ homines domum colligere videntur aut ad quietem capiendam, aut ad domeſticas actiones agendas, ipſe temporis rationi obſequens in tectum tuum te ſub primum lumen recipies ad tuos Juris conſultos optime verſandos; foris autem eos per tenebras verſari ſines, quibus lux odioſa eſt, quique inde victum per furtum, interdum etiam funem ſibi comparant. Tu vero in tuo cubiculo cum tuis libris colloquere, atque inde amice, quæ in tuam utilitatem conferas, furabere. Nam ut etiam nulli injuriam foris per illud tempus facias, quare etiam neque eam a quoquam ipſe quoque pertimeſcere debeas, multæ tamen cauſsæ ſunt, quamobrem etiam inſontes injuria afficiuntur: ut ſi pro alio accipiaris, aut alieno vulnere pereas, aut etiam inſciens alii impedimento ſis, & multa ejus generis ſimilia, quæ caſu circumvolitant. Quoniam vero in veſtris Magiſtratibus creandis contentiones inter vos maximæ exoriri ſolent; tu eas aliis relinquens in id unum incumbes, ut te cito ad publicos Magiſtratus accipiendos expedias, qui ſi ulli erunt a Principe tuo, tibi non deerunt, neque ab Aloyſio ejus fratre tibi quid tale deſiderabitur. Poſtremo autem, quod primo in loco tamen poſitum eſſe volo, ut toto animo

Deum

Deum Unum, & Trinum colas, videbis; neque quicquam ſive tecum, ſive cum alio agas, quod non ab hoc initium capiat, atque in eo perfiniat, Chriſtiane providebis. Quod ſi præſtiteris, nullæ inſidiæ, nulla fraus, nulli doli tibi intendi poterunt. Is te tectum ab omni adverſa fortuna perpetuo continebit, neque non tua ſtudia ſecreto plurimum adjuvabit. Quod ut facias, non ſolum tibi paterne præcipio, ſed te etiam, atque etiam Chriſtiane rogo. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Camillo Filio S. D.

Mandat, ut rem librariam curet, & impreſſores urgeat, quorum munera diligenter deſcribit.

8. TUas literas expecto omnibus de iis rebus, quas tibi diſcedens mandavi, in primis autem, quo loco res libraria ſit, aveo ſcire: an impreſſores in officio perſtent: an cum meo diſceſſu aliquid ipſi quoque ab eo diſceſſerint, ac remiſſius agere cœperint, quod tamen ferri poteſt, modo recte cætera. Nam quanto rem longius produxerint, tanto majori cum eorum detrimento fiet. Videbis, ut ignis ſit in furnulo ad locum concalefaciendum. Multum enim intereſt ad literas ex ſuis ſignis exprimendas, an is frigeat, an calefiat; deinde ne atramento nimis exiliter parcant. Nam quæ folia mecum attuli, ut ea melius cerno, albeſcere videntur. Qui vero in prælo comprimendo operam dat, eum commoneſeceris, ut diligentius curet, ne, quæ interſpatia ſunt, cum literis ipſis emergant, notaſque ad aſpiciendum turpiſſimas efficiant: id quod in meis in multis locis apparet. Hactenus de impreſſoribus. De cubiculi commutatione, ut tibi videbitur. Nicolai conditio mihi perplacebat, cui meo nomine ſalutem dixeris. Vale. Ferrariæ V. Calen. Decemb. MDLVII.

BAR-

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Camillo Filio S. D.

Rogat, ut libri folia jam impressa ad se mittat, curetque, ne in ea quidquam negligentiæ irrepat: literas sibi quotidie minus placere, parumque expressas videri significat.

9. TUas literas eo die, ut conjicio ex earum die, quo tu meas, accepi; sed permiror, cur folia omnia, quæ post meum discessum impressa sunt, mihi non miseris, præsertim cum hoc in primis a me in mandatis haberes, ut statim viderem, quam recte res procederet, an me absente quicquam negligentiæ in eam irrepsisset; quemadmodum de foliorum numero scribis, qui alieno loco per ejus, qui in plumbo ad prælum describit, summam imprudentiam positi sunt. Quod erratum non manu, ut tu reris, sed totius folii renovatione tantum corrigi potest, idque ejus ipsius sumptu, cujus erratum est. Sed cura te rogo, ut primo quoque tempore ea folia ad me mittas. Vereor enim, ne quid in iis gravius offensum sit. Certe literæ quotidie minus placent, parumque expressæ videntur. Mater tua te salutat. Vale. Ferrariæ XV. Cal. Janu. MDLVIII.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Petro Mercantio S. D.

Orat, ut se certiorem faciat, cur filius reditum domum differat, cum per literas uterque recepisset, postridie, quo ipse Bononiam perveniisset, illum inde aut equo, aut cisio in Patriam advolaturum.

10. EGo, Mercanti, putabam, & ut tu mihi coram, & Camillus per literas receperatis, postridie, quo tu Bononiam perveniisses, illum inde aut equo, aut cisio ad nos advolaturum; quod tantum abest, ut id mihi præstiterit, ut ne literam quidem ad me postea miserit. Id si eo fortasse fecit, quia quotidie discessurus esset, possum illi ignoscere; si vero quis novus casus

eum

eum nobis intercepit, valde doleo. Tu tamen, ſi me amas, cura, ut ſi non ante, ſaltem cum Frizolio noſtro veniat. Quod ſi ſe facturum neget, pari ratione, quamobrem id neget, me certiorem facies. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Jacobo Invitio S. D.

De fide Mazolanii nihil dubitandum ſcribit, quem & Virum probum, & antiquæ bonitatis hominem, & in re familiari ſatis commodum, & multæ auctoritatis apud Cives ſuos eſſe demonſtrat.

11. SCripſi ad Mazolanium. Is mihi reſcribit, fidemque ſuam obteſtatur, tantum abeſſe, ut quicquam adverſus tuam dignitatem egerit, ut etiam, cum a quibuſdam tuis Civibus rogaretur, ut locum iſtum peteret, nihil eos audierit, neque illis, tuumque in eorum filios ſtudium plurimum commendarit. Id quod ego tibi affirmare non dubito. Novi enim eum probum Virum, atque antiquæ bonitatis hominem; qui præterea cum in re familiari ſatis commode agit, tum etiam apud Cives ſuos non in poſtremo loco habetur, qui otii publici cauſſa XC. Vir ab iis factus eſt. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Seraphino Jacobejo S. D.

A Trigeſtinis eum iterum Prætorem non ſine aliqua Patriæ gloria ad jus dicendum delectum eſſe gratulatur, ejuſque integritatem in judicando commendat.

12. GRatulor tibi, qui iterum Prætor a Trigeſtinis delectus ſis; doleo, quod interea tua conſuetudine ſum carituras. Sed tuæ cum utilitati, tum etiam dignitati omnis mea voluptas, quam ex ea capiebam, merito eſt poſtponenda; cui id quoque accedit, quod non ſine aliqua Patriæ gloria bis in eam Prætoram decretus es. Nam etſi tua propria laus eſt, ea tamen cum tuis quoque Civibus communicatur, qui eum Civem ha-

habeant, qui ab externis longe etiam gentium ad jus ſibi dicendum iterum decernatur. Utinam, Seraphine, quod amice, ac vere dictum ſit, ea integritate, qua tu in judicando uteris, Judices uterentur; multo cum litigatoribus æquius ageretur. Non enim aut temporis dilationibus Judicia perirent, aut in iis homines cum re ætatem iniquiſſime conſumerent. Sed hic me comprimam, ne quos nolim, offendere videar. Vale, atque, iſta altera Prætura feliciter abſoluta, ut ad nos te incolumem referas, cura.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Fabricio Reſecio S. D.

De Horatii fratris, quem unice diligebat, obitu dolet, eumque conſolatur, prudentia, aut patientia præripiendum eſſe oſtendens, quod temporis longinquitas ſit allatura. Fratrem non eſſe amiſſum, ſed, unde prius deſcenderat, in Cœlum remigraſſe, quo ejus ſanctiſſimi mores, atque totius vitæ integritas illum repoſcebant, animo, & cogitatione reputandum; aliaque ſubjicit, quæ miram plane, atque ſingularem conſolandi rationem efficiunt.

13. TRiſtior nuntius mihi nullus afferri potuit, quam cum de Horatii fratris tui obitu mihi nuntiatum eſt. Ita enim eo affectus ſum, ut quovis alio gravius affici non poſſem. Amavi equidem illum, Fabrici, ut plane ſcis, cum propter Urbanum parentem veſtrum, meum optimum magiſtrum, tum vero propter ejus humaniſſimos mores, atque ſingulares animi virtutes plurimum. Cui meo tanto deſiderio tua quoque non levior cauſſa accedit, quem ſcio cum eo prope ſimul una interiiſſe. Quid enim dicam omnem vitæ tuæ voluptatem amiſiſſe? quem primum, non ut fratrem, ſed ut filium, inſtitueras: deinde etiam virum factum, atque eorum ſtudiorum, quæ vere Virum probant, Bononiam ſecutus es: atque ejus ſuaſu in eam curam veniſti, ut a tua libere vivendi ratione diſcedens uxorem duceres, hoc eſt, ut in Chriſtianam quidem illam, ſed gravem tamen, tui præſertim ſimilibus, venires ſervitutem; ut a te, qui primus eras ex quinque fratribus, jam cæ-

cæteris mortuis, quod a ſe habere nequibat, familiæ veſtræ ſemen in liberis propagaret. Paruiſti. Cum eo fraterne vivebas, uterque, ut melius ab illis curis fieri poterat, in veſtra ſtudia incumbentes; cum ecce tibi ex tranſverſo, quæ ſuo ſemper magis, quam noſtro tempore venit, mors veſtræ conjunctioni invidit; quam ut inique dirimeret, eum tibi eripuit; te ſolum reliquit, cujus dolor meo quoque dolori accedit. Videor enim te videre noctu, dieque in omni ſermone, in omnibus tuis ſcriptis, heu frater, heu frater, ubi nunc es? ubi fratrem tuum deſeris? qui, ut te multo ante in hanc lucem venerat, ita & ex ea prius exire debebat, atque etiam multo acerbiora querentem. Sed id mihi durius accidit, quod in tuo tanto luctu nullam tibi conſolationem afferre poſſum, qua vel dolorem iſtum tuum levare, ſi minus ſanare poſſem. Graviſſimam enim plagam accepiſti. Recens vulnus eſt. Medicus autem is adhibetur, cui prope pari, quam tibi fratri, conſolatione eſſet opus, qui naturæ clementia in alienorum malis valde commovetur, in amicorum vero calamitatibus prorſus occumbit. Sed quid tandem agemus, Fabrici? Tu fratrem optimum, ego amicum cariſſimum amiſimus: ſoli deſtituti ſumus. Num id perpetuo lugebimus? Certe ſi lugendo aut dolorem levare, aut eum nobis reſtituere poſſemus, omnes lachrimis habenæ dandæ, atque etiam alienæ ſummo pretio eſſent emendæ; ſed quoniam neque flendo quicquam horum proficimus, ad nos redeundum eſt, atque in rationis gyrum noſtra voluntas revocanda, quæ eſt, ut quod ſemel ortum ſit, id quoque ut aut ocius, aut ſerius moriatur, neque cauſſas ullas quærere, quamobrem nobis dolorem, quem mitigare debemus, augeamus. Amiſimus parentes, fratres alios, amicos; moleſte tulimus: quod tamen noſtra prudentia ipſi nequivimus, temporis longinquitas tantum illum dolorem non ſolum ſedavit, ſed etiam prorſus abſtulit. Id igitur, quod antea non factum eſt, in præſenti luctu arripiamus, atque pro lucro habeamus, ſi quod tempus ipſum eſt allaturum, ipſi noſtra aut prudentia, aut patientia præripiemus. Redi igitur, Fabrici, ad tua ſtudia, ac quod cum fratre amiſiſti, amiſſum ne recordare. Illud quidem in animo tibi inhæreat, fratrem non eſſe amiſſum; ſed unde prius deſcenderat, in Cœlum remigraſſe,

quo

quo ejus ſanctiſſimi mores, atque totius vitæ integritas illum repoſcebant; familiamque, ut facis, quæ reliqua tua cura eſt, in iis bonis, quæ vos veſtris honeſtiſſimis ſtudiis comparaſtis, guberna, Deoque ipſi, qui te illi incolumem reliquit, gratias agas immortales. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Benedicto Manzolio S. D.

Jocatur, jejunii die ſe male ab hoſpitibus acceptum eſſe, patriumque morem, capiendique bis quotidie cibi inſtitutum numquam dereliƈturum profitetur. Amicum autem jejunum in foro Clodiæ ad veſperam fere ambulantem ſalſe, & facete deridet.

14. PErbelli mehercle homines eſtis, atque elegantiſſimi hoſpites, quique lautiſſime, atque opipare amicum accipitis. Ita ne cum eo hoſpite fuit agendum, quem probe ſciretis & ſuo cibo quotidie bis uti integro, neque in eo capiendo quicquam horæ ſuo ſtomacho, ne illi ſtomachum moveret, defraudare? Valete, boni mei hoſpites, in omnes iſtos jejunii dies. Ego, qui & mei ſtomachi caliditate, & multo etiam magis longiori hora optime concoxeram, atque ad menſam famem uſque ad aſſum vitulinum attuleram, uno ficu, nucibus avellanis duabus, tribus minutis pyris, totidem prunis, fœniculo etiam loricato in jentaculis appoſitis eam explebo? Non placet mos iſte prandendi, qui iſtis anguſtis terminis circumſcribitur. Malo ego humilium hominum in jejuniis morem, qui ſua hora laute prandent, veſperi poſtea, ſi libuerit, quid levius guſtant, ut magis dormitum, quam laboratum, vel etiam deambulatum jejunus diſcedam. Sed mihi ſemel impoſuiſtis. Si poſthac in talem me diem habebitis, vobis permitto, ut me impranſum, atque etiam incœnatum dimittatis. Illuſerit Græcus homo, ut lubet, Italorum morem, qui bis in die ad honeſtam ſaturitatem comederent. Ego hoc patrio more, atque capiendi cibi inſtituto meam vitam ad ſeptuageſimum quartum annum, ut omnes vident, feliciter produxi. Ab hoc nunquam abducar, ſperans eam ad centeſimum productorum. Sed nunc mihi illud

de

de Clodiæ horologio in mentem redit. Nam cum Alphonſum Ferrariæ Principem Venetias, cum is eam Rempublicam ſuperioribus menſibus viſeret, cum cæteris Nobiliſſimis Viris comitaremur, noſter ordo Clodiam præmiſſus eſt, illic eum poſtea expectaturus. Poſtridie ejus diei, quo Clodiam appuleramus, longam horam, ut otioſi hoſpites faciunt, Urbem obeundo, Templa viſendo, Forum illud longiſſimum ſæpius conficiendo famem, ne dum prandium, nobis comparaveramus maximam. Cum tamen comites forum arare pergerent, tum ego jam pridem languido ſtomacho ecquando nos pranſum recipimus? Tum unus eorum, qui ſemel in tribus diebus vel pullum hirundineum in cibum ſumit, nimis cito eſt, inquit. Nondum enim ad Horologium Clodiæ decimaſexta hora ſignificata eſt. Tum ego haud leviter commotus: ergo ego famem meam ad Clodiæ horologium ſuſtinebo? non meo ſtomacho, ut poſtulat, obtemperabo? Non faciam. Ut quiſque velit, vel ad Divi Marci ſuam ſuſtineat. Ego eo, atque ita me domum converti. Cæteri conſequuntur, uno illo excepto, qui heſternam hirundinem nondum concoxerat, quique adhuc in foro cum ſua illa cruditate laxiſſime ambulat. Sed heri apud vos nuſquam mihi perfugium datum eſt. Nam ad publicum hoſpitium qui melius ruri? Ad Coquium ne iverim & recens congreſſus, & veſtri ratio valde prohibuit. Sed o te prudentiſſimum Cananium, qui tibi ab iſta inedia optime caviſti, cum Ferrariæ ad tuos remanſiſti, ubi parum, multum, ut libuit, in victum ſumpſiſti. Ego ſolus pœnas dedi, qui idem efficere poteram, ſi id animadvertens, in meo manſiſſem Quartiſano. Sed ſatis de jocis. Serius, quod reſtat. Illum noſtrum meo nomine rogabis, ut mihi, quod ſæpius ante, poſtremo etiam heri, in illa noſtra, quam vidiſti millies repetita ambulatione promiſit, ſemel tandem aliquando præſtet, atque ita, ut neque ego illi amplius negotium faceſſam, neque ille mihi ſemper defuiſſe videatur. Vale, atque Coquio ſuaviſſimo Viro ſalutem plurimam. Ex meo Quartiſano.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Benedicto Manzolio S. D.

De vappa menſæ appoſito jocatur, alteriuſque amici nobiliſſimis vinis cellam refertam omnibus patefactam laudat. De Cardinalis morbo ſe certiorem fieri poſtulat, cui, quod vivit, atque ita jocatur, totum ſe acceptum referre profitetur.

15. TUas ruſticas literas legi. De cæteris coram: de tuo autem illo vappa permirum mihi riſum excitaſti. Audieram alias de aliis; ſed minutorum hominum hoc eſſe putabam, neque ſua debilitate tot graduum ſcalas aſcendere, ſuoque haud bello ſapore ſuperbis, atque nobiliorum menſis excludi prorſus rebar. Sed nunc in tali caſu ad illum amicum eſt confugiendum, cujus cella niſi Tuſcanis, Græcis, Turbianis, cæteriſque ejus generis nobiliſſimis vinis referatur, quem videor videre illo ſuo lætiſſimo vultu & totam cellam patefacere, & convivas multo etiam menſa accipere lætiori, quam tamen nunc arbitror ex Cardinalis morbo graviſſimum veternum occupaſſe, cui ſalutem ſempiternam vide, ne meo nomine omittas dicere. Non enim illi ex ejus Tuſco puncto breviorem debeo; cui quod nunc vivo, atque ita tecum jocor, totum acceptum refero. Ego interea vindemiam abſolvam Quartiſanam, non autem Mutinenſem, ſed eam tamen, qua familiam alam; poſtea ad vos dulciſſimos ſodales accurram. Quantum Cardinalis febris ſe remiſerit, quod multum expecto, ſi ad me ſcripſeris, gratiſſimum mihi feceris; multo etiam gratius, ſi eam totam in malam crucem abiiſſe ſignificabis. Vale. Ex meo Quartiſano III. Non. Septem. MDLXI.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Benedicto Manzolio S. D.

www.libtool.com.cn

jus ruſticatum per biduum cum amicis facete Laudat, de quo a Caſpio ſe omnia cognoviſſe, & non ſine dolore eodem caruiſſe, ſignificat. Cum rus redierit, ſe probe hanc injuriam ulturum, denuntiat.

6. TOtos iſtos Baurienſes dies tibi facile concedo; quos autem in Ariſtotelis Problematibus diſcutiendis poſuiſti, etiam valde gratulor. Illud vero biduum, quod cum Hercule Contrario noſtro apud Copinum egiſti, non ſatis poſſum invidere. Omitto enim, quod delicatiſſimam atque opiparam menſam habueris, mantiliis puris, non autem pampinorum foliis ſtratam, non illud inſulſum vinum, varium, horridum, nullo modo Pado mitigandum, ſed ſua ſponte & guſtu, & odore, & colore ſuaviſſimum: non hæc, inquam, recenſeo, quibus vel centum jejunii damna facta reſarciri poſſunt, ſuaviſſimis illis ſermonibus, quos de rebus jucundiſſimis habuiſtis, non poſſum ſine dolore caruiſſe. Ego tertio die, ut a te diſceſſi, ad Urbem redii, equas interea ad trituram expectans. Poſtridie autem ecce tibi Coquius mihi ſit obviam. Continuo, mutua dicta ſalute, de ſuo ruſticatu illum percontor; ut valeas? ut crebro uſa ſitis? Recte, inquit, omnia. Biduo meus hoſpes fuit, quo Hercules Contrarius mecum manſit, ſuum comitatum prorſus deſerens. Pupugit me, ingemui. Sine me? Sed cum rus rediero, hanc injuriam probe ulciſcar. Interea vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Benedicto Manzolio S. D.

Agit de Librorum, atque Epiſtolarum forma apud veteres, ac quæ earum ipſarum Epiſtolarum cum intus, tum etiam in tergo fuerit inſcriptio. Epiſtola ſane lectu, & cognitu digniſſima.

17. CUm nudius tertius ad Aloyſium Ateſtium Cardinalem noſtrum ſatis multis diſputatum eſſet, qua ſci-

ſcilicet forma libri apud veteres fuiſſent, quaque eorum literæ complicarentur, ac quæ earum ipſarum literarum cum intus, tum etiam in tergo fuiſſet inſcriptio; ſcis me in paulo longius tempus meam de ea re conſultationem diſtuliſſe. Ut igitur eo die domum redii, libros, unde id eruere poſſem, verſari cœpi, in qua mea indagatione partim argumentis, atque rationibus, partim auctoritate, atque teſtimonio in eam ſententiam, ut, quod ad libri formam attinet, eam veterum fuiſſe, quæ noſtra quoque eſt, exiſtimarem. Continuo enim mihi ex ſimili ſuccurrit codex accepti atque expenſi, qui negotiatorum liber erat. Hic igitur codex plurimarum erat, ut ex ejus uſu conjici poteſt, cartharum ſimul una conjunctarum. Hujus autem ratio talis erat, ut in primi folii ſecunda pagina, quod expenſum eſſet, unde expenſi nomen factum, ſcriberetur; in prima vero ſequentis folii, quod contra reciperetur, quod Latini dicebant, acceptum referre, reponi ſolebat. Quam ſcribendi rationem vulgo noſtri ratiocinatores, qui veterum more negotia ſua ſcripturæ mandant, appellant *il dar, e l'avere*. Qua ratione ad codicis noſtri rationem quoque codex compactus fuiſſe planius probari non poſſet. Cum codicibus Sybillini libri conſentire videntur, qui cum in rebus dubiis conſulerentur, ut forte aperiebantur, eo in loco, ut ferunt, præſto conſilium offerebant. Quod ſi ita eſt, magis omnino ii libri conglutinati, quam conglobati fuiſſe videri poſſunt. His codicilli quoque accedunt, qui ex ligneis tabellis gypſo ſuperlitis fiunt, quæ quidem ſimul una ex inferiori parte, ut chartæ in noſtris fiunt libris, æque erant conglutinatæ; ut Cardinalis noſtri tabulæ, quibus certa navigatio diſtinguitur, mirifice & factæ, & optime conglutinatæ ſunt; quorum codicillorum forma ad librorum noſtrorum formam propius accedere non poſſet. In quam meam ſententiam id quoque conjici poteſt, quod nulla veteris codicis formæ fit a Scriptoribus mentio. Nam ſi ab hac noſtra alia, atque diverſa fuiſſet, omnino aliqua, ut de cæteris rebus, extaret memoria. Sed rem ipſam non jam rationibus, atque conjecturis, ſed veterum etiam teſtimonio magis comprobemus. Cicero igitur ad Atticum in hanc meam ſententiam inquit: *Offendes deſignationem Tyrannionis mirificam, meorum librorum bibliothecam, quorum reliquiæ multo meliores ſunt, quam putaram: etiam*

velim mihi mittas de tuis librariolis duos aliquos, quibus Tiranio utatur glutinatoribus. Ubi vides librarios glutinatores nihil aliud eſſe, niſi qui membranas inter ſe conjungunt: puta quos nos vulgo *ligatores* appellamus. Siquidem glutinare eſt rem rei adjungere; unde etiam gluten, quo quid cum aliquo conjungitur. Ciceroni vero locupletiſſimo teſti Catullus quoque, qui ejuſdem ætatis fuit, teſtis non peſſimus accedit; qui rem hanc multo planius in Suffenum [*Carmine 22.*] expreſſit. Hic enim malum iſtum Poetam irridens, quod nimis delicate verſus inſulſos, atque ineptos Regiis chartis ſcriberet, atque elegantius conglutinaret, prope noſtram hanc formam deſcribit. Ejus autem verba hæc ſunt.

Idemque longe plurimos facit verſus.
Puto eſſe ego illi millia aut decem, aut plura
Perſcripta, nec ſic, ut fit, in palimpſeſto
Relata; chartæ Regiæ, novi libri,
Novi umbilici, lora rubra, membrana
Directa plumbo, & pumice omnia æquata.

Quibus verbis noſtri libri forma, ut nunc eſt, planius deſcribi non poſſet; ut etiam umbilico, atque loris eam ornet, atque lævisſimo expoliat pumice. Non negarim tamen ſuperioribus, iiſque rudioribus ætatibus, ut quæ in papyro, quæ in foliis, quæ in cortice ſcribebant, vix tantum alteram paginam implentes, magis ſcriptorum involucrum eſſe comprobatum, in qua forma etiam adhuc apud nos multæ veterum tabulæ leguntur. In primis autem Bononiæ in Divi Dominici Sacrario Vetus, ut dicunt, Teſtamentum in corio Hebraice ab Eſdra, ut fertur, ſcriptum reverenter viſitur. Hactenus quod ad libri formam. Jam habe, quæ literarum fuerit forma, quæ tamen magis conjici, quam re vera explicari poteſt. Hæ igitur quoque magis complicari, quam involvi ſolere videntur; ut Cicero ad Atticum ubi ait: *cum complicarem hanc Epiſtolam, noctu Abundus ad me venit.* Item: *cum hanc Epiſtolam complicarem, Tabellarii a vobis venerant*; ut omnino aliud eſſe videatur complicare, aliud conglutinare; ut hoc ad libros, illud ad literas aptius accommodetur; ut etiam magis explicare de literis, evolvere autem de libris, ſive longioribus, atque perpetuis voluminibus uſurpetur. Ut item Cicero teſtatur ad Atticum: *evolvi*, inquit, *volumen tuarum litera-*

tum, id eſt, ut ego exiſtimo, multas, non autem unas tuas literas evolvi. Neque huic meæ ſententiæ illud obſtiterit, quod faſcem, & faſciculum literarum, & conjicere literas in faſcem, atque in faſciculum Latini dicant, quando faſcis earum rerum, quæ oblongæ, non autem quadræ ſunt, magis quidam eſſe velint. Quis enim neget, recte Latine etiam dici & paleæ, & herbæ, & florum faſcem, atque faſciculum? ad quarum rerum formam & librorum etiam, & literarum faſcem recte uſurpari poſſe, nunquam negarem; ut literæ, quemadmodum libri, magis in plicas, quam in ſpiras complicari videantur. Pauca hæc de literarum forma. De earum vero utraque inſcriptione multo plura conſequuntur. Ac ſtatim de ea, quæ in tergo fit, de qua nullum quidem verbum, quod ego viderim, legitur, quo affirmari poſſit, quæ ejus ratio fuerit. Tantum enim ad eam deprehendendam conjecturis ducimur, ut aut nulla, aut eadem cum interiori fuiſſe dicatur. Quod nulla, id certe Tabellarii probare poſſunt. Principes enim Cives, ut nihil dicam de Regibus, multos proprios ſervos, qui Tabellarii munere fungerentur, habebant, ut in quamque partem eodem etiam tempore literas commode mitterent. Quod quidem fieri ſolet, cum de re graviſſima agitur; ut ille ad Catilinam. *Qui ſim, ex eo ſcio, qui tibi has literas reddidit.* Nam ſine nomine eæ ſcriptæ erant literæ. Id quod etiam multifariam faciebant. Aut enim literarum loco ſigna ponebant, aut ſi literis ipſis id faciebant, aut alienis utebantur, ut Græcis; ſi veroſuis, loco b. c. ita loco c. d. atque ita deinceps uſurpabant; ut C. Jul. Cæſar factitavit. Auguſtus vero tertiam loco veræ collocabat. Quæ non vera ſcribendi ratio hac noſtra tempeſtate apud Principes noſtros ſummo in uſu verſatur. Quod autem objici poteſt, ſi Tabellarius in manus inimicorum incidiſſet, ex literarum inſcriptione facilius eas aperiri poſtea potuiſſe, cum ſcirent & a quo, & cui ſcriberentur, ut eorum conſilia deprehenderent, reſpondeo, multo avidius id facturos in iis literis, quibus nullum inſcriptionis in tergo verbum legeretur, quia eo modo majorem magnæ alicujus rei ſuſpicionem injicere viderentur; ut omnino ego ſentiam, eas ſua nulla inſcriptione caruiſſe. Quare ſi id, quod veri eſt ſimilius, ut omnino inſcriptionis nota apponeretur; quæritur poſtea,

ſcis, quænam ea fuerit? Nam ſi quæ intus quoque legitur, duplex erratum accuſant: alterum in repetitione, quando alterum ſupervacaneum eſt: alterum, quod in periculum literas adducit, ne, ut dicebam, cum a quo, atque cui mittantur, ex inſcriptione cognoſcetur, ut interceptæ erunt, continuo aperiantur, atque perlegantur. Cui rationi quoniam paulo ſupra ſatisfactum eſt, nunc alteri, idque quam pauciſſimis, ſatisfaciam. Nullum, inquam, in ea repetitione errorem eſſe, quando nihil in ea ſupervacare videatur. Nam quod foris eſt, multis id de cauſſis recte apponitur. In primis autem ſi Tabellario in via excidiſſent, ut qui eas reperiſſet, cui redderet, inſcriptione ipſa admoneretur. Præterea vero ſi plures eſſent, cui quæque veniret, ſtatim ex inſcriptione cognoſceretur. Quare ego putarem vel ſimplici inſcriptione hoc modo: P. Lentulo: C. Cæſari: M. T. Ciceroni: vel etiam præpoſito, qui ſcribit, ut M. T. Cicero P. Lentulo S. D. & Cn. Pompejus C. Cæſari S. D. fuiſſe majorum literas foris inſcriptas. Nam ſi ita ſit, ut aut ſublata, aut appoſita inſcriptione, literæ in periculum adducantur, ne deprehenſæ aperiantur, atque perlegantur, uſus ſcribendarum Epiſtolarum prorſus tolletur, fietque potius per nuntium hæc ſignificatio; quod tamen tantum abeſt, ut fiat, ut perpetuo is magis apud omnes omnium gentium homines ſervetur, ut neque noſtri quicquam vel in publicum faſciculum, ſive Romam, ſive in Galliam, ſive in Hiſpaniam, in Germaniam, ac quovis alio gentium ſuas cum ſua extrinſeca inſcriptione conjicere vereantur. Sed jam de ea, quæ interius fit, eſt, quod etiam aliquid attingam. Hanc ego conjicio initium Epiſtolæ apud veteres fuiſſe, etſi noſtri illam prorſus ſcriptione ab ea ſepararint. Quod autem ita exiſtimem facit Cicero ad L. Valerium, quæ primi familiarium ultima libri eſt Epiſtola, cujus initium tale eſt. *M. T. C. S. D. L. Valerio Juriſconſulto. Cur enim in hoc tibi non gratificer?* ubi conſtat, verbum *gratificer* referri ad *Juriſconſulto*, quo ſublato, nihil aget, fruſtraque poſitum erit. Ut item ad Tironem, cum ait; *Tullius Tirroni S. D. Quid igitur, non ſic oportet? equidem cenſeo ſic.* Addendum etiam *ſuo*. Nam cum Cicero hoc modo nimis familiariter, ac quaſi vir Conſularis nimis demiſſe cum liberto agere accuſaretur, qui ſine prænomine ac-

que cognomine, hoc eſt, ſine dignitate ad eum ſcribe-ret, illi accuſationi hoc Epiſtolæ initio ita occurrit. *Tullius Tironi S. D. Quid igitur? non ſic oportet?* ubi vides totam orationem a ſuperiori *Tullio* pendere; quam vocem ſi tollas, quod ſequitur etiam ſuſtuleris. Sentiant alii, quid velint, hoc in loco mea hæc ſententia. Sed neque huic noſtræ ſententiæ id quoque non conſentit, quod eſt in tertio libro ad Atticum, ubi ait. *Cic. ſalut. Q. Cæcilio Q. F. Pomponio Attico. Quod quidem ita eſſe, & avunculum tuum functum eſſe officio vehementiſſime probo.* Ubi vides totum hoc membrum ad illud *Q. Cæcilio, Q. F. Pomponio* referri. Probat enim Cicero Q. Cæcilii Attici avunculi adoptionem, qua Pomponium Atticum ſibi adoptarat, ut hinc quoque ſatis conſtare videatur ſalutem dictam, quod noſtri prorſus ab Epiſtola ſejunxere, omnino apud veteres cum ea conjunctam fuiſſe. Hæc habui, Manzoli doctiſſime, quæ de librorum, atque literarum forma, earumque utraque inſcriptione ad veterum rationem ad te ſcriberem: quæ ſi tibi probabuntur, tum me recte ſenſiſſe judicabo; ſin ſecus, mihi gratiſſimum feceris, ſi quæ tua ſententia erit, mihi perſcripſeris. Vale.

PETRO BENENTENDIO, BERNARDO BERGONTIO, PAULO LEONIO JUDICIBUS

Bartholomæus Riccius S. D.

De procuratoris inſolentia, & calliditate apud Judices conqueritur, eoſque orat, ne ſe ab eo contemptioni, ac deſpicatui haberi patiantur, & hinc quoque cauſſæ ſuæ præjudicium facere incipiunt, ejuſque honeſtatem in ferenda ſententia adjuvent.

18. M. Criſpinius Lucretiæ Galliniæ nomine apud Collegium veſtrum HS. X. plus minus, ad noſtram autem rationem M. libras a me dotis nomine petit, a quo cum ego de more, ut mandatum, cujus virtute id a me petit, proferat, atque utrum earum tabulas, quas protulit, veras, ac ratas probet; neutrum cogi poteſt, ut faciat, idque quamobrem non faciat, belliſſima hac fallaciola defendit. Aut enim, iſte

inquit, cauſſam vincam: ſi tum poſtea mandatum non oſtendam, fruſtra vicero: ſi ab ea cadam, vos viciſtis. Vafrum dilemma, Judices, callidum inventum. Ego vero huic meum hoc verius oppono. Aut enim hic prorſus inſanit, aut vos palam irridet. Inſanire autem eum, qui ingentes clientum greges in cauſſis ſuis quotidie tueatur, quis umquam dixerit? Sequitur ergo, ut vos, veſtramque auctoritatem deriſui habeat; quod quo animo ferre debeatis, veſtrum eſt judicium. Audiſtis autem umquam cauſſam venuſtiorem afferri? Vidiſtis umquam procuratorem meliori fide cauſſam ſuam defendere? O acutum, atque argutum defenſorem, qui quod de more omnium gentium fit, tam inſolenter ſe facturum neget! Quid putatis iſtum facere, Judices, in iis rebus, quæ aliquam veri ſimilitudinem habere videntur, cum in hac, quæ manibus tenetur, tam inſolenter ſe tueri conetur? Quis enim neſcit, ſi hic iſtas ſuas tabulas de more non probet, aut agendi mandatum non proferat, cum cauſſa ceciderit, qua ſe omnino caſurum videt, tum mulierem, ut negarit, huic ſe quicquam tale mandaſſe, novum judicium mihi eſſe comparaturam? Immo vero eo hoc omne ſpectat, quoniam nullam iſte ſpem in cauſſa habet, ut me non ſolum in hoc judicio, ſed in quibus etiam aliis poſſit, & omni ſumptu, & moleſtiis omnibus oneret, atque excruciet. Quare vos rogo, Judices, non ut iſtum hæc præſtare cogatis; quod ſcio vos veſtro jure facturos; neque ut dignitatis veſtræ rationem habeatis, quam vobis ſcio eſſe chariſſimam; ſed ut hinc quoque jam cauſſæ meæ præjudicium facere incipiatis, ut cum eo ventum erit, ut de ea ſententiam feratis, hoc quoque cauſſæ meæ honeſtatem adjuvet, pro qua ego quoque ſatis juſtam orationem habiturus ſum, in qua ſpero vobis ita hoc genus hominum exprimere, ut ne umbra quidem ſua ſit ulla cariturum. Interea valete, atque, quod facitis, veſtris æquiſſimis ſententiis æquum, rectumque tueamini.

BAR-

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Lucio Paganutio S. D.

Amicorum ſupplicationes Pignæ traditas commendat, oratque, ut omnem operam cum amico det, ut in prima ſubſcriptione abſolvantur.

19. PIgnæ noſtro duas, quas ſupplicationes dicunt, nudius tertius dedi, atque de meliore nota commendavi: idem coram tecum facere non potui: hoc nunc, ut vides, per ſchedulam facio; quæ tamen, quæ tua ſumma eſt humanitas, quin vim maximæ commendationis habeat, nihil diffido. Eas igitur tibi etiam atque etiam commendo. Hæ eorum amicorum ſunt, pro quibus mihi magis, quam ſi meæ eſſent, elaborandum eſt. Nam ſi res protrahatur, quando de impetratione nihil dubitant, magis me negligentiæ accuſabunt, quam, vos mihi parum amice ſtuduiſſe, judicabunt. Quare in veſtra manu poſitum eſt, ut probetis, me meis, voſque mihi nihil defuiſſe, quorum utrum magis nolim, non facile dixerim. Certe utroque opus eſt. Quare etiam utrunque vos rogo, atque oro, hoc eſt, ut omnem operam detis, ut in prima ſubſcriptione abſolvamur; pro quo veſtro iſto gratiſſimo officio mecum illos vobis in perpetuum obſtrinxeritis. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Sperono Speronio S. D.

Nicoletum mortis reum ſibi commendatum Principis clementia abſolutum iri ſe confidere, ſuppliciique loco longiorem carceris diuturnitatem futuram, reſpondet. Culpam nimis recentem non ferre, ut cum Principe hac de re ſtatim agat; ſe tamen probe curaturum, ut, cum prima occaſio ſe obtulerit, ejus cauſſam apud eumdem adjuvet.

20. VIdeo quam prudenter, atque adeo pudenter Nicoleti tui cauſſam mihi commendas, qui id potius miſeri ejus parentis commiſeratione motus facis, quam

quam quod illum ipſe quoque non facile condemnes, qui tantum facinus in tantum Principem admittere ſit auſus, cum puerum, quaſi obſidis loco datum, mercede pacta ei ſuffurari induxerit. At Patriæ reſtitutio, quæ illi propoſita erat, quæ omnium rerum cuique cariſſima eſt, id eum videre non ſivit. At, ut id omittam, quod fruſtra ea promiſſa eſt, vetus ſcelus, quo Patria deſideratur, hoc recens multo majus efficit, quo is ſe facile probat, in turpiter agendo non ſemel eſſe verſatum. Sed ejus tamen fortuna eum ſalvum etiam vult. Nam ſi in quemvis alium Principem id admiſiſſet, prius de ejus ſuſpendio, quam de carcere, audiviſſes. Sed noſter ea clementia eſt, ut ſua cauſſa neminem capite puniri jubeat. Quare de ejus ſalute non videor dubitare. Longior carceris diuturnitas ſupplicii loco eum torquebit. Sane Prætor affirmat, ſe, qui de illo pœnas ullas ſumat, nullo jure cogi. Quod vero nunc Principem eo nomine adeam, temporis ratio ferre non videtur. Nimis enim culpa illa eſt recens. Magis placet, ut temporis longinquitas, quæ omnes animi perturbationes mitigare, ac ſedare ſolet, hanc quoque cauſſam adjuvet. Cum ſe prima occaſio obtulerit, ne nos aufugiat, probe curabitur, teque poſtea de tota re certiorem faciam. Interea expecto de Frigimelio. Pigna Alphonſi Principis mei a ſecretis factus eſt. Is nunc cum eo Mutinam proficiſcens, ſuo nomine ut te ſalvere juberem, juſſit. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Jacobo Rufinio S. D.

Tum Orationes ſuas, tum ejus verſus aliis legendos traditos ex eo probari infert, quod, licet repetiti, numquam tamen remiſſi fuerint. Ejus nomen Rufinium ad veterum rationem, non Ruſinum ſcribendum admonet, Flaminiique Hendecaſyllabum paulo ante mortem ab eo compoſitum mittit.

21. IDem meis Orationibus, quas tibi miſi, ut ſcribis, quod tuis, quos mihi miſiſti, verſibus evenit, accidiſſe video. Nam ut tu eas Rhamnuſio filio legendas tradidiſti, neque poſtea unquam tibi ſunt redditæ; ita nos

nos ut eos Borguntio optimo Juriſconſulto, ac Principis noſtri Conſiliario, qui legeret, dedimus: cum etiam dum repeterentur, nunquam tamen ſunt remiſſi. Ex quo facto ſi tu Orationes meas probari judicas, pari ego ratione tua carmina minime improbari exiſtimo. Quod ſi ita eſt, Deo utrique gratias agendum eſt, a quo id boni cum cæteris bonis in nos profectum eſt. Si vero contra, nihil tamen propterea eſt, quod a ſcribendo deterreamur, quando etiam centeſimis ſuis aliquis honeſtus locus detur. Hæc vero de meis Orationibus, ac tuis verſibus. Quod ad Rufinium nomen tuum, ad veterum rationem, ut omnibus ex noſtra Epiſtola ad Herculem Ateſtium comprobavimus, Rufinium, non autem Rufinum ſcribere debes: utrum vero unica, an geminata f, nihil laboro. Joannem Bononium ægrotare, moleſte fero: ſed me conſolatur, quod febrim non gravem eſſe, eamque in dies leviorem fieri, ſignificas. De Rapicii ſcriptis tibi gratias ago. Ego, quod tibi novum mittam, nihil habeo de meo. Habe tamen Hendecaſyllabum, quo mecum Flaminius paulo ante, quam moreretur, ut vides, jocabatur. Vale.

M. ANTONIUS FLAMINIUS AD BARTHOLOMÆUM RICCIUM.

AH, jam rumpe ſilentium, jocoſe
Olim, nunc nimium ſevere Ricci.
Num tu ſic veterum flagras amore,
Ut Tulli, puta, Cæſariſque vivos
Ut jam pro nihilo putes amicos?
At hoc Tullius improbat, jubetque,
Te ſui cupidos habere caros;
Nec ſolum cupidos ſui, ſed omnes,
Quos virtus aliqua, probique mores
Adjunxere tibi. Sed heus, amice,
Quid rerum geritur? notare pergin'
Quicquid ad proprie, eleganter, apte
Loquendum valet? ac beare lingua
Nos prædivite? id eſt, Latinitati
Suos reddere priſtinos honores?
Quare per Ciceronis, & Terentii
Manes te rogo, perge, finibuſque

Pel-

Pelle barbariem Italis, Latinæ
Linguæ te veneremur ut patronum.
Vale. Ferrariæ Idibus Junii.

www.historici.it

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Jacobo Rufinio S. D.

Cum per ætatem jam ingraveſcentem ſibi apud eum cœnare ſæpius non liceat propter viæ longitudinem, orat, ut ad ſe cum amicis veniat, quibuſcum ſuaviſſimis etiam ſermonibus fruentur.

22. HIc dies octavus eſt, cum tecum apud te cœnavi, atque dormivi. O cœnam, atque noctem illam ſuaviſſimis ſermonibus conditam, atque peractam! Utinam ſaltem ſingulis annis eam renovare poſſem. Sed magis vereor, ne ultima ſit futura, quando neque per longam viam, multo vero etiam minus per ætatem, jam valde ingraveſcentem, id mihi licere video. Sed ipſe ultro hoc officium præſtiteris, qui omnem viam ætate facile es ſuperaturus, hoc eſt, ſi me ſæpius reviſeris, ſaltem ad illum celeberrimum diem, ut mihi recepiſti. Sed non ſine Roſſio, atque Bertonio ſuaviſſimis comitibus, quorum alteri ego ſcribo; ipſe alteri meo nomine ſalutem dixeris. Idem cum Hieronymo Avetario, Cautio, Fabrio, atque Strungonio facies. Baldo vero Viro omnium urbaniſſimo omnia a me pollicebeberis, cui ego nuſquam ſum defuturus; neque dici poſſet, quam moleſte tulerim, me illi in cœna morem gerere non potuiſſe. Dies enim diſceſſus inſtabat, quique me comes Patavii commorabatur, parum abfuit, quin pridie ſolus diſcederet. His Pomaranium ſenem illum facetiſſimum adjunxeris, qui me tamen de mille ſcutatis aureis non plene amavit. Vale.

BAR-

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Bartholomæo Bertonio S. D.

Poſtquam reditum ſuum domum ſatis commodum narravit, ejuſque Civium humanitatem commendavit; quæ in via ſibi acciderint, ſingula commemorat; Corneliorum in Paradiſo liberalitatem laudat, Capelli in Gallera villam, ſplendide ædificatam humaniſſimi villici facilitate maximè ornari prædicat; amicis ſuo nomine ſalutem dicere jubet, ejuſque adventum cum Rufinio ſe expectare ſignificat.

23. TErtio die, quo a te diſceſſi, domum perveni, via facillima, Cœlo ad Solis ardorem ſubnubilo, mula vero, quam ſcis, gradaria, quæque leniſſimo graditur ſuccuſſu. Cætera omnia læta, lætiſſimi ſermones de te, ac cæteris ſodalibus fuerunt; niſi quod meus comes gutturis anguſtia ſublaborabat, qua re impediebatur ad mutuo reſpondendum. Sed ejus aures mihi ſatis erant ad ea audienda, quæ de tua, atque tuorum Civium humanitate, quo me ſcilicet hoſpitio accepiſſetis, atque certatim lautiſſime tractaviſſetis, in toto itinere prædicabam. Nobiliſſima prandia, cœnas dubias, ambulationem ſecundum aquulam, villarum amœniſſimam obitionem ad Triſvillas, ubi optimus adoleſcens nos tam ruſtice accepit, ut ne videri quidem voluerit; etſi is recte quidem, quando ipſi villam, non autem eum, viſuri acceſſeramus. In Paradiſo a meis Corneliis certe liberalius cum a patre, tum etiam a nobiliſſimis filiis ſumus accepti. De illo meo veteri hoſpite nihil dico. Galleram poſtremo ad Capellum tuum venimus, ubi perquam familiariter a quatuor illis Gigantibus accipimur: credo, ſi ſcalas aſcendere, atque cubiculorum oſtiis capi potuiſſent, nos per omnes villæ angulos duxiſſent. Et mehercule villa eſt belliſſima, atque ſplendide ædificata, quæque cum ampliſſimis Urbium ædibus facile contendat, atque ſi paulo latiora habeat cubicula, eas etiam ſuperet. Sed humaniſſimi ejus villici facilitas illam maxime ornat, cui meo nomine ſalutem poſt gratiarum actionem Latine etiam repetitam dixeris. Si vobis de Tiena morem gerere potuiſſem, omnia

ſe-

feliciter absolvissemus. Sed nimis longe aberat, via saxosa; ego vero de superiore satis eram lassus. Sed cum ad lacum Benacum proficiscemur, eo declinabimus. Avetarium meo nomine plurimum salvere jubebis. Rossio vero sororis tuæ viro dixeris, me suas literas Ferrariam contulisse, quas ille Urbis Patavii janitori reddendas tradiderat. Quid facias? satis habeat, quod calcaria reddidi. Gratias nullas ago de ejus ad quantam viam comitatu. Id enim cum ipse a me discedet, sum pari comitatu redditurus. Quare ad dictum tempus te cum illo, atque Rufinio nostro expecto. Vale. Ferrariæ.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Joanni Rondinellio S. D.

Mittens quæ in Vallæ defensionem adversus Alciatum nuper ediderat, ad edendam patris ipsius ejusdem Viri defensionem invitat.

24. MItto tibi, quæ in Vallæ defensionem adversus Alciatum nuper edidi. Neque id ea ratione mitto, ut, a me Vallam defensum esse, intelligas; sed ut hoc te modo patris tui ad ejusdem Viri defensionem edendam invitem. Hanc igitur meam invitationem accipe, atque optimi Viri parentis tui suo lumine nomen illustra, atque ex densissimis tenebris in hanc lucem revoca. Hoc ei nihil splendidius, tibi vero, ac posteris tuis dignius facere potes. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Francisco Cornelio Marci Antonii Filiolo S. D.

Ejus in studiis progressum laudat, hortaturque, ut eandem viam cum Jacobo patrueli Georgii filio ardentius insistat, optimeque provideat, ne alter alterum in iisdem vincat, enitaturque omnibus viribus. Majores uterque suos si non superare, saltem exæquare.

25. MArcus Cornelius propinquus tuus mihi refert, te istius ætatis in litterarum studiis jam eos pro-

progreſſus feciſſe, quorum neque grandiorem natu pœniteret. Quare valde tibi gratulor, mihique gaudeo, quod meis fideliſſimis monitis obtemperaris, qui quoties iſtic apud patrem tuum, meum multorum annorum diſcipulum, eſſem, te hortari non deſiſterem, ut in hiſce noſtris ſtudiis, ut faciebas, pergeres ardentius inſiſtere, quæ ſtudia etſi ſuapte natura, atque ſumma delectatione, quæ ex iis percipitur, quemque ad ſe conſequenda facile trahunt, tibi tamen ſeparatim patris tui patruelis filius accedit. Habes enim Jacobum Georgii Filium, qui ad iſtam ſummam virtutis gloriam tecum æque contendit; in qua contentione tibi videndum eſt, ne te antecedat. Audio enim eum quoque huc omnes nervos, atque omne ſuum ſtudium contendere, ut uter utri præſtet, utrique elaborandum ſit. Sed ut ætate, amore, atque Familiæ dignitate pares eſtis, ita ne in ſtudiis alter alterum ſuperet, optime providebitis, ut ille in Rep. Romana, ipſe vero in tua Veneta excellatis, atque in utraque ſi Majores veſtros non ſuperetis, ſaltem utrique exæquetis. Parenti tuo, atque Ariadnæ Aviæ tuæ meo, atque uxoris meæ nomine ſalutem plurimam dixeris. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Jacobo Cornelii Georgii Filio S. D.

Hortatur, monetque, ne a recte inſtituto ſtudiorum curſu quoquam deflectat, in memoriam revocans, ex quæ nobiliſſima Familia natus ſit, quæ multos Cardinales, Venetos Principes, & Cyprias Reginas protulit, quorum ſtimulo ad veram gloriam ardentius incitetur. Eloquentiam cum rerum cognitione conjungendam eſſe ſubjicit, quæ in Concionibus, ad Judices, in Senatu dominatur, & cum amicis magnam dignitatem habet. Oratiunculam mittit, ut apud eum amoris ſui teſtimonium exiſtat.

26. AUdio de Marco Cornelio Spalatrenſi primario Antiſtite, idque mea cum ſumma voluptate audio, te in noſtris ſtudiis mirum in modum profeciſſe. Refert enim cum in Latinis, tum etiam in Græcis literis jam eam ſcientiam te puerum habere, quæ in viro natu grandiore ſatis eſſe poſſet. Id quod ego primum ita tibi gratu-

tulor, atque filio facerem meo. Nam Georgium patrem tuum Virum optimum, cum iſtorum eſſet annorum, ego vero Aloyſium Cardinalem, ac Marcum Antonium ejus fratrem, patris tui æqualem decem annos eadem in domo docerem, eodem amore pro ejus bonitate, quo meos diſcipulos facerem, ſemper ſum proſecutus. Quare ejus etiam filiis non poſſum non omnia optare, quæ illos ad ſummam gloriam brevi ſint elatura. Te igitur hortor, moneoque, ne ab inſtituto curſu quoquam deflectas, neque de tuis optimis ſtudiis, quam quantum ſatis ſit, ad æquam animi relaxationem quicquam amplius remittas. In memoriam tibi revocarem, ex qua nobiliſſima Familia natus eſſes, quæ non ſolum multos Cardinales, ſed Venetos Principes, atque Cyprias Reginas protulit, quorum ſtimulo ad veram gloriam ardentius incitareris, ſed eſſet, quod dicunt, currenti calcar. Hoc unum non omittam, ut te etiam, atque etiam adhorter, ut ad rerum cognitionem eloquentiæ quoque ſplendorem adjungas. Rerum quidem omnium ſcientia in omnibus ſtudiis facile præcellit, ſed eam ſuo ſtylo ornate, ſplendide, copioſe, ac unumquodque pro ſua natura explicare, in maxima laude poſitum eſt. Hæc una dicendi virtus eſt, quæ in Concionibus, ad Judices, in Senatu dominatur; cum neque etiam in familiariter cum amicis agendo non ſuam magnam habeat dignitatem. Scribunt quidem omnes, ſed pauci, mihi crede, ut decet, ſcribunt, in quorum numero ne ſis, omni ſtudio, atque omni ſtyli exercitatione contendes. Id quod etiam a doctiſſimo magiſtro tuo, qui nihilo minus in hac dicendi ratione, quam etiam in rerum cognitione valet, facile aſſequeris. Mitto tibi Oratiunculam meam, non ut ex ejus lectione quicquam doctior, aut elegantior fias, ſed ut hoc quoque amoris erga te mei teſtimonium habeas. Si eam tibi gratam fuiſſe ſenſero, quotidie aliquid ejus generis a nobis expectare licebit. Parenti tuo, atque Marinæ Aviæ tuæ primariæ fœminæ meo, atque Floræ uxoris meæ nomine ſalutem plurimam dixeris. Vale. Ferrariæ X. Cal. Mart. MDLX.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Pompilio Amaſejo S. D.

Amorem ſuum erga patrem mutuum ſemper fuiſſe oſtendit, operamque ſuam, & judicium in deligendis ex multis ejus Epiſtolis eas, quæ divulgentur, pollicetur. Petit, ut lectioni diem ſuum conſtituat, ſeque, quod recipit, fideliter præſtiturum profitetur.

27. ROmulum patrem tuum, cum viveret, amavi quam qui plurimum, mortuo vero illi amori parem etiam memoriam præſtiti, quorum utrumque cum officiis, tum etiam ſcriptis meis non ſemel teſtatus ſum. Id quod iure optimo feciſſe me fateor, qui contra ab eo non vulgariter amatus ſim, neque quod aut ad meam dignitatem, aut aliquam utilitatem pertineret, quicquam unquam deſiderarim: quem mei erga illum animi tenorem ſum, quamdiu vivam, retenturus. Quare quod ſuperioribus diebus a me petiiſti, ut in ejus Epiſtolis, quas ſane multas eſſe dixiſti, perlegendis tecum eſſe vellem, atque una poſthac, quæ utrique magis hominum lectione dignæ viderentur, eas ad divulgandum deligeremus; ego, Pompili, nunc tibi filio, quod parenti tuo optimo mortuo debeo, omne meum ſtudium, atque omnem operam, quando id jam polliceri non poſſum, libentiſſimo animo recipio. Utinam vero meum judicium tale eſſet, quo præſtantiſſimi Oratoris patris tui ſcripta recte cenſeri poſſent. Multo enim cum meis ſtudiis rectius ageretur. Quoniam tamen ita tibi viſum eſt, me quoque adducit, ut aliquid de me, quam a me facio, amplius exiſtimem. Equidem in ea lectione cum ſumma voluptate, tum etiam pari officio verſabor, qui interea ſuaviſſimum patrem tuum, amiciſſimum meum, loquentem audire videor, atque ex ejus oratione, ut olim eius auditor fuiſſem, fructum aliquem. Quare tuum erit illi lectioni diem ſuum conſtituere, meum autem, quod tibi recepi, ſi mihi prudenter, certe, quod faciam, fideliter præſtare. Vale.

BAR-

RTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Joanni Cepalio S. D.

hos mittit, ut ſub novum Auditorum conventum r exponantur, quantique vendendi ſint, arbitrio, judicio librarii relinquit, cui ipſe vendendos tra-

Um Patavii eſſem, meum Cardinalem Ateſtium ſequens, quo tempore ipſe Ticinum reverſus cauſſa fuit, quo minus tibi, ut conſtitueram, os, quos tecum perferres, darem. Nunc vero, m redii, nihil antiquius habui, quam ut eos erem, ut ſub novum iſtum Auditorum conven- ides exponerentur. Decem ſunt faſciculi, ſuo erto numero ſignati. Quanti autem unumquod- men judicandum, atque etiam vendendum ſit, ubi, cui ipſe vendendos dederis, arbitrio, at- cio relinquimus. Quos vero Aonio Mediolanum s vides, eos illi cum his literis recte perferen- bis. Ne bonitatem tuam, atque amicitiam no- ſtendam, tibi eorum reliquam curam nihil com- Si tamen de more omnium faciendum eſt, hos, fructus, tibi etiam atque etiam commendo, eam- diligentiam expecto, quam ipſe ab aliis expecta- go tibi omnium optime præſtarem. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Herculi Ateſtio Taſſoniano Nicolai Filio S. D.

Gratias agit, quod ipſe a Patre ſuo obtinuerit, ut non parvæ pecuniæ ſumma facile exigi poſſit. Ejus progreſſum in literarum ſtudiis commendat, hortaturque, ut iis acriter inſiſtat, per quæ in primis ad immortalitatem via comparatur. Rogat, ut parenti nomine ſuo cum gratiis ingentibus ſalutem plurimam dicat, cujus beneficio tanto commodo ſe auctum profitetur, ut ejus memoriam nulla unquam oblivio ſit deletura.

29. TUas literas accepi, quæ mihi ſua elegantia jucundiſſimæ fuerunt; ſed eo etiam multo jucundiores accidere, quod ex eis intellexi, me a te non leviter diligi, qui mihi prope non parvæ ſummam pecuniæ exegiſſe videris, quando id a patre obtinuiſti, quo uno impetrato, nihil præterea ad ejus exactionem opus erit. Id, quod etiam in futurum mihi liberaliter polliceris, quod ego libenter accipio, atque nunc pro utroque tibi immortales gratias ago, aliquam etiam, cum uſus venerit, relaturus. Nam quod nomen tuum meis literis cum cæteris claris Viris illuſtrari ſperas, minime falleris, ſi modo ea ſint mea ſcripta, quæ ad tantum tuum ſplendorem, quem iſta adoleſcentior ætas præſefert, aliquid luminis addere poſſint. Certe in tua iſta benigne faciendi ratione prædicanda, atque celebranda nuſquam deerunt. Sed redeo ad earum elegantiam. Equidem, Taſſoniane, te in noſtris ſtudiis aliquid profeciſſe, ut qui a doctiſſimo, atque politiſſimo noſtro Sebaſtiano Briccio magiſtro tuo inſtitutus ſis, facile exiſtimabam, ſed numquam tantum omnino ſubvereri cogebar: idque ex ea rerum omnium, quibus abundas copia, in quibus rari admodum reperiuntur, qui tantum proficere ſoleant. Quare tibi gratulor, quod iſta quoque ſtudiorum noſtrorum dignitate non parum ſis auctus, teque hortor, ut in iis, ut cœpiſti, acriter inſiſtas, in quibus mihi crede tantam voluptatem es capturus, ut hunc laborem natu grandior nuſquam alibi poſuiſſe maluiſſes. Illud addas, quod in tua iſta ſumma rerum copia tuæ locupletiſſimæ fortunæ

per

per ſe quidem ſplendidæ ſunt, ſi ad virtutem inſumantur, ſed fluxæ tamen, atque caducæ; ſi vero iſtorum ſtudiorum nobilitas accedat, illæ quaſi adamas in auro illigatæ videbuntur; præter quam quod iſtis ipſis in primis ad immortalitatem via comparatur. Perge igitur, ut cœpiſti, ut, cum rerum copia multis prodeſſe poſſis, ne tibi his optimis ſtudiis ad iſtam immortalitatem defuiſſe videaris. Parenti tuo meo nomine poſt ſalutem plurimam etiam gratias ages ingentes, cujus beneficio, quanto ego commodo auctus ſim, ne expecta dum dicam: id tantum dicam, ejus memoriam mihi nullam unquam oblivionem eſſe deleturam. Vale.

BARTHOLOMÆI RICCII LUGIENSIS EPISTOLARUM LIBER TERTIUS.

www.libtool.com.cn

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Bartholomæo Cavalcantio S. D.

Ad edendam Rhetoricam ſuam, Italico ſermone ſcriptam, avide ab omnibus expectatam hortatur, antequam omnes ejus amici decedant, quorum plurimos jam deceſſiſſe ſignificat. Diluit, quæ in contrarium afferre poterat, additque, munus tanto acceptius futurum, quanto pluribus illud ipſe communicaverit.

1. Rhetoricam tuam, Italico ſermone ſcriptam, ego avide expecto; &, ut audio, hanc ipſam jam pridem omnes mecum valde deſiderant. Quid autem ejus editionem moretur, aut quo minus doctiſſimis Viris, tuique ſtudioſiſſimis in ea gratum facias, non poſſum ſuſpicari. Sane opus jam multos annos abſolutum habes; niſi ſi ad limam ſemper aliquid deſideratur; præſertim ad illius tui rationem, cui nihil ad unguem probatur, cujus ſuperbiſſimo judicio ſi ſtare volueris, nos iſto inani deſiderio commorituros, Oratorem vero, quem in ea optime informas, numquam ex capſulis tuis in forum, atque in publicum proditurum eſſe video. Aude, Cavalcanti, tandem vivis gratiam hanc facere, atque hanc libro tuam gloriam compara, antequam omnes amici tui decedant. Deceſſit paulo ante Bembus, poſt eum Romulus, tertius acceſſit Bonamicus, quartus Sadoletus, poſtremus Flaminius; ut quoſdam alios omittam, non tanti nominis illos quidem, ſed qui tamen hunc & cum illis libenter legere, & commendare potuiſ-

tuiſſent. At motus iſti cum Gallici, tum Italici, meæ vero a Pontifice modo ad Regem, modo ad alios legationes, familiareſque curæ minime leves magno, ne id efficerem, hactenus mihi fuere impedimento. Utinam vero nunc eſſet melius. Sed poſterorum ea cura erit. Scilicet, ut in quo negligens ipſe fueris, tui ſe poſtea diligentiores præbeant. Quid ſi illi ab hiſce ſtudiis abhorreant? Quid ſi aliquo modo [quod omen Dii avertant] liber pereat? At nihil horum ſit. Edatur, legatur, laudetur. Tu certe tum nihil ejus gloriæ ſenties, ad quam unam omnes homines inflammari ſolent, neque quicquam aliud ſpectant, quam ut audiant de ſe cum ſumma laude prædicari; cujus gloriæ ſi minus cupidum te eſſe reſpondebis, certe non negabis, quam utilitatem in eo cæteris comparaſti, eam quanto pluribus communicabis, tanto munus tuum acceptius futurum. Præſentibus igitur in eo fac, ut proſis, ne te merito accuſare poſſint, qui in tui quaſi proprio conceptu maximam jacturam feciſſe videantur. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Sylvio Antonianio S. D.

Sylvium Poetam, & Oratorem laudat, aitque, eum adoleſcentem id eſſe jam aſſecutum, quod vix pauci ſenes adepti ſunt, & in utroque dicendi genere æque plurimum valere. Ejus Orationi de ſcientiarum laudibus habitæ pro rei magnitudine recte peroratæ ſe interfuiſſe ſignificat, excitatque ad utrumque ſtilum exercendum, brevi futurum pollicitus, ut homines incertum habeant, in utro plus laudis ei attribuant.

2. SAtis tibi, Sylvi, ſuperque eſſe potuit, quod ſummus Poeta natus eſſes, qui cum Heroum res præclare geſtas eo verſu caneres, [nequid nunc dicam de iis, quos Italica lingua de quaque re, quæ tibi propoſita ſit, ex tempore vel optimos facis], ut eas ipſas, ut gererentur, ante oculos proponere videaris; tum etiam cujuſque generis amores varie deplores, neque in ſacris Deorum pari cum dignitate non ludas; niſi altera etiam laudem, qua ex Oratorio dicendi genere com-

paratur, tibi tam feliciter vendicares. Tuæ Orationi, quam de ſcientiarum laudibus ad majorem Urbis Ædem habuiſti, interfui, quam pro rei magnitudine ita peroraſti, ut paucis omnia non ſolum percurriſſe, ſed etiam ample pertractaſſe mihi ſis viſus: idque eo, quo alia aliam pars aptiſſime ſequeretur, ordine, & filo. Dictione item, quæ veterum tuorum, actione vero, quæ etiam recentiorum eſſe agnoſcitur, etiam maxime laudatur; ut mea ſententia id jam ſis adeptus adoleſcens, quod vix pauci ſenes ſunt aſſecuti; ut in utroque dicendi genere æque plurimum valeas. Perge modo, ut facis, in utroque ſtilum tuum exercere, & mihi crede brevi fore, ut in utro plus laudis homines tibi attribuant, incertum habeant, atque in te finem querendi faciant, qui ex veteribus optime ſimul caneret, ac ſplendide, atque copioſe diceret, nullum æque umquam fuiſſe. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Sylvio Antonianio S. D.

De annua penſione a Principe ei conſtituta, & de extraordinaria publice interpretandi provincia commiſſa gratulatur. Admonet, ut Auctoris ſenſum brevi explicet, ne in vitioſam loquendi rationem incidat, cum nondum propter ætatem optimum dicendi genus, & uſum optime calleat.

3. QUando eodem die te Princeps noſter duplici munere affecit, ego quoque nunc tibi dupliciter gratulabor, atque utro magis, haud ſcio, an ex ſexaginta illa annua penſione tibi conſtituta, an ex ea publice interpretandi extraordinaria provincia. Nam, quod ad penſionem, illa quidem ad commodum tuum maxime confert; ſed in iis bonis tamen adnumeratur, quæ fortunæ attribuuntur; interpretandi vero munus multo quidem eſt nobilius, ſed vereor, ne tuis interioribus ſtudiis incommode acciderit. Illud enim tempus, quod huic parti dabis ad tuis Auditoribus, quicquid id ſit, explicandum, id totum de tuis optimis ſtudiis detraxeris. Huc accedit, quod dictionis elegantiæ, qua una maxime delectaris, quamque nihil omittis, ut aſ-

ſe-

ris, ea loquendi ratio plurimum eſt obſutura. Nam
Latine, ut fit, in explicandi curſu fereris, multa
tibi deficient, plura etiam non ſtatim, nec ſuo
ore ſuccurrent propria verba; tum ne hærere videa-
non ſolum impropria, aut minus culta, ſed inter-
etiam barbara, ac quicquid in buccam venerit, ar-
. Qua una re nihil eſt, quod eloquentiæ pernicio-
ccidere, nihil quod magis eam contaminare poſſit.
cum id ſæpius feceris, quod ſæpiſſime eſt facien-
, non ſolum id, ut vitium vitare ſtudebis, ſed in
orum morem lapſus, ſatis tibi eſſe præſtitum excu-
, ſi ab Auditoribus tuis intelligaris, atque ita,
eterorum commodo ſtudebis, in tuis peſſime de-
. At qua in re? Quæ in ſermone, quæ in ſcri-
, quæ domi, quæ foris, quæ nunc, quæ multos
in annos gloriæ tuæ ſit egregie obſutura. Quare
a conſilium eſt, ſi omnino docendum eſt, ne mul-
facias; ſed ut brevi Auctoris ſenſum explices. In
is enim, ut in vitioſam iſtam loquendi rationem
as, neceſſe eſt; quando nondum id eo modo face-
xtes, quo iis facere licet, qui jampridem in opti-
licendi genere conſtituti ſunt, atque dicendi uſum
ne callent; qui cum etiam ſubito ad dicendum ve-
t, neſcio quid ex eo, quod cogitate egregie faciunt,
re videntur: ac quaſi navis illa faciunt, quæ ple-
relis feratur, quibus etiam deductis, non nihil ta-
prioris incitationis ad aliquantum ſpatium retinere
ur. Sed hoc mihi eo minus moleſtum eſt, quo id
ſt rarius faciendum. Nam ſi quotidie in eo dicen-
enere tuo ſtilo abutereris, prorſus actum eſſet de
illo politiori ſcribendi modo; nunc vero non ve-
, quin multorum dierum cogitata ſcriptio perpauco-
dierum interpretationem ſit valde ſuperatura. Vale.

BAR-

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Sylvio Antonianio S. D.

Cum doctiſſimo Madio, ac Fuſchinio ad villam ſuam in Quartiſano invitat, petitque, ut reſcribat, quam libenter hanc ſuam invitationem accipiat.

4. SI tibi libebit, aut etiam commodum erit, cupio, ut cum urbaniſſimo, ne dicam nunc cum doctiſſimo Madio noſtro, ac Fuſchinio optimo Viro, mecum ad meam villulam in Quartiſano VII. Id. Jun. ſitis, quem diem lætitia magis, quam vino pleni, riſu, ac jocis traducemus; cui diei, ſi vobis per veſtras urbanas actiones licebit, eum etiam, qui ſequitur dies, adjungemus. Diſtat locus ab urbe ſex millia paſſuum, una hora matutina, plus minus, iter illud commodiſſime ciſio conficiemus. In reditu vero in Beriguardum loci Regii viſendi cauſſa facilis erit declinatio. Nolo id ante; ne ex ampliſſimo loco cum in humilem diverſoriolum poſtea veniſſetis, vobis, quaſi a ſplendidiſſimo Sole in parvum candelæ lumen oculos conjeciſſe videremini. Expecto, ut reſcribas, quam libenter hanc noſtram invitationem accipias. Nam de cæteris non dubito, quin mihi gratiam hanc læto, atque alacri animo facile ſint facturi. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Sylvio Antonianio S. D.

De Cœli inclementia queritur, hortaturque, ut lyram ſumat, Apollinemque exoret, ut ſudum reducat, ſubjicitque, id eum non negaturum, modo ſe ad preces accingat.

5. VIdes, Sylvi, quæ Cœli in nos inclementia exorta ſit. Nobis nubes undique Cœlum obnubunt; creberrimus imber toto effluit Cœlo; ut mox lutulentiſſima futura ſit via, niſi tu lyram ſumas, atque Apollinem tuum exores, ut ſudum ſaltem reducat. Noſtri riſus, noſtri joci villici vel omnibus urbanis ſuavio-

viores nobis ſunt erepti, atque prope ex ore ipſo evulſi. Si vero id non impetras, nihil eſt, cur barbiton in parietem non illidas, atque etiam fias ad Bacchum tranſfuga; aut illi miniteris, cum precibus non obtineas, te poſtea omnia ejus ſcelera palam in urbibus, in publicis locis ad ejus lyram eſſe divulgaturum. Sed non negabit, modo te ad preces accingas. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Sylvio Antonianio S. D.

Cœli improbitati ſuccenſet, quæ iter amicis ad villulam ſuam in Quartiſano impedierat. Eamdem ad unguem mirifice deſcribit, queriturque, nullam, ſi non ſui, ſaltem Madii optimi Philoſophi, Sylvii adoleſcentis Apollinis filii, Fuſchinii omnium integerrimi rationem habere voluiſſe. Fortunam ſibi adverſari ſubjicit, non tamen ſuadere, ut eam propterea ulciſcatur, ſed orare potius, ut verſibus ſuis leniat, ne poſthac, cum iterum hoc ipſum conſtituerint, tam adverſa ſit, illudque iter facile concedat.

6. Dii iſti malæ tempeſtati omnia mala dent; quando ipſa me pejus afficere non potuit. Non poterat in tertium, vel ſaltem in poſterum diem hæc Cœli improbitas differri? Ruiſſet poſtea Cœlum ipſum; nihil feciſſem. Sed, quæ mea bona fortuna eſt, credo quicquid imbris Aquarius per totam æſtatem terris demittere, quicquid ventorum Æolus effundere debuit, id totum in unam ſuperiorem noctem, atque continenter in hunc diem coegiſſe, atque effudiſſe. Dii boni, quid hoc fuit iniquitatis? aut quid ego tam impie adverſus vos egi, quem tanta injuria afficeretis? At peſſimus omnium hominum in cæteris rebus fuerim, nefarie omnia egerim, omnium ſcelerum fuerim affinis: certe hac una re nulla ſanctior, nulla caſtior, nulla integrior agi potuit. Optimum Philoſophum, ſanctiſſimum Poetam, æquiſſimum Juris conſultum ad meam villulam in Quartiſano VII. Id. Jun. animi gratia invitaram: præveram pridie ejus diei veſperi, omnibus tamen prius in Urbe, quæ ad iter illud eis accedebant, conſtitutis; ut ibi quoque haud imparatus illos poſtridie

die mane acciperem. Hactenus læta omnia : cum ecce tibi tota nocte illa , quæ conſtitutum diem præcedebat , totum Cœlum denſiſſimis nubibus ſubito corripitur , ac ventis primum , deinde imbribus ita conturbatur , ut corruere videretur. Quod ut ſenſi [ſenſi enim ſtatim] nihilo minus , quam Cœlum , ipſe omnino commotus ſum. Ad unum quoque novum venti flatum graviter angebar : totus etiam imber in me , vel in lecto cubantem irruere videbatur. Me tamen , ut melius poteram , ſuſtinebam , ſperans ad naſcentem Solem utrumque ceſſaturum. Surgo e lecto ſub ipſum diem , quando ſub Solem dicere non poſſum : circumſpicio : nuſquam ſpes fore melius oſtentatur : nuſquam Auroræ albor , nulla ſydera , nox omnia denſiſſima , creberrimus imber. Neque tamen etiam dum deſpero : media æſtas , meaque integritas conſolatur , ut partim ventus , partim Sol nubes illas diſcutiat , ceſſet imber, ſerenum inducatur. Sed fruſtra omnia : pergit , ut cœperat inclementius imber ; venti vis in ſextam diei horam acrius ingruit. Tum tota ſpe excidi , totoque animo concidi. Quicquid enim reliqui manſit , totum fuit deſperatio , atque in Cœli inclementiam illam verba aſpera. Quod ſi integritatis meæ nullam [de more ſuo] rationem habere noluit , ſaltem Madii optimi Philoſophi , hoc eſt , Viri ſanctiſſimi , Sylvii adoleſcentis Apollinis filii , Fuſchinii omnium integerrimi aliquam habere potuit. Sed nunc plane perſpicio , quantum mihi fortuna adverſetur , ut apud eam plus mei ſolius odium , quam eorum omnium bonitas valuerit. Utinam , Sylvi , mihi tuus ille divinus ſpiritus vel unum tantum diem concederetur ; efficerem probe, ut hoc haud inultum abſtuliſſe minime lætaretur. Quod ego eo ſecurius facerem , quo jam ab ea nihil gravius accipere , neque novum ei injuriæ locum dare poſſim. Neque tibi tamen ſuadeo , ut meam iſtam vicem doleas , atque gratiſſimus hoc officium mihi præſtes. Nollem enim mea cauſſa illam in te acerbius inſurgere. Valde enim eſt mala beſtia , quæ cornu , quæ dente , quæ pedibus ferit. Quin ſi me audias , eam tuis verſibus nobis lenire ſtudebis , atque omnibus precibus rogabis , ne poſthac , cum iterum hoc ipſum conſtituerimus , tam adverſa , atque ingrata ſit , tibique ſoli unum illud iter feliciter concedat. Vale.

BAR-

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Sylvio Antonianio S. D.

Se pœne in lecto valentem, dormientemque pomi lignei casu, unde lecti tentorium pendebat, oppressum fuisse significat, eumque ad suam villam in Quartisano invitat. Nihil in posterum metuendum a malis ligneis addit, quæ in ferreos uncos in terebræ morem ab altero capite præacutos commutarit.

7. JAm mihi nullum locum posthac periculo vacuum video, quando in lecto valens, dormiens, pœne oppressus sum. Nosti pomum, quod dicunt, ligneum, unde lecti tentorium pendet. Illud veteri funiculo, quo, ut usus ferebat, aut tollebatur, aut demittebatur, diffracto, mihi in alterum armum [in latus enim dormiebam] graviter decidit, ut videas hominum conditionem; sed bono tamen fato factum est, ne mihi in caput decideret. Totum enim illud mihi, quod ejus pondus erat, contrivisset; cum ita latus offendisset, ut, etiam post vigesimum diem inter eundum non nihil sentiam. Quod vero ipse non solum prorsus quartana careas, sed omnem etiam gravedinem a te removeris, valde gratulor. Quare etiam commode poteris animi caussa huc ad me te conferre, ubi lætius, quantum tibi videbitur, commoraberis. Neque est, quod quicquam a ligneis malis metuas. Magis rosea, quæ hic sunt hoc anno pulcherrima, nostris manibus colligemus. Ferreis enim uncis ab altero capite in terebræ morem præacutis, in trabe immissis, annulo item ferreo, nullo funiculo, ut tentoria appenderentur, curavi. Vale. Ex meo Quartisano.

BAR-

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Sylvio Antonianio S. D.

Cauſſam affert, cur eum ægrotantem viſere non potuerit. Addit, ſe cupere, ut Bononienſi Bolognetio mirifico adoleſcenti hoſpiti ſuo, qui miro deſiderio tenetur eum ad lyram canentem audiendi, eam gratiam faciat, ut, cum eum reviſerit, rem eleganter in ſermonem inducat, ſumptaque lyra, aliquid vel etiam de ejus laudibus ad eam agat.

8. PEdes ſum; Camillus ægrotat; Cœlum æſtu ardet; via longa eſt; rei familiaris cura me ſibi totum poſtulat; his multis ac maximis impedimentis te his diebus ægrotantem non viſi. Nunc te hoc, quo commodius poſſum, modo viſo, atque rogo, non ut mihi ignoſcas, qui nihil admiſi, neque ut valetudinem tuam cures, qui tua ſponte id facis; ſed, ut convalueris, per iſtos æſtus, ut parumper tua ſtudia, illa, inquam, ſeveriora ſtudia, non hæc humaniora, ſeponas, genioque, atque lyræ tuæ tantum indulgeas. Hoſpes hic eſt Bononienſis Bolognetius, mirificus adoleſcens, qui te ad lyram canentem audiendi miro deſiderio tenetur. Hanc ſi illi gratiam facere poſſes, & te, & optimo adoleſcente, qui haud ſcio, an huc ea tantum cauſſa acceſſerit, digniſſimum faceres. Poetæ, ac XL. Viri filius eſt, neque etiam ipſe cum infans, tum etiam a tuis Muſis alienus. Si te reviſerit; reviſet omnino; ac febris, ut audio, prorſus abierit, rem elegantem, ut facere ſoles, in ſermonem induces, atque ita belle lyram poſces, atque aliquid vel etiam de ejus laudibus ad eam ages. Interim vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Sylvio Antonianio S. D.

Ejus ingenium ad omnia nobiliora ſtudia facillime percipienda & factum, & natum laudat, nihilque ſe dubitare ait, cum par ætas, & ſtudium acceſſerit, quin Virgilio, & Maroni proxime accedat. Docet, qua ratione in Cicerone verſari debeat, quamque ex eo ſibi bene dicendi ſupellectilem comparare poſſit.

9. LEgi tuas literas, ſed quid ego dico legiſſe me? cæterorum enim leguntur, tuis vero ita afficior, ut nihil ſuavius ſentiam. His vero omni voluptate ſuffuſus ſum: neque id injuria. Nam qua ego dicendi elegantia maxime delector, ejus eæ totæ refertæ erant; ut, cum eas legerem, me non legere, ſed omni voluptate frui viderer. O te undique felicem, Sylvi, qui tecum ab ortu tantum ingenium extuliſti, atque ad omnia nobiliora ſtudia facillime percipienda & factus, & natus es. Tu in verſibus pangendis, ſive id ſubito, de quaque materia, quæ tibi propoſita ſit ad dicendum, omnes, qui te audiunt, ſumma afficis admiratione; ſive eos meditate ſcribis, ſummo eoſdem ſtupore comples. In ſolutiore præterea Oratione quis te facilior? quis compoſitior? quis comptior, atque elegantior legitur? vereor, ne me, quæ tua eſt ingenuitas, hoc aunibus tuis dare putes, atque hæc magis, quia in te eſſe cuperem, quam quod ita ſint, hæc ad te ſcribere. Te equidem tantum amo, Sylvi, idque tuis virtutibus, quantum quiſquam alius, aut etiam quemquam alium. Sed ea tamen benevolentia nihil impedior, quo minus, ſi quid ſecus in te ſit, videre poſſim, aut adducor, ut ei, quam par eſt, atque etiam facere debeam, quicquam amplius in te laudando obſequar. Quid autem ad ætatem? numquid hoc quoque falſo tibi dare videbor? Certe cum duo de viginti annos attigeris, ſummum ætatis tuæ attigeris, quo breviſſimo ſpatio alii fari incipiunt, tu vero & ſplendide loqui, & numeroſe canere didiciſti; ut vere ego illud de te quod de Virgilio adoleſcente dictum circumfertur, uſu

pare

www.libtool.com.cn

ne mihi frustra summum laborem sumam, facile
n acquiescere. At mihi crede, multo magis unum
, quam centum alienos, apparatum tibi esse pro-
um. Quidam item sunt dicendi modi, qui per se
ur, quique eodem modo semper proferuntur, ut
da non esse; *dedita opera*, sive *de industria*; *quo jure*
quoque injuria; *tertio quoque verbo*; *quaque versus*;
alias; *mutatis equis ad celeritatem*; *ad verbum*; *de*
ipso; *ut nunc est*; *quantum in me est*; *tantum abes-*
t; & alii innumerabiles, qui si in unum locum
antur, ac postea legendo vel percurrantur, istud
studium non nihil ornabunt. Sed hæc, & reliqua
ueris minuta sunt, quæque vel nullo negotio ad-
ci possunt. In scriptione vero, quæ in distributio-
ra pars erat altera, hoc studii ponendum erit,
dae scribas, rescribas, deleas, quæ scripseris, me-
ponas, in eandem sententiam non eodem modo
tuum exerceas; quando Cicero affirmat, stilum
timum dicendi magistrum, atque effectorem. Sed
modum ex uno Cicerone omnem verborum dele-
, cæteraque, quæ Orationem tuam illustrabunt,
eodem scribendi exemplum tibi sumendum erit;
nc tibi tantum proponas, cujus non solum lingua
i, sed ad ejus etiam imitationem tua sensa expone-
idearis. Hæc pauca, ut vides, quæ tamen multa
, cum tuæ optimæ naturæ adjunxeris, nihil diffi-
quin brevi sentias, te, quicquid vis, in dicendo con-
posse. Tametsi in eo jam tam longos progressus
i, ut parum viæ ad eum finem tibi relinquatur,
ego tibi, ut tuo isti desiderio magis satisfacerem,
quod quicquam meis præceptis ipse indigeres, hoc
perbenigne demonstravi. Cætera, si quæ sunt alia
lud iter conficiendum, ea ipse per te facile animad-
, atque deprehendes. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Sylvio Antonianio S. D.

Se plane hoſpitem Bononiæ eſſe ſignificat, cum nullum ex amicis ſuis ibidem offenderit; hoſpitium malum ſe inveniſſe; impreſſores alios a literis, alios ab operis imparatos eſſe. Epiſtolam claudit piſtoris inſolentiam, & incommodam hoſpitalitatem facete admodum, & jocoſe deſcribens, eumque Bononiam invitans.

10. ALtera, & vigeſima, ut noſtri dicunt, ejus diei, quo Ferraria diſceſſeram, hora Bononiam perveni, ea ciſii commoditate, quæ eſſe poteſt in publico; viæ autem facilitate, quæ ex ſuperioribus imbribus orbitis ad rotarum aſſes effoſſis, atque etiam lamis veteribus plena eſſet, quæque poſtea glebis vento, & Sole obduruiſſet. Sed id multo gravius, quod meorum quadraginta Virum nullum in Urbe offendi. Cuſpius Romæ legatus adhuc tenebatur; Gislerius, Bolognetius, Elefantutius ruri cum familiis per hæc temperatiſſima Autumni tempora ſeſe oblectabant; Paleotius Carafio Cardinali Venetias occurrerat, ut plane hoſpes eſſe videar. De cubiculo, præter hoſpitem, non autem hoſpitam, ſatis bonum virum, nihil ad meam ad Gandulfium deſcriptionem; quin ejus feneſtræ ita ſe in Cœlum tollunt, ut ſcalis ad eas aperiendas mihi opus ſit. Rides? Peream male, niſi ita eſt. Sed non apud hunc ſum diutius commoraturus. De impreſſoribus, ut dicunt, qui a literis optime parati ſunt, ii ab operis pejus imparati eſſe non poſſent; qui vero contra ab his optime, ab illis peſſime ſunt comparati, ut quid acturus ſim, non ſatis conſtituam. Si poſſem hinc hoc, illud autem ab illo, quod opus eſſet, mutuari, ſperarem aliquid confici poſſe. Dabo tamen omnem operam, ne huc fruſtra veniſſe videar. Sed iterum rideas licet. Dum hæc ſcribo ante lucem ad lumen, ecce tibi piſtor, qui noſtri vici panes coquit, oſtium more ſuo pultat: non ſentitur: iterum gravius repultat: fruſtra: tertio, ac ſæpius iratus vehementiores, atque crebriores ictus ingeminat: omnes mortui ſunt. Tum ego, ſcriptione miſſa, ad oſtium

acce-

accedo. Quis, inquam, tam insolenter fores has infringit? Pistor, ille inquit, qui jubeo istas mulieres panes conficere. Tum isti ostium aperio, ut is suo cum illis perfungatur officio. Ingreditur: vocat: clamat: vociferat: sepultæ sunt mulieres. Tandem ex inferiori ædium parte, credo ex cella vinaria, vox emittitur absurdissima; se facturas; ut videas, cui mihi in hac mea hospitalitate deserviendum sit. In vicinia autem est muliercula mente capta, altera Gabriella nostra, quæ noctu, quæ interdiu, insanis clamoribus totam complet viciniam. Sed quid? expecton te? an non? si me amas, si res tua, si Principis benignitas fert, te octo saltem dies Ferrariensibus subtrahas, atque ad nos Bononiam, pusillas Venetias, advola. Crede mihi, Urbem hanc unam omnium esse commodissimam, Civium vero animos omnium hominum humanissimos, atque in hospitibus accipiendis benignissimos. Vale. Bononiæ Id. Oct. MDLVII.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Sylvio Antonianio S. D.

Adolescentioribus ejus literis respondens jocatur, eique adolescentulo a Musis virginibus vitium oblatum ait, partumque elegantem ex eo congressu natum, videlicet optimos versus. Addit, nos Deum precibus frustra solicitare, ut ea nobis concedat, quæ in nostra manu sunt posita, Principumque animos emolliendos esse, ut pacem faciant, pristinamque quietem, & tranquillitatem Italiæ restituant.

11. MOnstrum horrendum, ingens. Ain tu Musas virgines tibi adolescentulo vitium obtulisse, atque ex eo congressu Heroum filium natum? Multiplex medius fidius portentum, mulieres castissimas cum viro coivisse, atque eum concepisse, ac peperisse. Id mihi illi Catonis simile est visum, cum nescio quis prodigium esse diceret, quod mures per noctem mane discesseruo soleas corrosissent, neque propterea illi tuto esse discedendum: *minime*, inquit ille: *id quidem prodigium fuisset, si soleæ mures corrosissent*. O elegantissimas Musas, quæ cum tam eleganti adolescentulo coivistis, atque ex eo talem partum suscepistis! Ignosco vobis vestram istam libidi-

bidinem, imo vero vos rogo, ut eam ſæpius repetatis, atque Jovis patris veſtri cum Alcumena concubitus imitemini. Concludite diem inter duas noctes, ac veſtros Hercules vos quoque progignite; quando vobis nullus uter eſt gerendus, neque ad veſtros partus ulla vocanda eſt Lucina. Sed ad partum tuum redeo. Diis gratias ago, qui, ne abortum faceres, providerunt, aut, ne, ut montes, murem pareres, effecere: tametſi hoc Principum eſt, non autem tenuiorum virorum. Sed quid, ſi ipſe Muſas compreſſiſſes? credo, ſingulæ ſingulos Apollines peperiſſent. Sed hactenus de jocis; fortaſſe etiam plus ſatis, qui, ut tibi ad tuas adoleſcentiores reſponderem, homo ſeptuagenarius quaſi ineptire videri potuerim. Tuum igitur partum, hoc eſt, tuos optimos verſus legi, relegi, atque etiam, ut eorum ratio poſtulabat, heroice concinnui. Tu quidem, Sylvi, pie, atque ad miſericordiam univerſæ Italiæ cauſſam agis, atque apud eum Judicem, qui pœnitenti ignoſcit, atque omnia ſcelera veniam petenti uſque eo condonat, atque remittit, ut ſe ſuamque vitam pro hominum ſceleribus atrociſſimæ, atque turpiſſimæ morti offerre non dubitaverit. Sed fruſtra preces fundis; inanem operam ſumis. Non quin is eas libenter audiat, ſed quia ejus ope nihil opus eſt ad id, quod rogas. In Principum noſtrorum concordia ea ſita eſt poteſtas, atque auctoritas. Ii odia deponant, arma abjiciant; animos inter ſe concilient, in priſtinam concordiam redeant, pacem faciant; otium conſtitutum eſt, quies Italiæ parta eſt, omnia tuta, atque in tranquillo ſunt poſita; ut aliunde quæramus, quod in nobis habemus; quod qui faciunt, indigni ſunt, ut audiantur. Ut illum ruſticum imitari videamur, qui cum œſtro in pede [ut in fabulis eſt] ſauciaretur, manibus in Cœlum ſublatis, Jovem rogabat, ut is illud inde ejiceret, quaſi ipſe iiſdem hoc ipſum efficere non poſſet. Ita nos facimus, qui eum precibus ſolicitamus, ut ea nobis concedat, quæ in noſtra manu poſita ſunt. Iſtos igitur, quorum odiis omnia evertuntur, jus ſublatum eſt, vis, & ſcelus dominatur, cantu, ſi potes, flecte, eorum animos emollias, atque ita pacem, atque, quod quæris, Italiæ otium conſtitueris. Hoc vero, quod ad verſus tuos. Ego hic aliquot dies eſſe cogito, cum ut mihi ad impreſſorem adſim,

tum

tum ne Camillo filio deſim, quem perinde, atque ſi domi eſſemus, in vivendi uſitata conſuetudine contineam, atque ita in aliena Urbe, quaſi in ſua, eſſe videatur. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Sylvio Antonianio S. D.

Orationem ab ipſo de laudibus eloquentiæ habitam auditoribus placuiſſe ſignificat. Hortatur, ut viam, quam in ſtudiis cœpit, ire pergat, & ſummæ de ejus ingenio omnium expectationi reſpondeat.

12. HOdie, Sylvi, mihi tecum id prope accidit, quod Cicero cum ſuo Dolabella ſibi accidiſſe dicebat. Hic enim ad ipſum Dolabellam ſcribens, ſibi ex ejus egregiis rebus, quas in Conſulatu geſſerat, multas, ac maximas a præſtantiſſimis Viris gratulationes factas eſſe, quaſi cujus conſilio eas Dolabella geſſiſſet, quodammodo gloriabatur. Nam cum ipſe ſplendidiſſimam illam Orationem de laudibus eloquentiæ habuiſſes, continuo Amanius cum Bendidio ad me accedens, tibi gratulor, inquit, Ricci, quod tam cito tantum alumnum tibi confeceris. Cui ego: nihil eſt, quod hac cauſſa mihi gratuleris. Illum magis adoleſcentem admirari omnes debemus, qui in hoc dicendi genere tantos, tamque brevi tempore progreſſus fecerit. Equidem, quod ad hanc Orationem attinet, ne verbum quidem ejus aut legi, aut audivi antea. Recte ille quidem: ſed ex tuis præceptis, atque inſtitutis eo jam pervenit adoleſcens, ut etiam ſine cortice, ut dicunt, longum natare poſſit. Tum ego: non negarim equidem me illum ut filium amare, neque quicquam habere etiam in hac dicendi ratione, ſi modo quicquam habeo quod cum eo non libenter communicarem. Sed mihi crede, tale ejus ingenium eſt, ut parum adjumenti extrinſecus illi ad quidvis faciendum opus ſit. Ego quoque illum ad verſus tantum, quos mirifice facit, natum eſſe credebam, ſed, ut ipſe quotidie magis comprobat, nihilominus ad hoc ſolurum dicendi genus, quam ad illud numeris paulo aſtrictius, appoſite factum eſſe video; ut, ſi vita ſuperſit,

neque ex inſtituto curſu aut caſus aliquis, quod nolim, aut etiam aliorum ſtudiorum ratio, quæ jam parata eſſe videtur, retraxerit, utrum præſtantior Orator, an magis egregius Poeta judicetur, in dubio ſit omnibus relicturus. Quam meam ſententiam omnes, qui aderant, Locatellii, Pignæ, Friſolii, Bendidii, Lolii, una voce & amanter, & conſtanter confirmarunt. Hæc autem tum de te. Nunc vero ego hæc tecum. Magnam tibi, Sylvi, adverſariam conſtitutam eſſe vides, ſummam omnium tui ingenii expectationem, quam niſi vir præſtiteris, non ſolum tuorum, atque adeo tuis commodis imprudenter conſulueris, ſed dignitati etiam non leviter obfueris, quorum utrumque quanto in pretio apud omnes ſit, neminem fugit. Quare ipſe interea pro virili contendes, atque eniteris, ut in neutro tibi deſis. Id autem aſſequeris, ſi ita, quam cœpiſti, viam ire perrexeris, ut quotidie aliquid amplius profeciſſe te ſentias, neque quicquam remum intermiſeris, ne ceſſando retro relabaris, atque ita fiat, ut nunquam ulterius, quo ſemel perveniſti, excedas. Quibus meis fideliſſimis conſiliis ſi parueris, tum mihi quoque ex ampliſſima illa tua gloria, ut aliquid decerpam, tibi minime moleſtum eſſe debebit. Quid enim ex Oceano guttulam haurire? Non quin hoc quoque tua ſponte ſis optime facturus, ſed quoniam mea paterna cohortatione, ſi non aliquid doctrinæ, certe acutioris ſtimuli non parum ſit acceſſurum. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Sylvio Antonianio S. D.

Se magis frui ejuſdem ſigno in vaporarii cornice collocato, quam præſentia, oſtendit, magnoque deſiderio teneri Romanæ Urbis videndæ, ſed alterum ſupra ſeptuageſimum annum, quem homini fatalem notant, rei huic impedimento eſſe, propterea que properare, ut ſua ſcripta edat. Totum ingreſſum Principis ſuæ Mediciæ in Urbem ſe ad eum perſcripturum promittit.

15. QUoties in cubiculum ingredior, quo mihi in Bibliothecam iter eſt, toties tui memoria mihi renovatur. Id autem ex tuo ſigno, quod in va-

po-

porarii cornice, ut dicunt, collocatum eſt. Id quod quam crebro fiat, dici non poteſt, ut prope te nunc abſente magis fruar, quam cum præſens adeſſes, non faciebam. Sed illud murum, mortuum, umbra: vivus longiſſime abeſt, ut inde præter tui recordationem nihil habeam amplius. Tantundem te a meo plumbeo habere, audio reſpondere. Acquieſco: te amo: a te amor: illud ex oculis, hoc ex animo. Sed moleſte fero, te a me in amore vinci; mallem equidem ſuperari. Jam alter menſis adeſt, cum a nobis diſceſſiſti, neque tamen adhuc quicquam de tuo adventu. At novus eram in Urbe: domus, quæque ad victum pertinent, cæteraque mihi erant paranda. Recte quidem. Ignoſco. Quid vero ſi ego tuas literas mea præſentia, non autem meis literis antevertam? Nihil enim mihi optatius, quam ut ego Romam, tu me Romæ, aliquando videam. Certe, Sylvi, nihil propius eſt, quam ut cum meo Principe iſtuc veniam. Jam nimis ingraveſcis; non ego. Sed ardens deſiderium tantæ Urbis videndi, tot, ac tantos amicos viſendi me vel quinti luſtri virum reddere poteſt. Noſti præterea, quam ego ætatem meam optime, atque athletice feram. Unum impedimento, ſi iſtos audiamus, eſſe poteſt, alter ſupra ſeptuageſimum annus, quem homini fatalem notant, atque in quo plures decedunt, obſervatum eſſe dicunt; quæ ſuſpicio mihi quoque injecta eſt. Quare etiam propero, quantum poſſum, ut mea ſcripta edam. De Judicio Florentiam miſi, ut opus publice deſcribatur. Familiares Epiſtolæ adhuc ſub prælo ſunt. Cum hæc ſcribebam, XIII. Cal. Mart. intercalares in Padanam inſulam, ubi ſuperiori nocte Princeps noſtra Medicia accepta fuerat, ut eam inde in Urbem ſolemni pompa ducerent, omnes conveniebant. Ego Julio, illi Monoclo LIII. annos in carcere cuſtodito, comes ſum datus. Dum equus adducitur, hæc tecum. Sed ſervus pultat. Equum adeſſe ferunt, conſcenſum eo. Totum ingreſſum poſtea ad te perſcribam: nunc vale. XIII. Cal. Mart.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Sylvio Antonianio S. D.

Colloquium cum Robertellio Bononiæ habitum describit. Antonianii ingenium laudat ad canendum ex tempore de re qualibet propoſita expeditiſſimum, hortaturque, ut rerum omnium cognitionem aſſequi conetur, ſeque brevi domum rediturum ſignificat.

14. FRanciſcus Robertellius tandem Bononiam venit expectatiſſimus. Hunc ego cum viſerem, ita me amanter complexus eſt, ut germanum fratrem amantius complecti nequiviſſet. Continuo enim inquit: ecce meum Riccium, quem Ferrariæ videre non potui, nunc Bononiæ in meo complexu teneo. Tum ego: doleo, mi Robertelli, te Ferrariæ domi meæ ita hoſpitem accipere non potuiſſe, ut tu me nunc Bononiæ advenam accipis: atque ita aſſedimus. Incipit ille. Primum Herculi Principi noſtro gratias immortales agit, qui ſe humaniſſime accepiſſet, atque cum omni rerum ſuarum vectigali condonatione ad iter ſuum res ſuas continuo expediri juſſiſſet: deinde in tuas laudes ingreſſus, earum nullum finem fecit. Commemorat enim, ut ad ſe ad ſuum hoſpitem humaniſſime viſum acceſſiſti, ac poſt amiciſſimos complexus, qui toti ſermones fuiſſent, quemadmodum cum Pigna de Poetæ fine diſputarit, cum diceret ſe Horatii ſententiam cum cæteris facile tueri; Pignam vero contra duos fines nulli facultati dari acutiſſime diſputaſſe, atque in una tantum voluptate eum finem verſari defendiſſe: ut niſi ego hic, ea cauſſa eſſem, qua plane ſcis, meum ab Urbe noſtra diſceſſum hunc pejus odiſſe non poſſem. Sed neque, quæ ſequuntur, me levius affecerunt, cum narrat, te lyram poſtea ſumpſiſſe, atque ad eam Cæſaris Heroicum, deinde alterum, quo poſtremo Italiæ calamitatem deploras, ceciniſſe. Quibus abſolutis, atque ita, ut fit, brevioribus ſermonibus interjectis, te de eo quæſiviſſe, ut tibi proponeret, de quo ex tempore Hetruſco carmine caneres. Tum ſe, ut literas laudares, propoſuiſſe. Video te primum, ut de illo cane fertur, qui in vilem feram

ram objectam nihil commotus eſt, ad nimis vulgare argumentum, ac de quo alias centies egiſſes, quaſi ſtetiſſe; deinde tamen, ut ei ſatisfaceres, quaſi in tranquilliſſimo Oceano navigares, vela ſolviſſe. In qua una tanta rei pertractatione te omnia & prudenter vidiſſe, & ſuo unumquodque loco apte, atque concinne diſtribuiſſe; ea vero dictione atque actione, quæ tua Romana eſt, mire perſecutum eſſe, aſſeverabat. Quo perfecto, te item novum argumentum quæſiviſſe, dicit. Credo ego, te a tanto Viro in re aliqua nobiliſſima, ut majus periculum de tuo ingenio faceret, cupiviſſe; id quod ipſe, ſuam humanitatem ſequens, atque iſti ætati fortaſſe non ſatis fidens, haud imprudenter omiſit. Quare alterum tibi proponit ſuperiori non minus tritum, videlicet, ut eorum ſtatum, qui Principibus ſerviunt, quos Aulicos vocant, laudares; cui reſpondiſti, te ſæpe alias contra ceciniſſe, nunc tamen in ejus gratiam hoc quoque libenter eſſe facturum; in quo item te ipſum longe ſuperaſſe, ſumma cum omnium admiratione teſtabatur. Quibus omnibus uti ego tua cauſſa interea afficerer, ne expecta, dum dicam, cum te ſcias, ut filium alterum, a me amari. Sed hæc, mi Sylvi, pœne etiam dixi fili, in adoleſcente, atque iſta, qua tu es ætate, vere commendantur, atque etiam admirationem faciunt; in paulo vero adultiori non ita; in ſenectute vero nullam prorſus dignitatem habent. Quare non tam præſentem gloriam admiraberis, quam futuram ex cæteris tuis præclaris ſtudiis omni labore contendes, ut aſſequaris. Illa, illa, Sylvi, ſolida, ac vera laus eſt, quæ ex omnium rerum cognitione naſcitur. Tu igitur, ut facis, perge illi omnem operam dare; neque ſi tibi unum Madium præſtantiſſimum illum quidem Philoſophum belli hæc importuna rabies ademit, non tamen nunc cum Belgerinius, tum etiam Locatellius tibi deerunt. Neque ego deſpero, cum bellum hoc, jam prope affectum, totum ſepultum erit, quin in ſequentem annum Madium noſtrum ſis habiturus. Tu vero interea in tuis iſtis initiis ita verſaberis, ut ad illa poſtea divina ſtudia quaſi factus, non tantum eruditus venias. Hactenus de te. Nunc ad me redeo. Brevi tecum eſſe cogito. Domo enim diutius abeſſe non poſſum; ac niſi me magis hic Camillus filius, quam Epiſtolarum mearum editio deti-

ne-

neret, me domi Robertellius, non autem Bononiæ offendiſſet. Vale. Bononiæ VI. Idus Novemb. MDLVII.

www.libtool.com.cn

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Sylvio Antonianio S. D.

Ejus carmina ita omnibus probari ſcribit, ut ſibi ſinguli ea deſcripſerint. Ad eum M. Tullii verſus mittit, quem addit & nomine, & re M. Tullium Ciceronem imitari, & Virgilii veſtigia pone ſequi ex ejuſdem ſcriptis facile ipſum judicaturum. De ſuo reditu nihil habere, quod ſcribat, navem tamen ſe conſcenſurum, antequam majus frigus Cœlum occupet, & aquæ ad navigandum gelu obdureſcant.

15. TUa carmina ita hic omnibus probantur, ut qui ea legere, quorum magnus numerus fuit, ſibi omnes deſcripſerint. Nunc in manu M. Tullii ſunt. Quid, inquies, M. Tullii? Erravi: volui dicere Virgilii. Sed neque erravi. Nam is quidem eſt M. Tullius nomine, re vero haud impolite utrumque refert; qui & eleganter ſcribit, & numeroſe etiam, & concinne canit, ut ex ejus verſibus, quos tibi mitto, ipſe facile judicabis, qui ex tuis te tanti facit, ut nullum æque, neque quicquam tam libenter, quam de tuis laudibus audiat. Puta tu, ut conveniamus, atque ego illi meis de te prædicationibus ſatisfaciam. Hic te ex meis verbis, atque adeo ex tuis literis cum multis aliis avide expectabat: etſi jampridem de adventu tuo deſperatum eſt: quamquam ego nihil umquam de eo melius, quam nunc facio, ſperavi. De meo vero reditu, aut in quem me diem expectes, ego nihil etiam dum habeo, quod ad te ſcribam. Sane hæc peregrinatio, quam vellem, jam mihi longior eſſe videtur; ſed me conſolor, cum hic fruſtra non ſum; tamen antequam majus frigus Cœlum occupet, atque aquæ ad navigandum gelu obdureſcant, navem conſcendam, atque ad vos remis, veliſque advolabo. Vale. Bononiæ.

BAR-

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Sylvio Antoniano S. D.

M. Tullii Beroji ad eum carmina mittit, quibus recentem Italiæ calamitatem deplorat, quam eodem verſuum genere idem Antonianus perſecutus fuerat. Editionem ſuam nondum ad dimidium veniſſe admonet, ſecumque ſe propediem, quidquid deſcriptum fuerit, ad eos allaturum.

16. M. Tullius Berojus hæc mihi, quæ tibi carmina mitto, ſcripſit, quorum pars altera utrique noſtrum, etſi mihi ſoli tota eſt inſcripta, communis eſt. Tametſi is in illis tuas magis, quam meas laudes perſequitur, idque mea cum ſumma voluptate, qui eo modo dupliciter laudari videor: ſemel ab eo; iterum a tua virtute, cum cujus laudibus mea laus conjungitur. Altera tota tua eſt: niſi quod ipſe quoque hanc ipſam cum eo communem habes, ut qui rem eamdem, atque eodem verſuum genere perſecutus ſit. Hic enim, ut tuos verſus vidit, continuo: vide quæſo, mi Ricci, ut in hanc ſententiam ego quoque luſerim; verſuſque ſuos mihi tuorum quam ſimillimos legit. Tum ego: Beroj, hoc quidem nihil admodum mirum videri poteſt. Res enim omnibus pernota eſt, atque in qua ſive Poeta, ſive Orator ſtilum ſuum exercere poſſet. Quis enim recentem Italiæ calamitatem deplorare, atque etiam eo modo, quo uterque veſtrum facit, facile non poſſit? Ita eſt, inquit: tamen mihi pergratum feceris, ſi ut ego a te ejus verſus legi, eam operam dabis, ut a te eodem ipſe quoque meos habeat. Id quod ei libenter me facturum recepi: idque nunc facio. De editione autem mea, ea nondum ad dimidium venit: veniam ego tamen ad vos propediem, mecumque quicquid deſcriptum erit, afferam. Vale interea. Idem ut Locatellius noſter faciat, meis verbis jubebis. Bononiæ.

BAR-

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Laurentio Frizolio S. D.

Respondet, studium Latine scribendi eleganter, atque polite probatissimorum Scriptorum assidua lectione, & ad eorum imitationem frequenti perscriptione adjuvari. Itaque ab uno Cicerone numquam discedendum, & in illo uno die, noctuque inhærendum docet, numquamque futurum, ut ex illius solius lectione ulla ipsi satietas creetur; stilum frequenter exercendum, & multa volumina conscribenda, ut rationis scribendi, quam quærit, particeps fiat. Vices has servandas, ut a lectione ad scriptionem, a scriptione ad lectionem se conferat, neque umquam una simul utramque deponat.

17. QUæris a me, Frizoli, ut quid eleganter, atque polite Latine scribendi studium adjuvet, idque strictim, atque paucis ad te perscribam. Utrumque magnum, ac perdifficile. Alterum enim ut rarum, sic etiam laboriosum ad præcipiendum: alterum, quod amplum, copiosumque sit, ut in pauca conferatur, rei magnitudo non patitur. Conabor tamen, ut isti tuo tanto, tamque honesto desiderio potius morem geram, quam ut tantæ rei magnitudini me satisfacere posse sperem. Duo sunt mea quidem sententia, in quibus hæc universa facultas versatur; alterum probatissimorum Scriptorum assidua lectio, alterum ad eorum imitationem frequens præscriptio. Nam cum verborum delectu, & eorumdem collocatione hæc elegantia maxime constet, hoc aut ab una lectione, aut a re nulla alia commode peti posse videtur. Quare, si me audias, ab uno Cicerone, qui pro cæteris omnibus mihi instar est, numquam discedes; immo vero in hoc uno die, noctuque inhærebis; quem ut deposueris, eumdem ipsum iterum sumes, atque, ut ab isto ipso discesseris, ad istum ipsum iterum redibis. Neque est quod timeas, ut fieri solet, ut ex hujus solius lectione ulla tibi satietas creetur, nisi omnem delectationem fastidio sis habiturus. Variis enim hic rebus, iisque Viro dignissimis, quasi pratum diversis, ac nobilissimis floribus ornatum, quam

est

eſt refertiſſimus. Ex hujus frequenti lectione, atque aſſidua verſandi ratione verborum delectum, tum eorum ipſorum concinnam collocationem, quæ duo, quam quæris, elegantiam maxime conficiunt, facile conſequeris, perindeque in hoc facies, atque externus adoleſcens, qui in Italiam ad ejus linguam perdiſcendam commigrarit, qui in media Hetruria ſedes ſuas collocarit, neque inde poſtea pedem ullum prius extulerit, quam ad eorum modum voces omnes proferat, atque loquatur; quod facile ex quotidiana loquendi conſuetudine aſſequetur; quique poſtea, ſi aut ſcribat, aut loquatur, in media Hetruria natus eſſe videatur. Ita tu, ſi in uno Cicerone in Latinis habitabis, dicendo efficies. Ad ejus enim modum ſplendide, atque venuſte & loqueris, & ſcribes. At hoc quantum ad lectionem. Jam vero quod ad ſcriptionem. Huic Cicero primas in exercendo tribuebat, cum diceret, ſtilum ſcribendi optimum eſſe magiſtrum. Et re vera ſi quis tantum in lectione eorum, quos volumus, commoretur, neque quicquam calamum exerceat ſuum, fortaſſe, ut de aliorum ſcriptis recte judicet, aſſequetur; ut vero ipſe polite ſcribat, numquam. Accedat oportet frequens ſtilus, ac volumina multa conſcribat, qui aliquid in hoc ſtudio ſe proficere poſſe ſperet. Nam quemadmodum ille, qui omnem artis alicujus rationem, ac ſcientiam perceperit, niſi eam poſtea exercuerit, niſi aſſidue pertractarit, nihil in ea, quod laude dignum ſit, effecerit: ita Scriptor ille, qui veræ ſcriptionis præcepta omnia pernoverit, ac etiam, ut nos volumus, in optimis noctes, atque dies ſeſe continuerit, niſi ſtili frequens uſus acceſſerit, hujus ſcribendi rationis, de qua nos intelligimus, numquam, vide quid dicam, particeps fiet. Quare, ut tu in Ciceronis lectione ſatis aures tuas pertriveris, tum calamum ſumere poteris, atque quotidie aliquid tibi effinxeris, quod ſcribendo exprimas. Scribas, reſcribas, deleas hoc, aliud ſupponas, nova ſemper argumenta tibi ſuppeditent, quæ tu oratione conveſtias. Vices has ſerva, ut a lectione ad ſcriptionem, item a ſcriptione ad lectionem te conferas, neque umquam una ſimul utramque depoſueris: verum, quod otii lectioni conceſſeris, id ſcriptioni tribuas. Item contra. Conſolare amicos in rebus adverſis; in lætis eiſdem gratulare; hos aliis commenda: nunc

hac,

hac, alias alia de re, ut ea ſeſe obtulerit, agas. Si vero Ciceronis Epiſtolas, quæ tibi magis videbuntur, ſumpſeris, atque eis quaſi tibi miſſis reſcripſeris, mihi crede id in tuam iſtam dicendi rationem plurimum collaturum, brevique fore, ut te iſtius tui ſtudii minime pœniteat. Hæc duo nunc; quotidie, ſi quid aliud opus erit, de eo coram inter nos colloqui poterimus. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Laurentio Frizolio S. D.

Gratulatur de nobiliſſima ipſius conditione Bononienſi; ſe amorem ſuum erga ipſum re ipſa, non pollicitationibus ſemper comprobaſſe; ad id vero faciendum ejus ſingulari bonitate, probatiſſimis moribus, & ſingulari eruditione ſe fuiſſe compulſum. Majorem fortunam Romæ eum brevi expectare, qua ut prudenter utatur, ejus ſapientiæ futurum.

18. DUabus tuis literis eadem de re, ſed non eodem tempore conſcriptis, unis his reſpondebo. Gratulor tibi ſtatum iſtum tuum, tuamque iſtam nobiliſſimam conditionem. Quod vero mihi gratias agere non ceſſas, ac totum iſtud boni mihi acceptum refers, tu quidem amice, atque ingenue; ſed tamen, quod minime opus erat, facis. Equidem, Frizoli, a quo die te prius cognovi, in dies magis amare perrexi, idque ob tuos optimos mores, tuaſque ſingulares virtutes feci. Quare etiam tibi, ubi meam operam opus eſſe vidi, nuſquam defui, unumque illud ſemper ſtudui, ut amorem erga te meum re ipſa, non autem pollicitationibus comprobarem. Ferrariæ apud noſtros Trotios te collocavi; illi tam te nunc quoque abſentem cupiunt, quam præſentem amabant. Bononiæ nunc multo nobiliſius agis. Hoc quoque mei officii nihil eſt expers, qui te apud omnes iſtius Urbis doctiſſimos Viros non mediocri commendatione ſum proſecutus. Sed, mihi crede, nihil tibi adulor, niſi tui probatiſſimi mores, niſi tua ſingularis bonitas, niſi ſtudia minime vulgaria id a me libentiſſime impetraſſent, verbum de te nullum unquam feciſſem; ut quas gratias mihi hac de cauſſa agis

fin-

ſingulares, eas tuis moribus, tuæque bonitati, atque ſingulari eruditioni magis agere debeas. Sed adhuc es in initio. Hoc tibi feliciter audeo ominari Major fortuna Romæ te brevi expectat. Hæc illic te totum complectetur; qua poſtea, ut prudenter utaris, tuæ erit ſapientiæ. Redeo ad me. Orationem de V. Caroli Cæſaris laudibus confeci: eam tamen non ſum tam cito editurus. Sylvius te tantum amat, quantum quemquam alium; non enim poſſum dicere, quantum quiſquam alius, ne mihi illum parem faciam. Te reſalutat. Idem facit Madius, idem Pigna. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Laurentio Frizolio S. D.

Antoniani ingenium laudat, & a ſe gratias immortales Deo agendas eſſe ſignificat, quod feliciter viderit duos fratres ſuos diſcipulos, alterum ad Ferrariæ Principatum evectum, alterum Cardinalem factum. De ſuo cum Cardinale Romam adventu nihil adhuc ſatis habere conſtitutum; ſe jam ad ſeptuageſimum primum ætatis annum perveniſſe; non ſatis ex recenti triplici gravi morbo confirmatum eſſe; familiam ſibi grandem eſſe, Camillumque filium a tali cura abhorrere. Deo itaque relinquendum, ut faciat, quod ſaluti, atque commodis ſuis expedierit.

19. BInas tuas literas in lecto tertiana laborans accepi, quarum alteris mihi ſignificas, Antonianium noſtrum pro Petri Æde ad Summum Pontificem, atque Cardinalium Collegium primo jejuniorum die de more Orationem habuiſſe, eamque cum dictionis ſplendore, tum etiam actionis dignitate mire ab omnibus commendatam, quod quidem mihi magis gratum, quam novum accidit. Novi ego jam a puero adoleſcentis ingenium, neque id deſtiti omnibus prædicare, atque etiam in quo potui, aut meis literis ad amicos commendare, aut etiam monitis illum adjuvare, quicquam omiſi. Sed floſculi ſunt hi, ut dicunt, mox, cum adoleverit, maturiores fructus eum edere ſenties, modo nobis illum Dii incolumen ſervent. Ad alteras venio, quibus

bus mihi de Aloysii Atestii mei discipuli Cardinalatu peramice, ac benevole gratularis. Est ita, Frizoli, ut dicis, cur Deo Optimo Maximo gratias agam immortales, cujus voluntate duos fratres meos discipulos, alterum ad Ferrariæ Principatum perveniſſe, alterum Cardinalem factum, feliciter viderim; id quod ego pie, ac Chriſtiane quotidie facio. De meo vero iſtuc cum Cardinale adventu, adhuc non ſatis habeo conſtitutum. Hodie, qui eſt Id. Martii, LXX. & alterum annum ago. Decem hiſce menſibus proxime elapſis ter graviter ægrotavi, neque nunc ſatis confirmatus ſum. Familiam habeo, quod familiam ducit. Noſti uxorem fœmellam, neptes ex fratribus grandiuſculas. At Camillus filius eam reget, & prudenter gubernabit. Noſti quam ſui juris ſit, quamtumque ab omni tali cura abhorreat. Equidem, ut Cardinali nuſquam deſim, omnia facere poſſum; ut nobiſcum etiam ſim, nihil libentius facerem, cum me quoque Romam videndi maximum jam pridem teneat deſiderium. Hæc adventus mei adhuc informata ratio eſt. Deus reliquum, quod ſaluti, atque commodis meis expedierit, ut qui ſolus id novit, ita etiam effecerit. Vale, ac Sylvio noſtro ſalutem. Ferrariæ. Id. Martii MDLXI.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Franciſco Tonanio S. D.

Ob diligentiam in curando Sylvio prope paternam ſe multum ei debere fatetur, rogatque, ut videat, ne per difficilem hyemem quotidie ab Urbis capite ad alterum caput Doctores ſuos audiendi gratia itando in periculum ejus vita adducatur; ne de media nocte ex lecto ad libros exſurgat, cum mollis, ac delicatus adoleſcens ſit, & frigido ad concoquendum ſtomacho. Admonet, moderata durare, quæ vero modum excedunt, cito interire.

20. EGo te, Franciſce, ob tuos iſtos optimos mores valde amo; ob ſingularem autem ac prope paternam diligentiam, quam in Sylvio noſtro curando adhibes, quem numquam a tuo latere vel unum pedem diſcedere ſinis, multum etiam tibi debeo. In quo tuo ſum-

ſummo erga illum ſtudio etſi nihil eſt, quod ipſe non videas, quodque deſiderandum omittas, ego tamen, qui poſt te illum omnium maxime diligo, ut mihi ſatisfaciam, te etiam atque etiam rogo, ut videas, ne per hanc difficilem hyemem, cum ab Urbis capite ad alterum caput quotidie illi cum ad Belgerinium, tum ad Locatellium ejus Doctores itandum ſit, aliquid gravioris morbi contrahat, quo poſtea non ſolum tantus ſtudiorum curſus interpelletur, verum etiam ejus vita in periculum adducatur. Sane vel paucorum dierum ſtudiorum jactura magna eſt, eaque fugienda, ſed vitæ nulla major, quæ cum nobis ſemel adempta eſt, numquam poſtea recipitur. Quin domi etiam id quoque providendum erit, ne ſcilicet de media nocte ex lecto ad libros per hæc ingentia frigora exſurgat. Mollis enim eſt adoleſcens, ac delicatus, quique frigido ad coquendum utatur ſtomacho: hunc parva vis frigoris facile exſuget. Moderata, mihi crede, ſunt, quæ durant, quæ vero modum excedunt, cito intereunt. Ille ſenectutem effœtam a diſſoluta juventute reddi præcipit: ego vero ab immoderatis laboribus eam, antequam veniat, interfici, poſſum ex ejus ipſius ſententia affirmare, cum ait, qui diu ſenex eſſe cupiat, eum mature ſenem eſſe faciendum. In quem meum metum id quoque me inducit, quod hujus generis ingenia, quæ præcocia appellant, brevi ad maturitatem ſuam pervenire ſolent. Idque male natura comparatum eſſe videtur, quod ubi ſimul una ſunt bona plurima, certant, eumque, in quo ſunt, interimunt; a quibus omnibus nobis & valde metuendum, & diligenter cavendum eſt. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Laurentio Ochio S. D.

Franciſcæ propinquæ ſuæ cauſſam commendans poſtulat, ut æquum judicium de ea ferat, ſeque jus ſuum, non alterius injuriam ſequi, profitetur.

21. ETſi Franciſcæ propinquæ meæ cauſſam ſæpius coram tibi commendavi, nunc tamen, quando judi-

judicium instat, illa, eamdem commendationem ut tibi per literas renovem, a me valde contendit. Narrat enim omnium rerum, quæ sub divisionem veniunt, æstimationem factam esse, idque tantum restare, ut ad æquissimam portionem dividatur. Ea autem esse videtur, si cuique cujusque rei pars dimidia tribuatur; non autem alteri tota domus, alteri fundus; ne illi, ubi habitet, foris conducendum, huic vero pro agro in tegulis ferendum sit. Hoc, si æquum sit, quod æquissimum esse videtur, ut decernas, te etiam atque etiam rogo; sin contra, nihil laboro. Jus enim meum, non alterius injuriam sequor. Vale.

www.libtool.com.cn

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Aonio Paleario S. D.

Facete de fide sibi data non præstita conqueritur, frustraque se ab onere voluminum suorum exemisse, quæ a Cephalio Juris Civilis Papiæ Interprete accipiet librario danda, ut vendat. Cum autem secum tres dies esse noluerit, se ad eum brevi venturum, gravissimumque hospitem ad longissimum tempus cum eo commoraturum significat.

22. ITane fidem datam præstas? itane tuum Pignam, atque Lollium, ne quid de me dicam, revisis? O amicum elegantem, qui tres suos veteres amicos tam optatus decipit, fallit! Expecto navicularii præproperam festinationem, diem studiorum instare, viam longam, tempora pertimescenda, & cætera id genus. Scilicet omnia ficta, atque inania. Me miserum, qui verebar, ne in Hetruria ægrotares, quotidie, vel etiam in singulos dies, tuum istum diem expectans: quando ecce Lollius mihi significat, te Mediolani esse, atque ad te eo scripsisse, quo nuntio gravius offendi non potui. Sed si ea tamen ratione nos devitasti, atque fugisti, ne te meis voluminibus onerarem, haud recte vidisse te, nunc vides. Ea enim tibi a Cephalio, qui Papiæ Jus Civile interpretatur, mitto. Tu vero istic, ut coram constituimus, tuo librario ea vendenda dabis: pretium autem is faciet pro voluminis ratione. Interea vale, & quoniam mecum esse tres dies noluisti, me brevi expecta

ad

ad longiſſimum tempus tecum commoraturum, graviſſimum ſcilicet hoſpitem, quique tuorum ſcriptorum omnium omnes capſulas tibi compilet, atque exhauriat. Rides? videbis, ſi vivimus. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Dario Bocarinio S. D.

Pro accepto beneficio in ſe ſponte collato gratias ingentes agit, rogatque, ut quidquid a ſe referetur, id eo loci habeat, quo gratiſſimi, atque ſui ſtudioſiſſimi haberet.

23. DAri, quantum tibi debeam, ipſe optime ſcio; quantum autem ego de me optime meritis gratus eſſe ſoleam, ipſe cum cæteris, cum uſus veniat, faciam, ut intelligas. Etſi tuo tanto in me officio omnem meam referendæ gratiæ rationem facile ſuperaſti, qui tua ſponte id in me contuliſti, quod nullis meis precibus vix ſperaſſem a quoquam alio impetrare. Res enim major eſſe non poterat, mihique perquam neceſſaria; ut etiamſi in ipſa tibi referenda gratia par ſim, ex eo tamen ſim futurus inferior, quod fecero benigniſſime laceſſitus, ſemperque magis referre, quam inire gratiam videbor. Te tamen rogo, ut quicquid a me tibi referetur, id eo loci ut habeas, quo gratiſſimi, atque tui ſtudioſiſſimi haberes amici. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Baſilio Milanio S. D.

Gratias agit, quod de ſe honorificentiſſime locutus fuerit, & ſua ſcripta laudibus omnibus extulerit. Se in poſterum curaturum, ut mutuo amore ei reſpondeat, & ſi poſſit, ejus benevolentiam ſuperet. Opus de Imitatione, & cætera ſcripta, quæ ſe optare ſignificaverat, mittit.

24. CAmillus filius mihi ſcribit, quæ multa ſecum de me honorificentiſſime locutus es, cum & mea ſcripta omnibus laudibus efferres, & propterea te me, quam quemquam alium, nihilo minus, ut tuo

verbo utar, obſervare; quæ mihi eo jucundiora accidere, quo etiam minus expectabantur. Qui enim ego ab eo homine, quem neque de facie noſcerem, tanti me umquam fieri exiſtimaſſem? Neque etiam in meis ſcriptis tantam vim ineſſe, quæ tantum amorem mihi conciliaret, in mentem umquam veniſſe potuiſſet. Sed cum hæc mihi gratiſſima fuere, tum etiam nonnihil ex eo quoque moleſta accidere, quod mutuo tibi in amore tantum tempus non reſponderim, præſertim cum meus mos ſit, magis in eo amicos ſuperare, quam etiam æquare. Quare mihi poſthac videndum erit, ut in te amando id ſtudii, atque benevolentiæ ponam, ut in quo imprudens defecerim, ſciens id longe ſuperem; id, quod re ipſa comprobare incipiam. A Camillo enim cum his literis cum meum opus de Imitatione, tum etiam cætera ſcripta, quæ te optare ſignificaſti, habebis. Vale, meque, ut tua ſponte facere cœpiſti, nunc etiam meo rogatu ama, qui tibi ſum in eo officio optime reſponſurus. Ferrariæ.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Lollio S. D.

De Bentivolii græviſſimo morbo certiorem facit, monetque, ut, ſi vivum eum viſere velit, ciſium conſcendat, & in Urbem advolet. De humana conditione dolet, miſeriaſque omnes veræ vitæ cogitatione fortiter ferendas ſubjicit.

25. BEntivolius noſter, niſi animam ageret, gravius ægrotare non poſſet. Aſſidua enim, idque multorum dierum febri conflictatur, poſtremo cum pulſus intermiſſione, quod medici in ægrotis lethale ſignum eſſe dicunt, ut ſi eum vivum viſere velis, ciſium conſcendas licet, atque in Urbem advoles. Ut videas quam humanæ conditioni fidendum ſit, quem optime valentem paulo ante reliqueras, nunc quaſi ad ejus elationem inviteris. Certe quavis ſagitta [quid enim flumine dicam?] hic omnia magis fluxa ſunt. Pueritiam continuo ſenectus conſequitur, vitæ mors adhæret, ut nihil homo ſit, niſi poſtquam mortuus eſt. Id enim qui tollunt, hominem omnibus belluis infeliciorem faciunt. E-

jus

jus igitur veræ vitæ ſpe hic iſtas miſerias conſolemur, noſque ad iſtum diſceſſum in Chriſto comparemus. Vale.

www.libtool.com.cn

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Lollio S. D.

Bentivolium melius habere ſignificat, ac propterea eum reditum ſuum ad Urbem differre poſſe. Reſpondet de ſorbis ſibi commendatis, additque, Horatio ejus filio in ludo minime fidendum, cum in tribus luſtris ſe admodum fefellerit.

26. BEntivolius noſter, ut hoc pro illo, melius habere cœpit, jamque ſpes eſt eum poſſe vivere, ut hac ratione reditum tuum ad Urbem tui nobiliſſimi Muſei ſtudio commode differre poſſis. De ſorbis locutus ſum cum meo villico. Is apud vicinum noſtrum, qui plantariis cujuſque generis optimam operam dat, rectos, ac procera altitudine, caudicis etiam apta craſſitudine notaſſe ſe dicit. Illum continuo remitto, ut eas tibi emat: item redit: refert, pridie eum eas alii vendidiſſe, [puta, ut commotus ſim] reliquos eſſe parvulos ad hominis altitudinem. Sed non puto, te Muſeum nobiliſſimum pumilionibus ſorbulis ornare velle; niſi mavis, ut apud te concreſcant, ac quaſi ſuam adoleſcentiam faciant. Uxori tuæ ſalutem; quam meis etiam verbis admonebis, ne Horatio in ludo quicquam fidat, quando in tribus luſtris nos tam vafre fefellit. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Lazaro Sabellio S. D.

De acceptis literis certiorem facit, rogatque, ut Hippolytum Orium adeat, rem magni ponderis ei commendet, oretque, ut eam urgeat, & , quo loco ſit, ad ſe perſcribat.

27. CUm eſſem in via ad Venetum Legatum, ad quem me quotidie ventitare plane ſcis, tuæ mihi literæ ſunt redditæ. Has ita, ut fit, in via legere

cœpi. Cum vero ad ejus ædium veſtibulum perveni, noſti quam inæqualiter ſtratum ſit, lectioni etiam dum intentus, ita pedem offendi, ut parum abfuerit, quin præceps corruerem. Eæ mihi tamen nihilo minus gratæ fuere. Nihil enim caſus ille mihi quicquam de illarum ſuavitate, qua pleniſſimæ erant, detraxit. Gratulor tibi te ſalvum, atque incolumen domum rediiſſe. Ecquid aliud? multa; ſed quæ non temere ſunt literis committenda. Parmam ad Hippolytum Orium jam multis ante diebus ſcripſi de re non leviſſima. Nunc iſtic cum ſuo Principe eſſe audio. Si me amas, te rogo, ut illum adeas, eique illas literas ita commendes, ut facis, cum quid amice, ac valide commendas. Res enim, de qua agitur, magni ponderis eſt, mihique, quam ſi mea eſſet, nihilo minus cara. Ut illam urgeat, ipſum urgebis, ac quo loco res ſit, ut ad me perſcribat, rogabis, meque illi valde commendabis. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Franciſco Robertellio S. P. D.

Frizolium amicum ſuum ei commendat, additque, eum incredibili deſiderio ardere audiendi ipſum interpretantem Pindarum, ut, ſi quid ex ejus virtute ad illud ſcribendi genus adjungere poſſit, id ab illo uno adjungat.

28. EN tibi, Robertelli, Frizolium meum, immo vero tuum, quem mihi nova iſta tua conditione eripuiſti, immo vero utriuſque. Nam quod ad ejus erga me benevolentiam nihil mihi, etiamſi ad Indos naviget, detrahi poteſt: tibi quidem, quod mihi detrahitur, accedit ejus ſuaviſſima atque amabiliſſima conſuetudo. Sed quando hoc cum ex honeſtiſſima conditione, tum ex te ipſo, a quo magnum lumen in ſuis ſtudiis conſequi ſperat, magnam illi utilitatem allaturum video, illi magis gratulor, quam mihi, qui eo cariturus ſum, doleo. Commendarem hunc tibi quantum cum ejus optima ſtudia, tum etiam maxima, quæ inter nos vetus intercedit amicitia, poſtularet, ut eum non in recentium, ſed in vetuſtiſſimorum amicorum numero haberes, atque huic, quæ tuis intimis amicis præſtas, omnia

mnia amice præſtares ;. ſed quando ejus ſtudia, atque optima natura id abs te, quamvis duriſſimus ſis in amicis obſequendis, qui ſumma etiam in alienos humanitate es præditus, facile obtinebunt, hac commendatione ſuperſedendum eſſe duxi. Hoc tantum addam, hunc incredibili ardere deſiderio te Pindarum interpretantem audire, ut ſi quid ex ejus virtute ad illud ſcribendi genus, ad quod & natus, & factus eſt, adjungere poſſit, id a te uno adjungat. Si id aſſequatur, Deus eſt: ſi minus id tibi per tua publica ſtudia licebit, ſaltem quoties licebit, aut in ſermonibus, aut etiam cum a publicis ſtudiis vacabis, nonnihil hoc ejus tantum deſiderium levare non gravaberis. Quod ut facias, quod negaram facere me, te vehementer etiam, atque etiam rogo, atque ita omnia ejus commoda commendo, ut ſi mea commendarem propria neque meliori de nota, neque majori ſtudio, neque ponderoſioribus literis tibi commendarem, pro quo me tibi omnia polliceor debiturum. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Vincentio Cartario S. D.

Gratulatur cum omnibus amicis, eum eſſe in maxima gratia apud Cardinalem Hippolytum Ateſtium, Deumque orat, ut illius fortunam in hunc curſum directam in eo perpetuo ſervet, ejuſque res in dies magis ſecundet.

29. HUc omnium literis, atque nuntiis affertur, te in ea apud Cardinalem tuum Hippolytum Ateſtium, qua quis alius maxima, eſſe gratia. Quod quoniam neque a tua virtute, neque ab ejus judicio, qui magnus eſt hominum æſtimator, diſcrepat, eo omnes, quod etiam mirum in modum cupimus, ita eſſe ſine ullo dubio ut credamus, facile inducimur. Quare tui omnes Rondanelii, Madii, Gualenghii, Martelii tibi valde gratulantur; ego vero in primis, atque adeo ante hos omnes. Nam iſti veteri neceſſitudine, atque tuis erga illos minime vulgaribus officiis id facere tenentur. Equidem pro iis paucis annis, quibus amamur inter nos, ita iſta tua fortuna amice affectus ſum, ut non concedam, quemquam, quam ego fecerim, inde majorem voluptatem

tem percepiſſe. Sed vide, ut nos homunculi ſumus, hoc eſt, rerum omnium ignari, quod nos aliquando gravius dolere nequivimus, eo nunc lætius exultare non poſſumus. Deos omnes, qui fortunam tuam in hunc curſum direxere, ut eam in eo perpetuo ſervent, atque ut res tuas in dies magis ſecundent, rogo, atque oro. Vale.

www.jbtool.com.cn

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Sulpitio Tombeſio S. D.

Gratias agit pro condimento ad manus commolliendas, atque delicatius conſervandas miſſo, ejuſque virtutem, atque præſtantiam laudibus extollit.

30. JOcabar equidem, Sulpiti, cum tecum de tuis Regiis condimentis ad manus commolliendas, atque delicatius conſervandas, nudius tertius agebam. Quid enim ſeni cum illis ad ſuas, quas ſæpius nudas habuerit, atque in opere, non illo quidem ruſtico, ſed familiari verſatas continuerit? quo ſi non ſint callis obductæ, ſaltem aliquam duritiam, certe jam creberrimas rugas contraxerint? Sed id tamen placuit experiri: vixque [mirum] ſemel eo manus mihi unxi, atque leviter livi, cum ejus virtutem, atque præſtantiam ſenſi. Continuo enim vel olorina pluma, atque infima auricula molliores, atque teneriores ſunt factæ. Cutis vero ita ſe tetendit, atque dilatavit, ut codicilli non tam expoliti, atque explanati ſint. Cui tuæ ſummæ virtuti ſummus, ac mirificus odor accedit, ut ſive tactu, ſive ad olfaciendum jam Regias manus habere videar. Utinam vero, quod cuti extrinſecus junioris aſpectus tuum iſtud attulit medicamentum, interius etiam ad ſanguinem ejus virtus penetraret, huncque in venis renovaret. Sed alia ratio eſt eorum, quæ ſimulari, atque fingi poſſunt; alia eorum, quæ nullam ſimulationem accipiunt. Cani quidem tingi, rugæ in fronte ad aliquod tempus probe diſſolvi poſſunt; natura tamen interius nullo artificio reprimi poteſt, quin ſecreto ſuum curſum conficere pergat, ac quanto longius procedit, tanto magis de noſtris viribus nobis detrahat, atque diminuat. Sed ad rem redeo. Ego pro tuo iſto elegantiſſimo munere mirificas tibi gratias ago, atque ſi quid unquam

quam amplius valeam, ejus quoque optime recordaturus. Vale.

www.libtool.com.cn

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Octobono S. D.

De honestissima conditione gratulatur, hortaturque ad optimos Scriptores Auditoribus suis interpretandos, ipsosque ad eorum imitationem excitandos, a quorum uno plus utilitatis, atque gloriæ comparari potest, quam ab Apulejis, Philelfiis, Mancinelliis, & reliquis ejus ordinis.

31. FRanchinus Lenzolius me tuo nomine salvere jussit, quod cum per se mihi jucundum fuit, tum etiam multo jucundius accidit, quod is mihi eam salutem ita amanter, atque peramice dixit, ut me suo illo suavissimo sermone totum sibi devinxerit; præsertim cum tui se omnium studiosissimum esse demonstrarit. Gratulor tibi honestissimam conditionem, meliorem etiam propediem expectans. Tu vero interea, ut facis; in ista politiora studia incumbas, neque ab optimis Scriptoribus, hoc est, a Cicerone, Cæsare, Terentio, Virgilio, Horatio, & si qui sunt ejus generis alii, tuis Auditoribus interpretandis quicquam discedas. In primis autem ab eorum imitatione eos ne verbum quidem abduces. Versentur alii per nos quidem licet, in Apulejis, Philelfiis, Mancinelliis, & reliquis ejus ordinis Scriptoribus; nos in paucis iis omne nostrum studium, atque adeo in uno quovis horum occupemus, a quo plus utilitatis, atque gloriæ, quam a cæteris omnibus sumus comparaturi. Vale.

BARTHOLOMÆI RICCII LUGIENSIS EPISTOLARUM LIBER QUARTUS.

www.libtool.com.cn

ANDREÆ CORNELIO CARDINALI

Bartholomæus Riccius S. D.

Significat, se non verbis, sed ex intimo animo gratulari de Cardinalatu ipsi delato, & enixe Deum orare, ut illum sic fortunet, ut eum ad reliquum, qui unus supereſt Dignitatis ampliſſimus, cumulum feliciter provehat.

1. PUtabam equidem, ut etiam Paleſtinio noſtro dixeram, me, ut te Cardinalem factum eſſe audiſſem, novo, atque inuſitato gratulandi genere tecum uſurum. Id enim & ſingularis amor erga me tuus, & mea in te perpetua obſervantia, ac fides integerrima jure æquiſſimo poſtulabat. Sed cum id nunc præſtare conarer, aliter mihi, atque ante putaram, evenire ſenſi. Tanta enim iſta ſumma Dignitatis tuæ acceſſione ſum lætitia affectus [probe enim noſti, quam ego meos moliter amem] ut non ſolum nullum præclarum gratulandi genus potuerim aliunde eruere, ſed illud etiam, quod maxime vulgare eſt, mihi prorſus exciderit. Quare id, quod res eſt, tecum cogita, me, quod verbis non queo, tuam iſtam ampliſſimam Dignitatem tibi ex intimo animo, atque vere gratulari, neque ea vel tuorum quemquam, quam ego faciam, magis lætari. Hoc vero, quod poſſum, non omittam, ut Deum Opt. Max. rogem, atque omnibus precibus orem, ut iſtum tuum Cardinalatum ſic tibi fortunet, ut is ad reliquum, qui unus ſupereſt Dignitatis ampliſſimus, cumulum te feliciter provehat. Vale.

BAR-

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Georgio Cornelio S. D.

Ejus fratrem Andream Cardinalem factum, tantamque Dignitatem in nobiliſſima Familia retentam, ac quaſi hæreditariam relictam, gratulatur.

2. NE puta, Georgi, quod cum Andrea Cardinale fratre tuo facere nequiverim, me tecum id facere poſſe; hoc eſt, ut tibi ejus ampliſſima Dignitate mirifice gratuler. Omnem enim digniorem gratulandi rationem ea lætitia, quam ex ejus Cardinalatu percepi, valde ſuperat. Quare tibi ſatis erit, ſi tecum uſitato, ac vulgari gratulandi genere utar. Tibi igitur, atque etiam Marinæ matri tuæ præſtantiſſimæ fœminæ valde gratulor; quod ipſe ab altero patruo in fratre cariſſimo; illa vero in filio, in cujus amore omnes matres ſuperavit, tantam eam Dignitatem retentam, ac quaſi hæreditariam relictam videatis. Quam veſtram ſummam voluptatem Deos omnes non ſolum, ut diuturnam vobis conſervent, ſed etiam cum multis aliis ſuo cumulo ut augeant, rogo, atque oro. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Philippo Cardinali Gislerio XL. Viro S. D.

Rogat, ut cum amicis honeſtiſſimæ petitioni ſuæ non deſit, contendatque, ut Fuſchinius inter primos renuntietur, cujus virtutem, Juris prudentiam, integritatem, ac probitatem extollit.

3. SI mihi per Camilli filii invaletudinem licuiſſet, id coram feciſſem, quod nunc per literas facere cogor. Quantum ego Fuſchinium Virum cum maxima in Jure Civili ſcientia, tum ſumma totius vitæ integritate, meum præterea Civem, & veterem amicum diligam, hoc, quod tecum, atque cum aliquot tuis Collegis ejus cauſſa facio, omnibus indicio eſſe poteſt. Hic in eorum albo ſcriptus eſt, ex quibus vos veſtros quinque Judices

[quam

[quam Rotam dicitis] de more poſtea decernitis. Multos quidem competitores habemus graviſſimos, ac prudentiſſimos Viros, tamen ſi tu cum cæteris noſtris amicis XL. Viris huic honeſtiſſimæ petitioni noſtræ non defueris, non dubito, quin inter primos renuntiemur. Certe ſi virtute, atque Juris prudentia, non autem ambitione certemus, jam facti ſumus. Cave enim putes prudentiorem, aut magis probatum Virum, [quod cum cæterorum probatiſſimorum Virorum bona gratia dictum volo] in iſtum Judicum ordinem decernere poſſis. Verum ſi omnino ambiendum ſit, qui mos ab uſque Majoribus noſtris ſervari pergit, ſuffragatores habemus optimos Viros, atque gratioſos homines Collegas tuos non pauciores, quibus ut te addas, te etiam atque etiam valde rogo, qui poſtea petitionem noſtram veſtra omnium gratia ita foveatis, atque ornetis, ut nullam repulſam feramus. Quod ſi, ut ſpero, mihi conceſſeris, ego tibi polliceor, te nullam umquam tuam ſuffragationem honeſtius poſuiſſe, neque tuis Civibus gratiorem operam dediſſe, neque quemquam umquam tuis omnibus officiis tibi, quam hoc me, atque Fuſchinium gratiſſimum Virum ſis facturus, obſtrinxiſſe. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Lanfranco Gypſio S. D.

Gratulatur de Gyraldio a ſecretis Principis facto, & Cavalcantio inter familiares ejuſdem adſcripto, aitque, incertum eſſe, utrum eis magis gratulari debeat, qui tanta dignitate a tanto Principe cohoneſtati ſint, an Principi ipſi, qui præſtantiſſimorum Virorum virtute, & prudentia auctus ſit.

4. EGo, Gypſi, duos amicos, & Gyraldium & Cavalcantium hodie ſumma cum gratulatione complexus ſum, quod ille a Principe noſtro in eum numerum delectus ſit Virorum, quos habet a ſecretis perpaucos; hic vero inter eos familiares, quos cariſſimos habet, adſcriptus ſit. Tametſi haud ſatis ſcio, utrum eis magis gratulari debeam, qui tanta dignitate a tanto Principe cohoneſtati ſint, an Principi ipſi, qui præſtantiſſi-

tiſſimorum Virorum virtute, & prudentia ſic auctus ſit, ut prope magis in quovis alio Viro augeri non poſſet. Sed non eſt hic locus, ut pluribus verbis eorum commendationem perſequar, tibi præſertim, qui utrumque optime noſti. Hoc vero, quod magis ad rem pertinet, non omittam. Id autem eſt, ut tua tandem opera fiat, ut contra iſti mihi quoque ex eo, quod ipſe ex ejuſdem Principis verbis mihi jam ſæpius es pollicitus, gratulari poſſint. Quo uno iſto tuo officio & eis dederis, in quo mihi grati eſſe poſſint, & me a Camillo filiolo omni ſolicitudine liberabis. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Marco Antonio Cornelio S. D.

Certiorem facit, ſe Venetias cum filio, & matre brevi venturum, oratque, ut Patavium ad ſuos ædium cuſtodes ſcribat, ut eos hoſpitio accipiant.

5. CAmillus filius miro deſiderio videndi Venetias tenetur; Flora mater vos viſendi multo majori æſtuat; ego vero, ni quotidie de vobis aut loquar, aut cogitem, moriar. Quare eum illi a me contendere non ceſſent, ut ſe hujus tam honeſti voti compotes faciam, ego vero nihil eis libentius concedam, ut qui in eorum deſiderio mihi magis obſequar, conſtitui in hunc proximum Chriſti aſcenſum cum eis vobiſcum eſſe. Sed quoniam puer etiam in Pado commovetur, mater autem nihil magis horreſcit, quam mare; ciſio iter hoc facere decrevimus. Patavium igitur ad tuos ædium cuſtodes, qui nos hoſpitio accipiant, ſcribas te rogo. Si vero meo aliquo bono fato illic te offenderem, nihil mihi optatius, nihil opportunius accidere poſſet. Id enim amplius una & eſſemus, & longioribus ſermonibus frueremur. Dies autem adventus noſtri tertio die ante diem Feſtum eſt conſtitutus, ut poſtridie commodiſſime tecum Venetiis cœnemus. Ariadnæ matri cariſſimæ, ac Cæciliæ uxori alteri animæ tuæ noſtro omnium nomine plurimam ſalutem dices. Vale.

BAR-

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Honorio Stellæ S. D.

Ejus progreſſus honorificos in ſcribendo laudat. Admonet, eam exercendi rationem, qua in ſua Oratione uſus eſt, ad dicendi copiam plurimum valere, ad imitationem non ita; veram autem imitandi rationem aut ex ſimili, aut ex contrario ſumendam eſſe. Tres ſuas Orationes mittit, & quidquid in ſe eſt aut ingenii, aut gratiæ, ei exhibet, ut fideliter utatur.

6. VIncentius Madius tuam epiſtolam una cum ea Oratione, quam tu paraphraſim in eam, quam Cicero pro M. Marcello egit, inſcribis, mihi legendam miſit, quarum utramque non ſolum libenter legi, ſed etiam valde ſum admiratus. Nam qui iſtorum annorum adoleſcens, ac pœne puer tam prudenter, tam compoſite, tamque eleganter ſcribat, magis ſumma admiratione ſuſpiciendus eſt, quam ut ejus ſcripta libenti animo ſint perlegenda. Equidem, Stella, complures vidi, qui in hoc ſcribendi genere multo, quam tu es; diutius verſati ſunt, atque etiam [quod cum eorum tamen bona gratia dictum volo] de principibus loquor, qui non ita tamen, ut tu facis, ſcribunt; ut miraculum ſit, quod in ſcribendo tam paucis annis, tam parva ſcribendi exercitatione, tantos, tamque honorificos progreſſus feceris. Te equidem hortarer, ut in hanc dicendi facultatem ardentius incumberes, ſed id perinde eſſet, atque ſi quis eum equum impelleret, qui jam ad metam perveniſſet. Quoniam tamen me tuæ iſtius egregiæ ſcriptionis quaſi auctorem appellas, idque ex noſtris libris de Imitatione, quos in manibus aſſidue te habere ſcribis; viſus ſum recte facturus, ſi hoc quoque modo, in quo opus eſſe viderem, tibi non deeſſem. Scito igitur, eam exercendi rationem, qua tu in tua Oratione uſus es, ad dicendi copiam certe plurimum valere, ad imitandum non ita. Non enim aliis verbis, atque etiam alio ordine, quod alius dixerit prius, perſequi, etiamſi quid commutes, atque etiam addas de tuo, veræ imitationis eſſe videtur. Siquidem vera imitandi ratio

tio aut ex ſimili, ut nos præcipimus in ſecundo libro de Imitatione, aut ex contrario ſumitur. Quare ſi me audis, aliud poſthac argumentum tuum capies ad ſcribendum, quod cum aliquo Ciceronis argumento aliquam ſimilitudinem habeat; ut ſi tu cuipiam ſumma aliqua ejus ſecunda fortuna gratuleris, ita exordiaris, ut Cicero pro M. Marcello in agendis Cæſari gratiis facit, poſtea in ejus virtutis egregias laudes digrediaris, atque etiam Orationem tuam abunde locupletes; poſtremo ad rem rediens, eam feliciter abſolvas. Aut etiam ſi magis placet, ut ipſi fecimus in Archiam Poetam, aliquid ex eodem tibi libenter proponas, contra quod dictionem tuam exerceas, ut in Ligarium, aut in Cœlium, aut, ut nobis in animo fuit, diſſuaſionem Legis Maniliæ, in qua ut ille Cn. Pompejum, tu contra L. Lucullum ſummis laudibus exornes. In qua dicendi ratione ſi ſtilum tuum occupabis, mihi crede, brevi fore, ut ejus ſtudii te minime pœniteat. Quod meum conſilium, ut pluribus tibi nunc probem, nihil opus eſt, cum id in libris de Imitatione plane omnibus comprobarim. Inde cætera tibi ſumere poteris, ſi minus hiſce paucis acquieſces. Mitto tibi tres Orationes meas, nuper editas; in iis, quam dicebam, in Archiam, ut videas, qua ratione tu quoque, ſi quid tale aggreſſus fueris, pertractes; tibique perſuadeas velim, me tua iſta virtute, ne quid de moribus, atque totius vitæ tuæ ſanctiſſimis inſtitutis agam, habere nihil, quod tua cauſſa libentiſſime nolim; ut ſi quid in me eſt aut ingenii, aut gratiæ, quo aut tibi, aut cuiquam tuorum uſus aliquando accidat, eo tam fideliter utaris velim, quam ſi ipſe a patre tuo, aut Camillus meus a me ipſo uteretur. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Joanni Baptiſtæ Rhamnuſio S. D.

Rogat, ut primo quoque tempore impetret a X. Viris Venetæ Reipublicæ, ut ſibi liceat Epiſtolas ſuas edere, & ſi quid cum Navagerio etiam agendum reſtat, per Paulum filium hoc quoque agi, & tranſigi diligenter curet.

7. PRoxime cum Venetiis eſſem, cum Bernardo Navagerio Senatore optimo, ac gratiſſimo Viro de Epi-

Epiſtolarum mearum editione diligenter egi. Is mihi humaniſſime, quantum ad ſe attineret, eam libenter permittere reſpondit, ſed hanc tamen eamdem permiſſionem a Pontificis Legato impetrari oportere, is quoque affirmavit. Id quod a Manutio noſtro continuo nobis optime curatum eſt. Audio poſtea permiſſu X. quoque Virum opus eſſe. Id ſi ita eſt, cujus opera ego apud tantos Viros & fidelius, & facilius uterer, quam tua, ſi omnium optio mihi daretur, non haberem, qui eorum ſis tot annos a ſecretis, ego vero te totidem unice obſervem. Quare te rogo, ut eis fidem tuam, idque tum ex Manutii, tum etiam ex filii tui lectione obſtringas, nihil in iis Epiſtolis offendi, quod earum editionem nobis vetare, aut etiam quicquam retardare poſſit. Præterea vero, ſi quid cum Navagerio etiam agendum reſtat, videlicet, ut permiſſus ejus ſcripto extet, te etiam, atque etiam rogo, ut per Paulum filium hoc quoque & agi, & tranſigi diligenter cures. Quæ omnia ut a te, quæ tua ſumma eſt humanitas, facile impetrem, nihil dubito; ut vero ea primo quoque tempore impetrem, te valde rogo. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Paulo Rhamnuſio S. D.

Oſtendit, nullam cauſſam eſſe, cur de parentis optimi, & integerrimi Viri morte doleat, qui totam vitam cum in privatis amicorum, tum in publicis Reipublicæ officiis peregit; ſuamque operam, ubi opus fuerit, ei pollicetur.

8. MAllem te perpetuo, quo cœperas, ſilentio mecum uti, quam eam cauſſam habere, quamobrem tandem ad meas multorum menſium literas reſponderes. Æquius enim tuam iſtam diuturnam taciturnitatem ferre poteram, quam parentis tui amiciſſimi mei mortem non feram; de qua ita tamen ad me ipſe ſcribis, ut non ſolum a me nullam conſolationem indigeas, ſed mihi eam non levem afferre videaris. Quibus rationibus, quas cum prudentiſſimas, tum etiam Chriſtianas adducis, quando ipſe filius acquieſcis, qui ego amicus non acquieſcam? Ille quidem ſatis matura ætate

[quan-

[quando omnino decedendum eſt] deceſſit. At qui Vir? qui totam illam vitam cum in privatis amicorum, tum in publicis iſtius magnificentiſſimæ Reip. officiis integerrime peregit. Unde etiam cum eo nunc quoque optime agi pro certo tenendum eſt, cui pro tot benefactis par a Deo in ejus Regno gratia referatur. Equidem unum illud mea cauſſa doleo, quod quamdiu quatuor annis me præcedebat, tot ego ſemper mihi, quaſi jure meo poſſe vivere, promittebam, ac quanto me diutius vivendo anteceſſiſſet, ego quoque in ejus vitæ curſu meam vitam producere videbar. Nunc vero, cum ad ejus annorum numerum pervenero, ad meum perveniſſe ſuſpicari potero. Si quid tamen eſt [quod facere negaram] quod cæterorum cum parentis, tum etiam tuorum amicorum officiis a me accedere poſſit, id ego tibi ita ſedulo polliceor, ut cætera vere, atque ſincere cum amicis facere ſoleo, quæ tantum abeſt, ut benevole præſtem, ut, quæ ipſe videam mea ſponte in eos conferre, non omittam. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Joanni Martino Peregrinio S. D.

Propter ejus literas maximam eſſe voluptatem ſuam ſignificat, maximumque ſuum deſiderium eum videndi, & cum eo colloquendi. Admonet de morte, & ſcriptis ſuorum amicorum, & nonnulla innuit, quæ ſecum ſecreto egerant.

9. QUantam mihi voluptatem tuæ attulerint literæ, ne expecta, dum dicam. Præ gaudio ad nomen tuum lacrymæ mihi exciderunt. De te enim cum tot annos nihil neque a te, neque a quoquam alio audiſſem, vereri interdum cogebar, ne in iſtis tuis Aſianis ſcripturis deceſſiſſes; ut vero te incolumem eſſe, idque a te ipſo cognovi, Dii boni, quo non ſum gaudio affectus? O mi ſuaviſſime Peregrini, o mi vetus, ac fideliſſime ſodalis, ut te abſens abſentem libenter amplector! Sed cur, ut hoc multo arctius præſens præſenti facerem, mihi facultatem non dediſti? cur ipſe tuas literas non attuliſti? cur ex iſto tuo Municipio tuæ ſcripturæ vel in biduum, quod ſcio a Prætore tuo im-

petrasses, non te surripuisti? atque ad nos tui cupidissimos advolasti? Nolo, ne verbo quidem, tantam meam lætitiam conturbare, sed te possem accusare, parum amice feciſſe, qui non prius ad me, quam isthuc, accesseris. Scio enim te brevi, idque etiam cumulatius præstaturum. Te igitur expecto, ut veterem omnem omnium rerum ac consiliorum nostrorum memoriam repetamus, usque ad Trojani excidii causſam, ex quo incendio ipse quasi alter Æneas non a matre Venere, sed a fidelissimo amico ereptus fuisti. Qui vero risus in tectis illis Nasonianis? Sed reliqua in adventum tuum reservo. Hoc tantum; ex omni illo nostro amicorum numero me, & Auguſtinum Abiosium, qui nunc Patavinus, ut dicunt, Collateralis est, his etiam auris perfrui. Rotengus, Cochius decessere. Rigonius nosti, quid egerit. Julius in Galliam eo tempore, quo tu in Asiam, profectus est. Multa scripsit, atque edidit cum summa sua gloria. Arbitror, cupio quidem certe, eum adhuc vivere. O noctem illam Nestorianam, cum nobis a lictoribus. Sed te expecto, ut secreto omnia agere, atque suaviſſimum risum alter alteri commovere possimus. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Angelo Angelinio S. D.

Sibi nihil deberi propter officium ipsi præstitum profitetur, atque adeo ne gratias quidem, cum, quidquid ejus causſæ profuit, sua sponte profuerit. Addit, sibi gratissimum futurum, si ita se gesserit in Bentivolio instituendo, ut ejus parentes ex isto officio ei gratias agant.

10. CAusſa nulla erat, quamobrem mihi ullas gratias ageres, nedum ullam te referre non posse, per literas quererer. Parum enim id, quod tibi præstiti, atque adeo minimum, fuit officii. At maximum fuerit. Quoniam tamen id ex meo animo, nullius autem precibus in te profectum est, a nullo item ullam relatam gratiam, aut etiam gratiarum actionem expectare debebat. Quicquid causſa tuæ profui, mea sponte profui; si qua in meo officio ulli debitio est, ea mea est; mihi ipsi debeo. Verum id mihi gratissimum erit, si ita te in Bentivo-

volio noſtro inſtituendo geſſeris, ut ejus parentes ex iſto tuo officio mihi gratias agant: id quod cum tua, tum etiam mea cauſſa ut diligentius facias, te etiam, atque etiam rogo. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Duobus Philippis Braſchio, & Savorellio S. D.

Ambos valere cupit, & ad ſuum ſuburbanum invitat, ut ibi læte, quamdiu libuerit, in Socraticis ſermonibus agant.

11. TAntum ego vos amo, Philippi, quantum vos inter vos diligitis, niſi etiam magis. Nam quæ vos cauſſa in amore mutuo facere cogit, ſimplex eſt, utriuſque ſcilicet integritas, quæ utrumque tam arcte inter vos conjungit, hæc eadem mihi duplex fit, quando ubi vos tantum alterum, ego duos unice diligo. Quare primum vos valere cupio, ſeparatim autem Savorellium, ut cui hoc magis opus ſit, quique non ſatis firma utitur valetudine; deinde cras ambos in meum ſuburbanum expecto. Vos domo ciſio Durellius tollet. Hora vos commodius mecum ſiſtet, ubi læte, quamdiu vobis libebit, in Socraticis ſermonibus agemus. Ubi vero loci ſatietas vos ceperit, continuo in Urbem revertemini. Ad primam diei horam, ut is cum ciſio vobis adſit, mandavi. Volo enim, ut Cœlo matutino iter hoc conficiatis, ne quid ardentioris Cœli ſentiatis. Valete.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Philippo Braſchio S. D.

Suum eum videndi deſiderium ſignificat, hortaturque, ut Concionibus ſuis concordiam inter iratos animos conciliet, doceatque factionum principes, ne eorum voces audiant, quorum inopiæ, & improbitatis maxime intereſt, Civitates inter ſe diſſidere.

12. OMnes Quadrageſimæ vulgo longæ & ſunt, & dicuntur, hanc vero tui deſiderium mihi omnium

mnium longiſſimam facit. Nondum enim ad ejus medium ventum eſt, & annus mihi videtur, cum te careo. Quanto vero ea tibi longior videri debet, cui quotidie ſemel, interdum etiam bis ad ſummum ſudorem concionandum eſt? Etſi tuus iſte ſudor in eo magis gravis tibi accidit, ſi te fruſtra laborare, neque verbi tui ſemen radicem, quam quod in ſaxo jacitur, altius agere vides. Contende tamen, quantum in te eſt, ut inter iſtos iratos animos concordiam concilies, ut Civilia iſta odia deponant, ut injuriam oblivíſcantur, eaque omnia uni omnes Deo condonent, qui illis multo plura, & majora remunerabitur, atque etiam quotidie gratis, atque ingratis elargitur. Quid enim indignius dici poteſt, quam quod Municipiolum iſtud ita inter ſe diſſentiat, ut ex duabus portis ſuam quæque factio poſſideat? altera minime tuto uti audeat? Doce principes factionum, ne eorum voces audiant, quorum inopiæ, & improbitatis maxime intereſt, Civitates inter ſe diſſidere, quorumque paſtioni nihil magis adverſatur, quam otium publicum, quam pax, & Civium concordia. Quos, ſi iſti me audiant, ſi non ex Oppido, ſaltem domo ſua ejicient, atque a ſua conſuetudine alienabunt, ut cum in priſtinam, hoc eſt, Chriſtianam concordiam redierint, nullis iſtorum falſis delationibus, nullo ab hoſtium novo metu injecto, quo minus in ea perpetuo incorrupte permaneant, impediantur. Quod ſi tu Dei Optimi Maximi auxilio efficies, cum omne tui deſiderium mihi levabis, tum etiam me ſumma lætitia afficies, cum vicinos meos Bagnacaballenſes audiam reſipuiſſe, atque ad rectum vivendi inſtitutum vere rediiſſe. Quos Lugienſes poſtea Cives mei optime imitabuntur, quibus ego non magis omnia bona, quam mihi, quam Camillo filio cupio. Si Savorellio quid interea ſcripſeris, meo nomine illi ſalutem adſcripſeris, cui quid aliud opportunius optem, neque ego habeo, neque ille deſiderat. Vale.

BAR-

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Philippo Braſchio S. D.

De ejus provinciæ in alterum biennium prorogatione certiorem facit ; admonet , Venetam peſtilentiam quotidie ardentius ingraveſcere ; conſtituto itineri ſuo Lugum in dies ſingulos novi aliquid objici ; Mantuæ tantam vim calamitatis Cœlo demiſſam , ut etiam omnes ædium tegulas perfregerit.

13. MAdius noſter , ut totum nomen ſuum a Quæſtore exegit, VIII. Id. Junii Brixiam in quatuor menſium vacationem diſceſſit, poſtea ad ſuum diem rediturus. Is pridie quam diſcederet , cum provinciæ ſuæ in alterum biennium prorogationem vidiſſet , tuam quoque vidiſſe mihi narravit , idque , ut ad te ſcriberem , mandavit , ut jam nihil de ea timeas , cum privatæ publicam etiam fidem perſcriptam intercedere ſcias. Ego magis Venetam peſtilentiam metuo , quæ quotidie ingraveſcit ardentius , atque eo jam pervenit , ut mercaturæ , ludorum conventus privati , publici , ſacrorum etiam ceremoniæ , atque inſtituta , ut fertur , intercepta ſint. Rumor præterea erat , iſque ex quorundam literis , quaſi in coloniam ex Urbe , in littora ad duas maritimas turres, quibus Urbis portus efficitur, magnam hominum cujuſque generis multitudinem exiviſſe ; nobiliores in ſuas villas emigraſſe , alium alio , complures Patavium ſe contuliſſe, eamque Urbem, ut ab ejus morbi contagione incolumem ſervent , in primis omnem operam dare. Qui morbus ſi ſe in reliquam Italiam effundat , atque , quod Deus prohibeat , latius emanet , non ſolum Gymnaſia , ſed Civitates pœne ſublatæ eſſe videntur, neque id tantum in præſentem annum timendum eſt. Merces enim , quibus plena eſt Urbs , quaſque in univerſam Italiam effundit , ita infectæ ſunt, ut magnum periculum ſit , ne etiam ad multos annos hanc item calamitatem quoquo invehant, ſtatim commoveant, atque excitent. Sed de his Deus viderit. Nos interea nobis non deerimus. Si quid contra ferat ſors , æquo animo , idque in Chriſto ut feramus , probe curabimus.

Certe in magno periculo ſumus, qui proximum vicinum tanta peſte laborantem habemus, atque eo magis, quod non ea cura a nobis adhibetur, qua opus eſſet, ne in noſtros fines ea labes irrepere poſſet. De conſtituto noſtro iſthuc itinere, in dies ſingulos novi aliquid objicitur, quo ab eo me retraham; quin etiam ſi in via ſim, ut me domum referam, cogere poſſit. Si tamen per temporum rationem nobis licebit, neque curationi noſtræ rei Flaminiæ, neque tibi deerimus. Certe ſi Lugum proficiſcar, non omittam, quin ad te quoque Faventiam accurram. Vale. Dum hæc ſcribebam, renuntiatur, Mantuæ tantam vim calamitatis Cœlo demiſſam, ut etiam tegulas ædium omnes perfregerit, idque tantum, quantum eſt Urbis circuitus; in agro parum admodum damni factum eſſe. Iterum vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Nicolao Zanellio S. D.

Rogat, ut auctoritate ſua Aliotium adjuvet in Locatellii ſobrini ſui pace concilianda, neque ſinat, eum ad ſe redire, niſi pace & confecta, & omnibus æquiſſimis cautionibus probe confecta.

14. SErvator Aliotius meus vetus eſt familiaris. Hic iſthuc Locatellii ſobrini ſui pacis conciliandæ cauſſa acceſſit. Quæ res etſi nullam difficultatem habet, ſi tua tamen auctoritas acceſſerit, teque quaſi ſecundum pacificatorem adhibebis, multo cum facilius, tum etiam firmiori fide conſtituetur. Equidem nihil dubito, quin, quæ tua ſumma eſt bonitas, in tali negotio vel tua ſponte omnia, quæ ad pacem hanc conficiendam pertinent, ſis ei præſtiturus. Si quid tamen iſti tuo optimo animo addi poteſt, ut mea cauſſa id addas, te etiam, atque etiam rogo, neque ſinas, Aliotium ad nos redire, niſi pace & confecta, & omnibus æquiſſimis cautionibus probe confecta. Id mihi erit quam gratiſſimum; Aliotium vero Virum gratiſſimum tibi in perpetuum obſtrinxeris. Vale.

BAR-

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Nicolao Zanellio S. D.

Gratias agit, quod non ſolum Aliotium in pace conficienda adjuverit, ſed præterea multa illi extra pacificationem & pollicitus ſit, & præſtiterit, multo majorem gratiam, cum caſus tuleris, ei propterea ſe relaturum ſignificans.

15. CUm tibi Aliotium commendabam, videbam te illi omnia, quæ ad pacis conditionem facerent, idque cum tua animi integritate, tum etiam amicitiæ noſtræ cauſſa eſſe præſtiturum. Nunc vero Aliotius multa mihi refert, quæ illi extra pacificationem iſtam & pollicitus es, & feciſti, quibus ille multo magis ſe tibi obſtrictum eſſe, quam iſta pacis confeſſione, qua in perpetuum tibi debebit, ingenue fatetur. Ego vero nunc quia ita mos eſt, tibi ingentes gratias ago; cum vero caſus ferat, etiam multo majorem relaturus. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Franciſco Racchio S. D.

Joannis Baptiſtæ Minadoji mores, virtutes, ſtudia, animi probitatem, integritatem, ſcientiam ob oculos ponit, rogatque, ut omni ſtudio, cura, diligentia, gratia contendat, atque laboret, ut in Civitatis medicum prorſus decernatur.

16. TOt ac tantæ neceſſitudinis cauſſæ mihi cum Joanne Baptiſta Minadojo prudentiſſimo, ac fideliſſimo medico intercedunt, ut nihil habeam, quod ejus cauſſa non libenter velim. Ejus enim uxor illum mihi arcta affinitate conjungit; merita in me, & officia cum multa, tum etiam maxima me illi obligatum, obſtrictumque tenent; mores autem, virtutes, ſtudia, ac Viri bonitas multo his omnibus me illi conjunctiorem, atque obſtrictiorem efficiunt. Quibus rebus, ut quod res eſt, plane fatear, ego ſoleo, ſi quid odorem, quod aut ad ejus dignitatem, aut utilitatem aliquam pertineat,

Certe in magno periculo ſumus, qui proximum vi-
cinum tanta peſte laborantem habemus, atque eo magis,
quod non ea cura a nobis adhibetur, qua opus eſſet,
ut in noſtros fines ea labes irrepere poſſet. De conſtitu-
to noſtro iſthuc itinere, in dies ſingulos novi aliquid
obijcitur, quo ab eo me retrahatur; quin etiam ſi in
via ſim, ut me domum referam, cogere poſſit. Si ta-
men per temporum rationem nobis licebit, neque cura-
tioni noſtræ rei Flaminiæ, neque tibi deerimus. Certe
ſi Lugum proficiſcar, non omittam, quin ad te quo-
que Faventiam accurram. Vale. Dum hæc ſcribebam,
renuntiatur, Mantuæ tantam vim calamitatis Cœlo de-
miſſam, ut etiam tegulas ædium omnes perfregerit, ne-
que tantum, quantum eſt Urbis circuitus; in agro pa-
rum admodum damni factum eſſe. Iterum vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Nicolao Zanellio S. D.

Rogat, ut auctoritate ſua Alicotium adiuvet in Locatelli ſobrini ſui pace conciliandâ, neque finat, eum ad ſe redire, niſi pace & confecta, & omnibus æquiſſimis cautionibus probe confecta.

24. SErvator Alicotius meus vetus eſt familiaris. Hic iſthuc Locatelli ſobrini ſui pacis conciliandæ cauſa acceſſit. Quæ res etſi nullam difficultatem habet, ſi tua tamen auctoritas acceſſerit, neque quaſi ſecundum pacificatorem adhibebis, multo cum facilius, tum etiam firmior fides conſtituetur. Equidem nihil dubito, quin, quæ tua ſumma eſt bonitas, in tali negotio vel tua ſponte omnia, quæ ad pacem hanc confirmandam pertinent, ſis es præſtiturus. Si quid tamen a-
di tuo optimo animo addi poteſt, ut mea cauſſa id ædes, te etiam, atque etiam rogo, neque finas, Alicotium ad nos redire, niſi pace & confecta, & omnibus æquiſſimis cautionibus probe confecta. Id mihi erit quam gratiſſimum; Alicotium vero Virum gratiſſimum tibi in perpetuum obſtrinxeris. Vale.

BAR-

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Nicolao Zanellio S. D.

Gratias agit, quod non solum Aliotium in pace conficienda adjuverit, sed præterea multa illi extra pacificationem & pollicitus sit, & præstiterit, multo majorem gratiam, cum casus suaserit, se relaturum significans.

15. CUm tibi Aliotium commendabam, videbam te illi omnia, quæ ad pacis conditionem facerent, atque eam tua animi integritate, tum etiam amicitiæ multæ causa esse præsturum. Nunc vero Aliotius multa mihi refert, quæ illi extra pacificationem istam & pollicitus es, & fecisti, quibus ille multo magis se tibi obstrictum esse, quam ista pacis confessione, qua in perpetuum tibi debebit, ingenue fatetur. Ego vero nunc quia ita mos est, tibi ingentes gratias ago; cum vero casus ferat, etiam multo majorem relaturus. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Francisco Racchio S. D.

Joannis Baptistæ Minadoji mores, virtutes, studia, animi probitatem, integritatem, sententiam ob oculos ponit, rogatque, ut omni studio, cura, diligentia, gratia contendat, atque laboret, ut in Civitatis medicum prorsus decernatur.

16. TOt ac tantæ necessitudinis causæ mihi cum Joanne Baptista Minadoio prudentissimo, ac fortissimo medico intercedunt, ut nihil habeam, quod ejus causa non libenter velim. Ejus enim uxor illum mihi arcte affinitate conjunxit, merita in me, & officia cum mihi, tum etiam meis omnibus illi obligatum, obstrictumque tenent, mores autem, virtutes, studia, ac vitæ integritas multo hæc omnibus me illi conciliorem, atque cupidiorem efficiunt. Quocirca tibi, si quod ejus [illegible] ego [illegible], si quid commodi, quod ad ejus dignitatem, aut utilitatem aliquam pertinet,

neat, mea ſponte in illum conferre. Is a me nunc ultro etiam, atque etiam magnopere contendit, ut meis iſthic amicis, tibi vero ſeparatim, novo quodam commendationis genere cauſſam ſuam primo quoque tempore commendem: quod quoniam ego nullum habeo, quod depromam, ac de officio meo multum ille petendo detraxerit, cui ego a me omnia præſtare ſoleam, tuum erit curare diligenter, ut & ille recte de meo ingenio ſperarit, & ego meum dolorem aliquo modo levem, qui non, quemadmodum ſoleo, mea ſponte, & voluntate, ſed coactus hoc illi officium præſtem. Id autem effeceris, ſi per te unum, quod a multis petimus, impetrabimus. Is, Racchi, maxime cupit in Camilli Civis tui locum deligi, qui cum Nicolao Mutinenſi iſti Civitati medendo præſto adſit; qui valetudinem ſuis conſiliis vobis univerſis perpetuam ſervet, aliquo autem vitio etiam affectam ſuis pharmacis recuperet; id quod optime facere dicit, quemadmodum ego in uxore mea Lugi planiſſime ſum expertus. Diligens eſt, aſſiduus, ſi quis alius, medicus, nec qui a veterum, eorumque optimorum medicorum inſtituto quicquam recedat. Accedit ad hæc, quod ea Vir eſt integritate, atque animi probitate, qua qui optima. Neque homo infacetus, atque inurbanus, quod etiam ægrotos aliquid delectare poteſt. Scio, Racchi, hoc, quod abs te peto, Civium tuorum ſuffragiis eſſe decernendum, quorum voluntates difficile eſt pernoſcere; tamen ſi te non ſolum gratioſum Civem, ſed Virum etiam optimum ſuffragatorem habebimus, nihil dubitamus, quin facile decernamur. Quare, mi Racchi, non a te jam peto, ut mea cauſſa petitionem hanc ſuſcipias, tuearis, ornes, atque omni ſtudio, cura, diligentia, gratia contendas, atque labores, ut decernamur, ſed ut prorſus decernamur, peto, atque poſtulo. Multa equidem beneficia abs te accepi, multa etiam atque maxima expecto; verum in hoc uno omnia mihi cumulatiſſime te eſſe præſtiturum, tibi etiam, atque etiam perſuadeas, velim. Præterea, ſi quid hoc ad rem attinet, medicum honeſtiſſimum gratiſſimumque hominem tibi in perpetuum devinxeris. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Joanni Antonio Rondinellio S. D.

Rogat, ut, si fieri poſſit, ſine judicio res componatur de fructibus cujuſdam Beneficii, colloquaturque cum Balthaſſare amico ſuo, eumque doceat, quid jus, quid honeſtum, quid propinquitas hoc in negotio poſtulet.

17. CHinanus Blondius antiquæ probitatis Sacerdos ſuperioribus diebus deceſſit. Hujus, quod Beneficium dicunt, quod ejus majores ſibi, ac ſuis propinum inſtituere, Joannis Pauli Blondii Chinani patruelis filio venit. Nulla controverſia eſt, quin præſentis quoque anni ejus fructus veniant; Balthaſſar tamen Blondius ejus familiæ cum ſenior, tum etiam locupletior, eos fructus apud ſe habet, negatque ex teſtatoris Chinani ſententia cuiquam, niſi ejus matri in victum ſe eſſe redditurum. Joannes Paulus Vir probatiſſimus atque etiam in ſumma egeſtate conſtitutus humaniſſime cum Balthaſſare per propinquos, affines, amicos agit, ſi fine judicio res componi poſſit. Quare me rogat, ut ita tecum agam, ut ſoleo facere, cum quid ago diligentiſſime, ut cauſſam hanc ſuſcipias; cum Balthaſſare, apud quem te plurimum valere ſcit, colloquaris, eumque doceas, quid jus, quid honeſtum, quid propinquitas poſtulet; ne cum ab alienis optime audiat, a ſuis male audire ſtudeat; ac quod jure coactus poſtea ſit ei redditurus, nunc volens, ac benevole reddat. Is has literas tibi reddet, ac cauſſæ ſuæ æquitatem pluribus exponet. Mihi pergratum feceris, ſi mea quoque cauſſa aliquid ei honeſtati addidiſſe te demonſtrabis; quod ut facias, te etiam atque etiam rogo. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Joanni Hieronymo Ravanio S. D.

Orat, ut Philippum Savorellium Concionatorem ab Abbate Lauredanio delectum ad Evangelii cibum ovibus Municipii ſui publice ſuppetendum, non ſatis firma utentem valetudine, adjuvet, neque ferat, ſi quid gravius Quadrageſimæ tempore illi acciderit, ægrotantem, ac languentem ſuggeſtum aſcendere. Præterea hortatur, ut quotidie illum publice audiat, & privatim cum eo colloquatur, polliceturque, eum ſemper in Fide firmiorem domum rediturum.

18. EGo Philippum Savorellium Concionatorem Franciſcanum ut alterum filium amo. Eſt enim ætate adoleſcens, ſed prudentia & integritate, atque horum ſtudiorum cognitione vel natu maximus. Hunc Abbas tuus Lauredanius hoc anno delegit, qui tuis Municipibus ſuis ovibus Evangelii cibum publice ſuppeteret. Quoniam vero non ſatis firma utitur valetudine, ſummuſque labor eſt quotidie eo modo ad populum dicere, ſi quid illi interea gravius acciderit, quo minus laborem ferre poſſit, te rogo, ut cum ei in cæteris rebus nuſquam defueris, in primis hac una ei proſpicias, ne feras ægrotantem, ac languentem ſuggeſtum aſcendere. Novi equidem hominem; ut officio ſatisfaciat, invaletudinis ſuæ nullam rationem habebit. Quare periculum erit, ne dum lucem æternam cæteris aperit, hæc illi humana occludatur. Quod vero ad te attinet, ſi is, quod cupio, æque valebit, cave diem ullum intermittas, quin eum publice audias, atque etiam privatim, cum tibi per clientes tuos licebit, ad eum adeas, atque cum eo colloquare. Semper enim in Fide firmior domum redibis. Duas leges habemus, alteram Civilem; hac tu clientibus tuis præſto aderis; alteram Dei Opt. Maximi; in hac ille tibi nuſquam deerit. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Joanni Hieronymo Ravanio S. D.

Gaudium ſuum ſignificat de Concionatore a ſe ſuperiori anno commendato, quem omnium ſententia etiam hoc anno poſtulatum audit, iterumque Chriſtiane etiam atque etiam commendat.

19. GAudeo judicium meum mediusfidius cum veſtro omnium, atque Præſidis veſtri optimi Viri Lauredanii convenire, qui quem ſuperiori anno Chriſtianum Concionatorem habuiſtis, quem ego tibi commendavi, hoc quoque anno omnium ſententia depopoſceritis. In quem cum iſto veſtra ſponte ſitis omnes affecti animo, nihil eſt, quod commendationem meam tibi renovem; tantum te hortabor, ut eum aſſidue audias. Tanta enim ſegetis noſtræ luxuria eſt, ut niſi uſque illam ſarculo exſcindamus, continuo agrum totum occupet, bonamque frugem opprimat. Quare publici iſti quaſi Chriſti vinitores quaque verſus mittuntur, qui quo tempore reliquæ vineæ putantur, Chriſti quoque vineas amputent; tametſi quiſque ſuæ putator eſſe debet, neque unquam falculam deponere. Sed, quod negaram, me facturum, eum tibi Chriſtiane etiam, atque etiam commendo. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Jacobo Sorbio S. D.

Philippum Braſchium Concionatorem ipſi notum ſe non commendare, ſed ſperare, eum in ſuis intimis ſemper eumdem habiturum, atque cæteris, ſi quid ei opus ſit, probe commendaturum, ſignificat.

20. HAc, quæ adventat, Quadrageſima Philippum Braſchium ex Divi Franciſci familia Concionatorem Chriſtianum habebis, Virum eum quidem, qui quæ tibi, atque tuis Municipibus ex ſuggeſtu præcipiet, ſuo etiam exemplo ſit comprobaturus. Sed ſi hoc nimis videtur, ſane Virum integerrimum, & in ejus facultatis

tis ſcientia eruditiſſimum habebitis. Quare te hortor, ut primum nullum diem intermittas, quin eum publice audias, deinde etiam quoties tibi otium erit, privatim ad eum ipſum adeas. Numquam enim domum, mihi crede, inanis redibis; ſemper aliquid, ſi minus novi, certe magis confirmati auferes. Hunc tibi non commendo. Nam cum eum noveris, ſpero, te eum in tuis intimis perpetuo habiturum, atque cæteris, ſi quid opus ei ſit, probe commendaturum. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Joanni Baptiſtæ Zavariſio S. D.

Rogat, ut per eum liceat adoleſcenti perfamiliari ſuo rei militaris minime ignaro more militum arma ſua ſecum ferre. Si quid autem ei opus ſit in negotiis honeſtiſſimis, quæ illic habet, poſtulat, ut adjuvet.

21. QUi tibi has literas reddidit, meus perfamiliaris eſt adoleſcens, & bonis moribus, & rei militaris minime ignarus. Iſthic negotia habet honeſtiſſima, in quibus quicquid a tuo officio illi opus erit, ut ei præſtes, te etiam atque etiam rogo, in primis autem, ut, quo brevi tempore iſthic aget, more militum ſecum arma ſua ei ferre liceat, quorum utrumque ſi a te impetro, erit mihi valde gratum. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Antonio Ferrario S. D.

Certiorem facit, ſe ſuſpicari, nondum ei fuiſſe redditam Epiſtolam, quam ad Herculem Ateſtium Principem de ejus Familiæ nomine ſcripſerat, mittitque Orationem, qua Abravanellium Judæum accuſatum de ſtructis Principi ſuo inſidiis apud eumdem defendit, atque abſolvit.

22. TE equidem, Ferrari, ex tuis ſtudiis mea ſponte antea ſemper dilexi, ſed cum junior Racchius proxime ad me eſſet, ea ipſa ſtudia ita mihi probavit, tuum vero erga me animum ſic teſtatus eſt, ut te

te valde amare cœperim. Nunc vero, ut literas tuas amantiſſime ad me ſcriptas perlegi, ea erga te amoris acceſſio facta eſt, ut tuorum in te amando nemini concedam. Certe cum te audirem libenter vetera ſcripta mea legere, ut haberes etiam ex eis, quæ quotidie ederentur, mihi curandum eſſe duxi. Itaque tibi eam Epiſtolam miſi, quam ad Herculem Ateſtium Principem meum de ejus Familiæ nomine ſcripſi, ubi de Prænomine, Nomine, Cognomine multa fortaſſe minime inepte diſputantur. Sed puto nondum eam tibi redditam fuiſſe. Nihil enim de ea ſcribis; quod meum deinceps inſtitutum integre ſervabo. Nunc autem habe Orationem, qua Abravanellium Judæum capitis reum apud Principem meum, atque adeo cui inſidias ſtruxiſſe accuſabatur, defendi, atque abſolvi. Vale. Fabrio noſtro, Abioſio, Camillo, Racchiis utriſque ſalutem meo nomine impertiare.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Joanni Baptiſtæ Bovio S. D.

Ejus cauſſam ſe Principi commendaſſe ſignificat, conſiliumque dat, ut aliquas literas Roma curet, ac præcipue purpureo atramento conſcriptas, maximum apud eumdem pondus habituras, cauſſamque brevi explicaturas.

23. CAuſſam tuam, ut coram tibi receperam, Sarachio diligenter commendavi. Is mihi retulit, ſe cum Principe de ea accurate egiſſe, ſed eum, cum multis aliis gravioribus de rebus feſſus eſſet audiendo, cauſſam tuam cum multis aliis in aliud tempus rejeciſſe. Continuo vero Mutinenſis profectio ſecuta eſt, ut, antequam ad nos redeat, de ea nihil conſtitui poſſit. Omnium quidem Principum literæ apud Principem meum magnum pondus habent; verum, ſi me audies, Roma aliquas curabis, ut habeas, quæque purpureo atramento ſint conſcriptæ. Multo quidem illæ erunt ponderoſiores, quæque cauſſam tuam tibi brevi explicabunt. Quod a me ſperes, parum id quidem eſt nimis. Certe quantum quantum id erit, eam operam dabo, ne quid ejus a me deſideraſſe videaris. Vale.


BAR-

www.libtool.com.cn

ARTHOL. RICCII

OLOMÆUS RICCIUS

Bartholomæo Salio S. D.



BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Bartholomæo Salio S. D.

Epitaphia ſibi commendata mittens ſignificat, ea eſſe hujuſmodi, ut, ſi alacritas, ac voluntas ſpectetur, qua a ſe facta ſunt, omnem omnium elegantiam, atque argutiam facile ſuperare poſſint.

24. EQuidem, Sali, non ut optimo equiti tuo ſatisfacerem, qui vitæ ſuæ elegantiæ, ac Muſei dignitati paria omnia cupit, ſed ne tibi, cujus cauſſa omnia volo, in re tam facili minime obtemperarem, in ejus ſententiam hæc, quæ vides, Epitaphia conſcripſi. Si ea omnino parum arguta ſunt, ac multo minus ſalis habent, quam ille in ſuis literis cupere videtur, quique in te ſal eſt, id meo ſubagreſti ingenio atque illepidæ orationi attribuas licebit. Verum ſi quæ animi alacritate, atque ſumma voluntate facta ſunt, quicquam ſpectes, omnem omnium elegantiam, atque argutiam facile ſuperare poſſunt. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Octavio Abioſio S. D.

Ad ſcribendum invitat, ut ſtilum ſermone Latino exerceat, hortaturque, ut quidquid in buccam venerit, ſcribat, modo id faciat ſuis delectis, propriis, atque uſitatis verbis, polliceturque, eum hac ratione multum profecturum. Ejus judicium de ſuis libris de Imitatione requirit, quidque ex eorum lectione didicerit, poſtulat. Excitat, ut cæteris fratribus viam, quam inſiſtant, aut etiam cum eo ineant, commonſtret, rogatque, ut potius maturis paternorum amicorum præceptis, quam ſuæ præcipitis adoleſcentiæ impulſibus obtemperet.

25. PRomiſeram tibi, cum apud patrem tuum proxime eſſem, ut domum rediiſſem, te quoties ad me ſcriberes, numquam muto ſcripturum, meque meo ita ſtilo tuum ſtilum non parum eſſe adjuturum. Vide

nunc

nunc ut non ſolum id tibi præſtem, ſed etiam primum locum ad ſcribendum occupem, etſi nihil aliud habeam, quod tibi ſcribam, niſi ut te magis ad ſcribendum invitem. Nam cum te ſciam parum in hoc ſcriptionis genere verſatum, atque in opera, quam parenti das in ſcribendo Italico ſermone, occupatum, veritus ſum, ut mihi fidem præſtares. Quare hoc modo quaſi provocatus diu tacere non poteris. Scribas omnino, aut ſi quid habes politiori ſcriptione dignum, aut etiam quidquid in buccam, modo ſuis delectis, propriis, atque uſitatis id facias verbis. Neque te a ſcribendo deterreat, ſi, quæ orationis lumina in elegantioribus Scriptoribus cognoſcis, ea in tua ſcriptione minime agnoſcas. Aliud enim eſt aliorum ſcripta cognoſcere, aliud eorum modo ſcribere. Neque dubita, quin, ſi non brevi, ſaltem non multos poſt annos, ſi ſtilum exerceas, qui optimus eſt ſcribendi magiſter, multum ſis profecturus. Res omnes parvis initiis oriuntur, ſtudio tamen ad ſuam perfectionem creſcunt. Patrem habes, qui te multa, quæ ad hanc ſcribendi rationem pertinent, docere poteſt. Sed mihi crede, niſi volumina ſcripſeris, niſi libros confeceris, niſi aſſidue eris in ſcribendo, atque calamum contriveris, tu quidem de aliorum virtute recte judicabis, certe numquam polite, atque eleganter ſcribes. Expecto ſcire quid tibi viſum ſit de noſtris libris de Imitatione, ac quid ex eorum lectione auctior, atque certior factus ſis ad ſcribendum. Hactenus de ſtudiis. De tua vero in tantum parentem tuum ſumma obſervantia non dubito, quin meam expectationem, atque adeo promiſſionem tuam ſis ſuperaturus; ſed currenti tamen, ut ajunt, calcar. Mi Octavi, natu major es ex quinque fratribus, hoc eſt, qui cæteris quaſi viam, quam inſiſtant, aut etiam tecum ineant, commonſtres. Si in rectam illos induxeris, iis ſimul una tecum optime conſulueris, ſin ſecus tuo exemplo in pejorem ingrediantur, tuo errore eorum errorem multo effeceris leviorem, quos continuo majorem fratrem ſecutos excuſabimus. Non poſſum literis omnia, quæ coram facerem, atque adeo paulo ante feci, percurrere. In mentem tibi ea revoca, quæ poſtremo tecum habui, atque quaſi ad eorum regulam omnes tuas actiones guberna. Quod ſi effeceris, nihil dubito, quin vir factus mihi omnes gratias quotidie agas, qui tibi,

quæ

quæ ad omnem cum utilitatem, tum etiam dignitatem tuam pertinent, paterne demonſtravi. Noli tibi deeſſe, cui neque etiam paterni amici uſquam deſunt, atque maturis eorum præceptis, quam tuæ præcipitis adoleſcentiæ impulſibus magis obtempera. Vale. Ferrariæ Non. Octob. MDLXII.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Sebaſtiano Briccio S. D.

Ejus prudentiam laudat, rogatque, ut Taſſoniano adoleſcenti, & patri ſalutem ſuo nomine dicat.

26. QUanto magis prudentiam tuam conſidero, tanto eam majorem eſſe video. Ego putabam, mihi ſatis eſſe, ſi ad Taſſonianum filium ſcriberem, ſed ipſe rectius vidiſti, ut is eo poſtea modo apud parentem ageret, quo optime fecit. Sed quoniam ſummæ tuæ prudentiæ parem noſtri amorem ſignificas, ut de illa tibi valde gratulor, ita in eo reſpondeo, ut ei facerem, a quo me valde obſervari ſcirem, ac ſi umquam idoneus mihi locus detur, ut hoc cum cæteris intelligas, ſum optime præſtiturus. De reliquo autem negotio nihil dico, ne cum prudentiam tuam, tum etiam amorem erga me tuum graviter offendam. Vale, ac Taſſoniano adoleſcenti, quin etiam parenti ſalutem plurimam meo nomine dixeris.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Sebaſtiano Briccio S. D.

Ejus modeſtiam commendat, epiſtolamque ad ſe miſſam & argumento minime vulgari, & inepto, & ea dictione Latina, quæ in paucis reperitur, conſcriptam extollit, magnumque ejus progreſſum in ſtudiis propter ingenii excellentiam futurum pollicetur.

27. ETſi modeſtia tua mihi multo ante in omnibus tuis actionibus valde perſpecta erat, nunc tamen multo notior eſt facta, cum neque quod amici de tua

tua animi integritate prædicent, æquo animo feras, ac quod ad me attinet, qui, quia eam aliquando vix attigi, tam ingenue conqueſtus es, nihil aliud dicam, quam quod qua me epiſtola ſubaccuſas, eam melius cauſſam meam tueri nequiviſſe. Hæc enim meam tui commendationem non ſolum comprobat, ſed etiam auget. Nam, quod ad ſtudia, atque ad ſcribendi genus elegantius, quod tu fortaſſe non eo contentus, ullum in te eſſe negaſti, id ſecus eſſe tua illa epiſtola probe teſtatur, quæ & argumento minime vulgari, atque inepto, & Latina dictione illa, quæ hodie in paucis reperitur, conſcripta eſt. Utinam tibi per tot tuas familiares curas, quæ te a matre vidua, ſed multo magis a tribus ſororibus jam natu grandioribus, a tuis optimis auferunt ſtudiis, in ea ſtudioſius incumbere liceret. Verum ſi umquam id otii dabitur, ac te ad ſcribendum conferas, mihi crede, te non fruſtra eam operam eſſe poſiturum. Sed non pergam ulterius de tuo ingenio amice agere, ne in te vere laudando animi tui ingenuam naturam magis commoveam, quam ut quicquam gratum faciam. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Sebaſtiano Briccio S. D.

Ludit in nomine Briccio, & Riccio, nihilque minus cuiquam videri debere ait, ſi ſe invicem ament, cum primum eos Gentis nomen prope conjungat, deinde communia ſtudia, & multorum annorum arctior conſuetudo conjunctos teneat, atque adeo pergat arctius retinere. Gratulatur, quod alteram ſororem deſponderit, Deumque orat, ut tertiæ Nuptiis eum totum liberet.

28. VIde, Bricci, quam prope idem ſimus, quamque parum inter nos differamus. Nam ſi tui nominis primam literam demas, meum integrum remanebit. Quid enim Briccius erit aliud, ſi B tollas, quam Riccius? ut nihil admodum mirum cuiquam videri debeat, ſi nos inter nos tantum amemus, quos primum Gentis nomen prope conjunxit, deinde communia ſtudia, atque tot annorum arctior conſuetudo conjunctos te-

tenuit, atque adeo pergit arctius retinere. Si igitur hac quoque ratione, quoties res ferat, nomen tuum a me commendare ſenſeris, nihil tibi moleſtiæ afferre debebit. Gratulor tibi, quod alteram ſororem deſpondiſti. Ita Dii faciant, ut in tertiæ Nuptiis te totum brevi liberatum videam. Taſſonianum tuum mihi ſalvere jubebis, meoque nomine hortaberis, ut parenti hanc gratiam faciat, ex qua tamen is majorem cum utilitatem, tum etiam dignitatem eſt conſecuturus, ut in ſua ſtudia ardentius incumbat. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Criſpo Ferrario Prætori S. D.

Alphonſum Ferrium de cæde olim Argentæ facta accuſatum innocentiam ſuam ex vinculis apud eum defendentem commendat, rogatque, ut ejus cauſſam mature cognoſcat, atque ex ejus æquitate illum poſtea domum remittat.

29. ALphonſus Ferrius meus vetus amicus, Mucini vero utriuſque noſtri propinquus, atque affinis eſt. Hic Argentæ olim cædem feciſſe accuſatus, temporum iniquitatem magis vitans, quam ſe ſontem ſubaccuſans, ſua ſponte Patria exceſſit. Nunc innocentiam ſuam ex vinculis apud te defendit, in qua tuenda multos, eoſque optimos Viros teſtes habet, qui ſuo ſanctiſſimo teſtimonio illum liberant. In primis autem duos ejus, qui cæſus eſt, fratres, qui jurejurando Alphonſum hac omni fraternæ cædis ſuſpicione prorſus abſolvunt, qui cum hic hac ſolum de cauſſa ad publicum hoſpitium per hanc annonæ caritatem detineantur, ille vero in carcere multis incommodis afficiatur, neque poſt multos dies verbum ullum etiam dum de ſe factum ſit, omnibus precibus a me contendit, ut cauſſam ſuam ad omnem ejus abſolutionem tibi quam diligentiſſime commendem. Te igitur rogo, non ut illum abſolvas, quod ipſum jure ipſo te facturum certo ſcio, ſed ut ejus cauſſam mature cognoſcas, atque ex ejus æquitate illum poſtea domum remittas. Id quod ſi per me, ut ſperat, neque ego, quæ tua ſumma eſt in me benignitas, diffido, impetrabit, ſcito, Alphonſum in perpetuum tibi eſſe debitu-

biturum; me vero iſtud officium tuum omnibus aliis tuis officiis ante eſſe poſiturum. Vale.

www.libtool.com.cn


BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Paulo Manutio S. D.

Epiſtolarum ſuarum editionem commendat, oſtenditque, ſingulos homines maximo deſiderio teneri nominis ſui apud poſteros propagandi. Rationem addit, cur potius ejus, quam aliorum, prælis eas edi cupiat, rogatque, ut ſumptui in editione non parcat, eamque quamprimum expediendam curet, ut, ſi earum lectione ipſe diutius frui nequeat, ſciat ſaltem, ſi forte deceſſerit, aliquam ſui partem, quæ ſecum decedat, in ea remanſuram.

30. SCripſi ad Corradium, ut de Epiſtolis meis edendis tecum ageret, cauſſamque, quamobrem id eum rogaſſem, etiam adſcripſi. Nunc idem tecum ago. Quam ego, Manuti, a te, quæ ab amico expectari debent, omnia expectare poſſim, tu mihi teſtis es quam locupletiſſimus, qui quanti ego te ſemper fecerim, re ipſa non ſemel expertus es. Quod cum ita ſit, ſpero, te quoque in amore mutuo mecum facturum, in eo præſertim, in quo meæ vitæ ratio non agitur parva. Vides, mi Manuti, me jampridem in ſenium delapſum. Neque te fugit, quantum quiſque hanc vitæ diuturnitatem appetat. Id enim natura omnibus inſitum eſt, ut nemo emori velit. Quod quoniam natura quoque vitari non poteſt, quando quod ſemel natum ſit, ut tandem intereat, neceſſe eſt; eo fit, ut quiſque ſaltem quo poſſit ſtudio, etiam ſibi mortuo nomen aliquod comparet. Egregio enim ille penicillo, malleo ille doctiſſimo, belli gloria ille, ille in pace conſervanda, ſcriptor vero ſuis ſcriptis non ſolum ſuam ſibi, ſed aliis etiam prorogat vitam, quemadmodum ego nunc meam ex meis mihi proferre ſtudeo. Nihil enim dubito, quin horum publica lectione in doctiſſimorum Virorum memoria mei aliqua memoria diutius conſervetur. Quare nunc duodecim Epiſtolarum mearum libros ad amicos conſcriptarum edere ſtatui. Hi vero, ut ex tuis prælis exirent, multis de cauſſis mirum in modum cupio. Primum, ut elegantio-

www.tiprash.com.cn



ribus literarum formis, ut tuæ ſunt, deſcriberentur; deinde ut a te doctiſſimo Viro correctiores, quam ab ignariſſimis aliis impreſſoribus, ederentur; poſtremo ne in malevolorum vóculas noſtra incurreret amicitia. Nam cum has aliorum prælis deſcriptas viderent, continuo nos inter nos diſcordare ſuſpicarentur. Neque id ſine ſua aliqua facerent voluptate. Quare te etiam, atque etiam rogo, ut hanc mihi gratiam facias, quam etiam alieniſſimis quotidie facis, ut ex tuis prælis in vulgum exeant. Neque eſt, quod ſumptui parcas. Quantum enim in eam editionem impendendum eſſe dixeris, continuo tantum tibi rependam, modo, ut ipſam quam primum expediendam cures; ut ſi earum lectione ipſe diutius frui nequeam, ſciam ſaltem, me decedente, in ea quoque parte aliquam mei partem, quæ mecum non decedat, remanere. Cum has eram ſignaturus, præſens nuntius ad me venit, qui, ut me de iis, quæ ante libenter ex fratris tui literis noveram, certiorem feciſſet, id quoque, quod moleſte audivi, addidit, te numquam belle iſthic habuiſſe. Manuti, omnia mihi Bononienſia in Cœlo ſunt; Cœlum autem iſtud multis in locis peſſime improbatur; fortaſſe naturæ tuæ minime idoneum erit. Quare ab iſto, ut a valde peſtifera beſtia, etiam atque etiam cavebis. Ferrariæ. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Carolo Sigonio S. D.

De Falopii amici morte cur dolendum non ſit, cauſſas affert, & eam potiſſimum, quod Virorum doctiſſimorum nomen ſcriptis celebratum immortalitati commendatur. Hac de re pauciores Hendecaſyllabos mittit Hetruſce a ſe conſcriptos, futurum pollicitus, ut plures, & elegantiores Latinos ab aliis accipiat.

31. FAlopii tui morte tum tua, tum mea, tum communi omnium cauſſa doleo maxime. Te quidem Civem tuum, tuique amantiſſimum amiſiſti, ego ſuaviſſimo amico privatus ſum; cæteri eum medicum, a quo vel in morte vitam ſperare poterant, poſthac deſiderabunt. Sed quid agas? Natus erat, ei moriendum fuit.

At

At nimis cito. At ſuo tempore, quando qui illi præſcriptus erat, dies venit. Sed id tamen tantum deceſſit, quod erat interiturum; animus vero æternus ſuam propriam, unde prius venerat, Cœleſtem ſedem repetivit. Nomen [ſi quid hoc ad rem facit] doctiſſimorum Virorum, ut audio, ſcriptis celebratum, immortalitati commendabitur. Utinam autem ego unus eſſem, qui inter eos, ut ipſe inter amicos me habebat, numerari poſſem, non meæ erga illum benevolentiæ deeſſem; quod potui, tamen ei non defui. Habe igitur a me hos pauciores Hendecaſyllabos Hetruſce conſcriptos, Latinos ab aliis, & plures, & elegantiores expectaturus. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Bernardo Lauredanio S. D.

Gratulatur de Magiſtratu ei concredito; gratias agit pro Commentario ſibi dono miſſo in tres Ciceronis Orationes in Rullum, oſtenditque, Ciceronem recte, & proprie dixiſſe coacervare agros, *quam tamquam duram locutionem a Cicerone uſurpatam in Commentario ſuo redarguit; ſignificatque, ſe valde gaudere, quod Bibliothecæ nobiliſſimæ præfectus fuerit.*

32. PRimum tibi gratulor de primo tuo Magiſtratu, etſi tu ſecundo in loco de eo me certiorem facis. Ita enim rerum ordo poſtulare videtur. Tametſi cum ex tuis ſtudiis, tum etiam naturæ bono multo ante ipſe, quam iſti ſuis ſuffragiis declararent, ſapiens eras. De Commentario vero tuo in tres Ciceronis Orationes in Rullum mihi dono miſſo gratias ago, propediem aliquam etiam relaturus, ſi non tam nobilem, certe quæ ex gratiſſimo animo proficiſcatur. Sed redeo ad Commentarium. Continuo librum aperio, atque non ad ejus, ut fit, initium, ſed ubi is ſe ſua ſponte patefecit. Forte autem id accidit ad centum nonageſimum tertium folium, ubi exponens *coacervare agros*, dura locutione Ciceronem uſum eſſe dicis. Siquidem *coacervare* earum rerum eſt, quæ conjunctæ cumulum extruunt; quod ut de agro dici poſſit, non ſatis convenit. Qui dicendi modus, ut ego eum pauliſper animadverti, mihi valde arriſit. Nam cum Cicero Rullum invidioſe u-

bique exagitet; hoc item in loco perargute irridet. *Non enim ſolum*, inquit, *emes agros, ſed etiam coacervabis*, hoc eſt, cumulos agrorum extrues, quaſi ſaxa, atque lapides ſi ſint. Aut quia ſupra ad ſexageſimumtertium folium dixit, *coacervatam pecuniam Decemviralem*. Item ad octuageſimum folium: *ante pecuniæ coguntur, atque coacervantur, quam gleba una ematur*; ut hoc in loco dixerit, *coacervari agros*, quaſi qui ex coacervata pecunia emerentur; ut non tantum pecunia hujus lege, ſed etiam agri coacervari viderentur: quæ per riſum, atque jocum in Rullum dicta videntur. Placuit hæc, non fortaſſe aliena, epiſtolæ noſtræ addere; quæ ſi tibi probabuntur, aliquid erunt; ſi minus, nihil moleſte accidet, ſi tecum, atque adeo cum cæteris doctiſſimis Viris me quoque Proteus iſte ſuo riſu fefellerit. Sed pœne præterieram de Bibliotheca illa nobiliſſima, cui præfectum eſſe te ſignificas. Iſtam quoque tibi valde gratulor. Video enim eam tuis ſtudiis librorum copiam factam eſſe, quæ non ita cum omnibus communicatur: unde multa tibi ad tua ſtudia commodiſſime depromas, licebit. Ego cogito totum Aprilem Venetiis apud Marcum Cornelium Spalatrenſem Archiepiſcopum deſignatum agere, cui poſt parentes, ac fratrem tuum meo nomine ſalutem plurimam dixeris. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Joanni Vitrianio S. D.

Certiorem facit de re communi Aloyſio Cardinali a ſe commendata; queritur, quod ad ſe nondum ſcripſerit, ut promiſerat; rogatque, ut librorum ſuorum curam gerat.

33. CUm Aloyſio Cardinale de communi re hodie ſum locutus. Is eo, quo ſolet, lætiſſimo vultu mihi reſpondit, nuſquam nobis eſſe defuturum. Sed mihi placebat, ut proxime conſtituimus, ut, niſi re prorſus explorata, atque etiam cum Germanis illis probe confecta, ullum cum illo verbum faceret. In hanc igitur curam totus incumbes, ut primo quoque tempore utrumque abſolvas. Sed miror, qui diſcedens ad me ſub tuum adventum ſcribere promiſeras, etiam dum nihil miſeris,

ut

ut neſcio quid ſuſpicari cogar de eo, quod tecum locutus ſum, præſertim cum de ſummi illius Viri nomine me certiorem facere deberes. De meis libris cura, ſi me amas, ut aliquo modo conficiatur, ſi non tanti, ut mandavi, at quanti queas. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Hectori Mirolio S. D.

Gratulatur de nobiliſſima conditione Bartholomæi fratris apud Alphonſum Principem, eumque eo munere digniſſimum oſtendit, ſignificatque, id temporis ſe non habere eum Virum, qui in humanioribus ſtudiis principis Civis filios inſtituat.

34. GRatulor tibi, Bartholomæum fratrem tuum apud Alphonſum Principem noſtrum eum locum tenere, quo nemo majorem, neque digniorem tenet. Sed eo quoque multo magis gratulor, quod is hunc nobiliſſimum gradum cum Juris Civilis cognitione, tum etiam regendorum populorum ſumma obtinet prudentia. Noſti, cum hic aderas, ut Prætor ab omnibus bonis optime audiret, utque in cauſſis dijudicandis integre, atque incorrupte ſeſe geſſerit. Cave nunc in totius ditionis adminiſtratione, quando huic omnes cum Urbanæ, tum etiam Provinciales cauſſæ deferuntur, quidquam a veteri illo ſuo inſtituto diſcedat. Hactenus de fratris tui auctoritate, atque integritate. Nunc ad te redeo, atque ad eum Virum, quem a me, cum optimis literis, tum etiam melioribus moribus requiris, qui amici tui principis Civis filios in hiſce humanioribus ſtudiis inſtituat. Hos equidem [ut tecum ingenue agam] multos reperi, ſed omnes omni locupletiſſimæ conditioni ſua ſtudia facile anteponunt, hoc eſt, qui aut Bononiæ, aut Patavii, aut Ferrariæ, ubi agunt, aliquid in iis vel laborioſe, quam alibi ſine iis otioſiſſime agere malunt. Si quid aſſiud eſt, quod mea opera tibi uſui veniat, ſi me certiorem feceris, dabo operam, ne id fruſtra feciſſe videaris. Vale. Ferrariæ X. Calen. Octob. MDLXII.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Sylvio Portio S. D.

Ejus totius vitæ rationem exponit, consiliumque laudat agendi in otio apud Cives suos quidquid reliquæ vitæ superfit. Hortatur, ut se pacificatorem præbeat in Civium discordiis componendis, seque non solum corporum, sed etiam animorum optimum medicum probet. Quod si nihil audierint, tum demum solus in suis studiis conquiescat, animumque suum ad veram Christi Philosophiam dirigat.

35. JUlius Gajanius mihi refert, te in Patriam rediisse, atque domi, quicquid reliquæ vitæ superfit, quod longum sit opto, id apud Cives tuos in otio acturum. Cætera, Sylvi, ante actæ vitæ tuæ omnia prudenter vidisti. Nam cum te Venetias admodum adolescens, inde Patavium cum tuis Dardaniis, ut optimis studiis operam dares, contulisti, qui non optime provisum est? Inde vero doctrinæ tuæ insigni [de more] ornatus Venetiis medendi artem totam ætatem feliciter exercuisti; quod consilium qui non summopere laudetur? Quod vero quicquid inde lucri feceris, in Bagnacaballenses possessiones collocaris, qua prudentia factum sit, nunc probe constat, qui ex earum fructibus senectutem tuam omni labore vacuam facillime alis. Hoc vero, quod postremum consilium cepisti, ut te in istam vivendi libertatem, atque in summum otium vendicares, maturam præ se fert prudentiam. Navigationem tu quidem, Sylvi, quamdiu tibi per vires tuas licuit, exercuisti, in qua etiam tuam maris partem feliciter percurristi. Ut vero postea quam illæ defecere, neque navis validiores maris fluctus sustinere posset, vela deduxeris, teque in portum receperis, omnem tuam prudentiam facile superat. Quare tibi tuum istud consilium valde gratulor, tuamque istam domum reditionem magnopere laudo. Unum illud non sinit, ut hoc meo officio perfungar integro, quod Cives tui nunc magis, quam antea, Civilibus discordiis laborare videntur, qui etiam in proprias Familias teterrimas cædes inducere non dubitant. Sed ista isti viderint. Ipse rem tuam ages, atque cum genero tuo, optimo adolescente, cum filia,

filia, atque cum ejus filiolis vives. Si quid tamen iſtorum animos deſævire, atque ad ſanitatem redire poſſe ſentias, te hortor, ut te in iis inter ſe componendis fideliſſimum pacificatorem præbeas, ut non ſolum corporum, ſed etiam animorum optimum te medicum probes. Non enim dubito, quin tua prudentia, tuaque illa dicendi virtute, atque iſtius ætatis reverentia multum ad eam pacem inter eos conciliandam, quæ poſtea in perpetuum integerrima ſervetur, ſis omnino profuturus. Quod ſi obtineres, non tuo, ſed Divino conſilio domum rediiſſe prorſus judicaberis, quando multo magis Civium tuorum concordiæ, quam otio tuo conſuluiſſe videberis; ſin ſecus accidat, ut obſtinatius ſævire pergant, neque quicquam audiant, tum ad te rediens, ſolus in tuis ſtudiis conquieſces. In primis autem animum tuum ad veram Chriſti Philoſophiam diriges, atque in ſummo ejus in humanum genus collato beneficio commoriere contemplando; quo uno Divino ſtudio ita Chriſtianum animum indues, ut, quamdiu vivas, in ſumma felicitate vivas, cum poſtea deceſſeris, nil tibi moleſtum ſit ex iſtis miſeriis, quæ ſumma felicitas ſtultis eſſe videtur, exceſſiſſe. Hic noſtræ, Sylvi, navigationis certiſſimus eſt portus; hic noſtræ peregrinationis unus terminus hæret; hoc illud otium, quod nullo motu perturbari poteſt; hanc quietem ſi tibi conſtitueris, rectiſſime poſtea omnia. Ego, ſi quid de meo ſtatu ſcire cupis, hic ſum in cæteris lætus, in uno eo non leviter affectus, quod Principem Filium adhuc mihi Gallia retinet, neque, quando eum expectem, quicquam ſcitur, verum etiam ſi ſcitur, neſcitur tamen. Sed quid ſi ego iſthic improviſo adſim, teque cupidiſſime complectar, mi Sylvi, mi Sylvi, contra vero ipſe, mi Ricci, mi Ricci, lætiſſime geſtientes? Tu vero interim non ſolum tuam, ſed tuorum etiam valetudinem cura. Ferrariæ IV. Non. Aug. MDLVIII.

BAR-

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Francisco Martellio S. D.

Rogat, ut Petrum Angelotium in causa privigni sui in judicio adjuvet, summos, atque diuturnos molestiis liberet, illumque primo quoque tempore absolvat.

36. ET Coeli ardor ingens, & mea aetas jampridem ingravescens non sinit, ut hoc tecum coram agam; etsi non multum interest, utrum hoc tecum, an alio faciam modo, quem sciam eo loco meas literas, quo me etiam praesentem faceres, habiturum. Petrus Angelotius hunc per hoc, quod vides, anni tempus, ut privigno suo in judicio adesset, Bononia profectus est. Ejus casibus optime nosti. Hic me rogat, ut eum tibi de meliore nota commendem, idque, non ad illum cujusquam gratiam ut judices, sed ut eum tantum judices, eique hoc summa, atque diuturna molestia liberes. Mihi igitur gratissimum erit, si is intelligat, hanc meam commendationem apud te tantum pondus habuisse, quantum is existimat habiturum, hoc est, si illum primo quoque tempore absolveris; quod ut facias, te etiam, atque etiam rogo. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Antonio Barbaro S. D.

Literarum suae elegantiam laudat, gratulatur summa praeditum amicorum cum suis tum, si suus valeat Plato in primis Ennium nostrum ejusque [illegible] gratum ejus de [illegible] Italicorum. Et novos [illegible] dies addat, praecatur, mutuae ut sint, & nostram efflagitat, ut [illegible] ejus [illegible] voluntatem nos [illegible].

37. TUAS literas accepi, Barbare, [illegible] mihi [illegible] quam mei. Nam amicum, ex omnibus multitudinem, [illegible] omnem nactum voluptatem percipi primum [illegible] est, quo ego [illegible] [illegible] [illegible]

nihil moleſtius faciam, quam cum ejus generis literas lego, quæ infantes, atque omni elegantiæ ornatu carent, contra nihil lætius, quam cum in iis, quæ tuarum ſimiles ſunt, videlicet, quibus ad omnem rectam ſcribendi rationem nihil deeſt, meam lectionem occupo. Deinde, quod in iis non eam benevolentiam erga me tuam, quæ trium dierum brevi conſuetudine inter nos conflata eſſet, ſed quæ multorum annorum inſtituta eſſe videretur, facile perſpexi; ut valde mihi gaudeam, me hac mea poſtrema ſenectute tanti, tamque nobilis Viri amicitia auctum eſſe. In eo vero, quo me tam liberaliter laudas, qui ego poſſum non omni voluptatis titillatione commoveri? præſertim cum ab eo hæc mea laus proficiſcatur, qui cum ex optimis ſuis ſtudiis, tum etiam ſanctiſſimis moribus ab omnibus optime audit? His accedit, quod hæc omnia eo mihi jucundiora accidere, quo minus expectabantur. Non dubitabam equidem, quæ tua ſumma viſa eſt humanitas, quin inſtitutæ amicitiæ noſtræ optime memor eſſes; ſed in eo meam expectationem ſuperaſti, cum tuis amantiſſimis literis omnia mihi tam amice, tam benigne polliceris. Tametſi hoc poſtremum non parvo animi dolore me affecit. Nam cum ego idem a quo primo ſermone, quem tecum habui, ita te amare cœperim, ut ſi tecum ætatem vixiſſem, hanc animi propenſionem erga te mei, quam oculis, vultu, verbis denique præſens facile perſpexi, ut tibi prior non ſignificarim, tuamque epiſtolam meæ literæ non anteverterint, non leviter commoveor. Quod vero tam liberaliter operam tuam mihi offers, ac quoties opus ſit, eam te præſtiturum affirmas, non ſolum mihi gratum, ſed etiam perjucundum eſt. Quam tuam tam benigni animi erga me tui voluntatem eo, quo tu, hoc eſt, amiciſſimo facis animo, contra ego meam tibi recipio, atque offero; in qua nihilominus, quoties res ferat, te quicquam a me, quam ego ſim a te deſideraturus, ſinam deſiderare. Madio tuo nomine ſalutem dixi. Is non ſolum eam tibi remittit, ſed gratias agit, quod in tuis ſcriptis tam de ſe honorificam facis mentionem. Vale. IV. Non. Aprilis.

BAR-

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Hieronymo Zoppio S. D.

Gratias agit ob oblatam ſponte operam in corrigenda editione librorum ſuorum, atque, ſibi ſatis eſſe, ſi ipſe illud tantummodo folium, quod prælo ſubjiciendum eſt, percurrat, primis reliquis ſibi relictis, in quibus corrigendis, & perpurgandis ſummus labor eſſe ſolet.

38. CUm heri ſorte ad meum, ut dicunt, impreſſorem veniſſes, ac, ut oculos in folium, quod tum prælo deſcribebatur, conjeciſti, librarii mendum offendiſſes, meque de eo nondum tibi cognitum peramice [quæ tua ſumma eſt bonitas] commonefeciſſes, ſcis, quæ multa poſtea in eam rem ultro, citroque a nobis habita ſint; in quibus cum ego quererer multa ad eum modum in toto opere, ut qui quaſi memoriter percurrerem, me eſſe fugitura, doloremque, qui mihi in eo corrigendo vel honeſta mercede propoſitâ operam daret, habere neminem; continuo ipſe tuam humaniſſime mihi obtuliſti; atque ita, ut vere, atque ex animo eam offerre videreris; cui ego, ut debui, maximas gratias egi; cumque etiam, ſi ea uterer, nonnullam me tibi eſſe relaturum dicerem [etſi cum vel maximam retuliſſem, neque iſti tuæ tantæ humanitati, neque animo erga te meo ſatisfeciſſem] conſtanter negaſti, te nulla alia mercede ad hoc mihi officium præſtandum, quam qua tuapte natura ad omnibus modis de omnibus literatis Viris ample promerendum uti ſoles, prorſus adduci poſſe. Tum ego varie affectus ſum. Tuo enim iſto officio valde indigebam; contra vero ruſtice, ne dicam ingrate, facere videbar, ſi id gratis a te accepiſſem, atque ita tibi par in remunerando, atque in accipiendo fuiſſem, non eſſem; tamen cum hoc ipſe nequaquam ferres, ego vero etiam dum tuo iſto benigniſſimo in me animo plurimum deberem, volui etiam tibi accipiendo magis debere; etſi nihilominus interdum grati animi eſſe videtur, cum aliorum benignitatem ad ſe admittit, quam etiam cum in alios quicquam ipſe benignius confert. Quare, Zoppi, & ne inhumanus videri poſſem,

ſi

ſi tam promptæ benigne faciendi naturæ tuæ non obſequerer, & parum prudens, ſi mihi in tanta re non optime conſulerem, ſtatui, ut tu jubes, quando, ut ego velim, non permittis, tua opera uti; ſed ea tamen ingenue, atque perliberaliter uti, videlicet ut tantum illud folium, quod prælis eſſet ſubjiciendum, ipſe percurreres, prima vero reliqua, in quibus ſummus labor eſt corrigendis, ego perpurgarem, ut quæ me ex nimia, ac frequenti eorum ſcriptorum lectione perperam, atque inverſe poſita fallerent, ea ut novus in ea lectione facile deprehenderes, atque in ſuum certum locum reponeres. Sed hoc omne ea tamen ratione, ut quam gratiam a me tibi referri nullam permittis, eam ſaltem, ut in perpetuum, quod facturus ſum, habeam, ne graveris.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Thomæ Muſtio S. D.

Exempla Romanæ Urbis inſpicienda ad ſe miſſa, Pyrrhique Ligorii libellum, in quo nonnullas etiam Romæ veteris partes deſcribit, cum gratiarum actione, & judicio ſuo remittit, illique auctor eſt, ut ex ſolida aliqua materia opus illud extrui jubeat, ut hac ratione omnia planiora habeantur, majoremque delectationem videntibus afferant.

31. CIrcum maximum, Caſtrum Prætorium, Trajani, atque Claudii portus, quos mihi inſpiciendos miſiſti, mea cum ſumma delectatione vidi. Pyrrhi vero Ligorii libellum, in quo nonnullas etiam Romæ veteris partes deſcribit, non mea item ſine magna voluptate legi. Is mihi quidem Vir ſummo viſus eſt judicio, qui in eorum locorum deſcriptione cum Auctores inter ſe temporum varietate ſæpius diſcrepent, id quamobrem fiat, prius ratione allata, ſuum poſtea interponens judicium, ut ſe res habet, mea quidem ſententia vere dijudicat. Sed redeo ad ejus integram, cujus exemplum Cardinalis tuus ſibi effingi velle dicitur, atque ea ratione ab uſque Roma ipſa exemplar huc afferri juſſit. Equidem, Muſti, ſi quod ſentio, mihi tecum dicendum eſt, illi auctor eſſem, ut ex ſolida aliqua materia opus illud extrui juberet: videlicet, ut in tabulato, quan-

quantum id ſatis eſſe videretur, ſeptem colles ex aliqua materia attollerentur; poſtea, quæ ædificia publica, quæ privata, quæ ſacra, quæ non in iis eſſent, conſtruerentur. Ita fieret in planitie, ut omnium ædes, Templa, Baſilicæ, Thermæ, ac reliqua loca ex eadem materia ſuis ſingulis nominibus adſcriptis informarentur, qua una mea effingendi ratione omnia planiora haberentur. Continuo enim cum viis multa alia, quæ teguntur, perſpicue cernerentur; deinde Inſulæ a conjunctis ſecernerentur; præterea quæque ædium facies in ſuam regionem commode collocarentur. Certe proſpicientibus cum omnia diſtincta eſſent, neque, ut in coloribus, alia aliis inculcarentur, & locorum cognitionem planiorem, & ad videndum delectationem majorem haberent. Adde ad aſpiciendum etiam commodiorem uſum. Nam quæ in ſumma tela depicta pars eſt, niſi ſcalis adhibitis, haud facile cerni poteſt. Sed redeo ad tua exempla. Ea ſimul una cum libro tibi remitto, gratiaſque, quod eorum copiam mihi tam benigne feceris, minime vulgares ago. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Aloyſio Durellio S. D.

Significat, vites ex ſuperiore hyberno frigore ad ipſas radices interiiſſe, ſuum tamen agrum in vite minus, quam in ſegete, ſenſiſſe, quem ſperat, quantum ſibi in ea detraxerit, tantum in vino eſſe repoſiturum, eumque duabus futuris feriis ad ſuum Quartiſanum invitat.

40. UT a te nudius quintus diſceſſi, ruri ſum vindemiam curans, quæ non plenis labris hoc anno exundabit. Vites enim cujuſque generis, ut plane ſcis, in primis autem aureolæ, quæ apud nos in maximo ſunt pretio, ex ſuperiori illo hyberno frigore ad ipſas radices interiere; ut noſter congius ex prælis ipſis ad tres noſtras libras pervenerit, amplius etiam, ut audio, alibi; meus tamen ager in vite minus, quam in ſegete ſenſit, quem ſpero, quantum mihi in ea detraxerit, tantum in vino eſſe repoſiturum. Ego puto, te mecum duas iſtas ferias per tuos diſcipulos eſſe poſſe: quare te expecto. Vale. Ex meo Quartiſano.

BAR-

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Aloyſio Durellio S. D.

Ciceronis teſtimonio oſtendit, quænam ſignificatio Verbo adſcribo proprie ſubjecta ſit.

41. ITa eſt, Aloyſi, quemadmodum ego tibi dicebam, de Verbi *adſcribere* ratione, ut is tantum adſcribat, qui ſuperiora ſcripſerit, non ut qui alienis literis aliquid mandat adſcribi, ipſe adſcribere dicatur. Nam quod ad ea loca, quæ adducis ad Atticum, nihil meæ ſententiæ adverſantur. Primum inquit: *Terentia tua magnos articulorum dolores habet, & te, ſororemque tuam, & matrem maxime diligit, ſalutemque plurimam tibi adſcribit, & Tullia delitiæ noſtræ, iis ſcilicet literis*, inquit Cicero, *quas ad me ſcribunt, non autem his, quas a me nunc tibi miſſas legis, tibi ſalutem adſcribunt.* Utraque enim aberat. Ita & in ſecundo loco cum ait: *Alexis, quod mihi toties ſalutem adſcribit, eſt gratum*, id eſt, in iis item literis, quas tuo nomine mihi ſcribit. Is enim puer Attici amanuenſis erat, vel fortaſſe, cum abeſſet Alexis, ſcribens ad Atticum, ſemper adderet, ut ſuo nomine Ciceronem ſalutaret; ut prorſus videas, non recte dici, ſalutem, quibus juſſiſti, omnibus dixi; qui contra eamdem tibi adſcribunt; quia nihil ipſi ſupra ſcripſerant; ſed dicendum fuiſſe, qui contra, ut tibi eamdem adſcriberem, juſſerunt. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Aloyſio Durellio S. D.

Explicat, quid ſit ſervum raſo capite pileum capere, *quique* pileati ſervi *dicantur. Morem Romanorum abradendi ſervorum caput, ipſumque pileo induendi Auctorum teſtimoniis confirmat, exponitque, cur in bello capti in venditione coronam geſtarent.*

42. EN tibi, Aloyſi, idque paucis; neque enim res eſt admodum obſcura; quid ſit *ſervum raſo capite*

pite pileum capere, quique *pileati servi* dicantur. Mos fuit apud Romanos, ut servis, cum manu mitterentur, caput abraderetur, atque ipsi postea pileum in illud inducerent, quem morem Plautus attigit in Amphitrione in postremo primæ scenæ carmine, ubi Sosia exoptat, ne ab Amphitrione quoque hero suo agnoscatur, ut liber fiat. Plauti verba hæc sunt:

Ibo ad portum, atque hæc, ut sunt facta, hero dicam meo,
Nisi & is quoque me ignorabit, quod ille faciat Jup piter,
Ut ego bodie raso capite calvos capiam pileum.

Hoc est [inquit Sosia] ut liber fiam. Quem morem etiam Livius in postremo quinto quintæ Decadis libro planius explicat, ubi dicit; Prusiam Regem pileato pite Romanorum legatis obviam ire solitum, ut quum Romanorum libertum profiteretur. Scis enim, servi postquam libertate donati sunt, libertos vocari. verba tibi adducere placuit. Ille igitur:

Polybius eum Regem indignum majestate nominis tui dit pileatum capite raso obviam ire legatis solitum, tumque se Populi Romani ferre, & ideo insignia ordi gerere. Illud ego addo, me de Julio Scaligero d Viro audisse aliquando, servos illos capillos tra Urbem certa porta efferre, atque humi fod Hunc quoque morem raso pilei accipiendi servasse videntur, qui aut naufragium feciſſen riculosissimam maritimam tempestatem vitas ille:

Gaudent quoque vertice raso
Garrula servati narrare pericula nauta:

quasi qui pro libertate donata vitam a De gnificarent. Quidam etiam servi pileati v in bello capti essent coronam in vendit quorum pileus id præ se ferebat, ut ve venditione nihil emptori se præstiturum

ſtui minime eſt ingrata. Taceat Neapolis, Genua, Hiſpania, & ſi quid uſquam locorum præſtantem Carduum profert. Sed heus tu, quid mei libri habent cum Cinaris? in quarum formam tam facile converſi ſint? Non enim id de illis dici poteſt, quod de Catulli libro dicitur, qui ad Sermionem in Benaco in Carpionem piſcem commutatus eſt. Certe veri ſimiliori ratione in noſtris factum videri poteſt, quando ex foliis utrique conſtant, etſi earum compoſitione, quæ ſquamas imitantur, multo ad aſpiciendum pulchriores, quam mei libri ad legendum ſunt ſuaviores. Non poſſum tamen concedere, ut ita tractantem, atque legentem acute pungant, quemadmodum tuæ faciunt Cinaræ. Sed multa ſunt, quæ foris horreſcant, atque armentur, intus tamen ſuaviſſimum præbeant cibum, in quorum genere hoc Cardorum eſt genus. Quare mihi gratiſſimæ accidere, ſive illæ etiam pro meis libris venerint. Sed eo multo etiam gratiores fuere, quod majorem eorum partem meo Principi dono miſi, quas, ut nuntius retulit, mirifice laudavit. Utinam autem tibi commodum eſſet item ad eum numerum, quanti quanti venirent, mittere. Sed non facilis via eſt, neque qui laborem ferendi ferant, facile reperiuntur; ſed ut tibi videbitur. Vale. Fabrio, atque meis Abiofiis ſalutem. Ferrariæ.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Marco Antonio Gambaronio S. P. D.

Baphii Orationem laudat, ſuarumque Epiſtolarum volumen cum Oratiuncula quam proxime edita ſuo nomine ei danda mittit.

45. BAphii tui Orationem, quam in funere noſtri Delphinii, cum omnium ſcientiarum doctiſſimi Viri, tum in totius vitæ curſu probatiſſimi Franciſcani Sacerdotis habuit, partim ſummo meo cum dolore, partim etiam voluptate perlegi; dolore, quo tanti mei amici morte quam maxime ſum affectus; voluptate, cum eum video ab eloquentiſſimo adoleſcente de more laudatum. Cui ſolatio id quoque accedit, quod hunc video æquiſſimis paſſibus magiſtrum ſuum brevi aſſecuturum; ut

ut quod damni in illo factum ſit, iſte non multo poſt ſit optimè præſtiturus: in quo neque ego ſeparatim mei amandi totum deſiderium omiſero, quando in hoc meo Bartholomæo illud ſim optimè renovaturus, ad quod mecum mutuo faciendum hoc modo viſus ſum benigne illum invitare, ut, quemadmodum ego illum ex ejus ſcriptis amare cœpi, ita ille quoque, ſi prius non fecit, nunc me ex meis diligere incipiat. Mitto igitur tibi meorum Epiſtolarum volumen cum ea Oratiuncula, quam proxime edidi, quæ illi meo nomine dederis; me vero, ut mutuo diligat, etiam rogabis. Vale, quando non mihi ſatis eſt dicere, cura, ut convaleſcas.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Hippolyto Zafaleonio S. D.

Certiorem facit, ſe poſt quindecim dies ad eum venturum, ut cum Vitrianio conſtitutum iter ſuſcipiant.

46. UT rationem ineo, niſi poſt quindecim dies, a quo die conſtitueram, ad vos venire non poſſum. Tot enim reliqua vindemia ſibi dies appoſcit. Partim enim in labro muſta ebulliunt, partim in uvis et iamdum matureſcunt, ut aureum. Quare ſi ad eum diem tuam abſentiam ſuſtinere poteris; nam de ſumptu iſthic quoque domi es, neque adhuc ad docendum eſt redeundum; non te hora longius rejicio. Decem poſtea reliqui ſunt dies, qui in Rhegienſi, atque Mutinenſi itinere ſunt conſumendi. Quin ſi vacaret, cogitabam etiam Patavium a noſtro domum reditu, ut ipſe tuos, ego vero meum Cardinalem, qui III. Id. Septembris cum ſororibus Principibus ad Balnea eſt diſceſſurus, viſeremus. Quid vero ſi Vitrianius quoque ſe tertium comitem adjungat? O feliciſſimum iter! Scribas igitur mihi, ut ſciam, an mihi cum Bacco properandum, an lentius ſit agendum. Vale. Ferrariæ Non. Sept. MDLXII.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Hippolyto Zafaleonio S. P. D.

Queritur, auratas Comaclienſes, crateis viminibus diffractis, aufugiſſe. Admonet, eum verum hominum piſcatorem futurum; additque jocoſe, illum, ſi Petri retibus integris utatur, magnam utriuſque generis piſcium prædam facturum.

47. COmaclienſes auratæ craſſiora illa, illa ſalſamenta, diffractis vimineis cratibus, aufugere, abiere, omnia ad unum in ſuum regnum rediere, noſque in ſicco reliquere; neque inde hoc anno ulla vi ventorum amplius educi poſſunt. Vides enim quid Sacratius Cardinali noſtro reſpondeat, ſe jam provinciam illam alteri decreviſſe. Ut Dii illum male perdant, qui nos peſſime perdidit. Cum tamen eas literas Cavallerio legendas miſi, reſpondit, nihil eſſe, quod verear; eam enim operam ſe nobis navaſſe inquiens, ut ille alter cedere cogatur, neque factus, etiamſi factus ſit, nos vero veri hominum piſcatores futuros. Ego tamen ſi non tantorum piſcium, quam hominum malim, quando is tamen piſcatus ad hominum quoque victum maxime facit, non multo minus hunc, quam illum cupio piſcatum. Quare ipſe tantum animas Deo, nobis vero ejus generis piſces, qui maxime probantur, expiſcaberis. Utrum autem difficilius, non ſatis dixerim. Magis enim illorum animi in peccato dominantur, quam piſces in ſuo amplo mari libere curſitantes pervagantur. Si Petri tamen retibus integris utaris, magnam utriuſque generis piſcium facies prædam. Hactenus de Comaclienſibus. De Arcoao melior eſt ſpes. Tridento a Cananio ad noſtrum Cardinalem literæ expectantur, quibus tuo illi illam det. Ecquid aliud? nihil, niſi ut valeas. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Hippolyto Zafaleonio S. D.

www.libtool.com.cn

Cum in ſingulas horas ſemper aliquid accidere ſoleat, quo quis cogatur commutare, quod conſtituerit, certiorem facit, totam itineris inter ſe conſtituti rationem commutatam eſſe, ac retro ordine verſo iter faciendum.

48. PRofecto non una hominum eſt in rebus conſtituendis deliberatio. In ſingulas enim horas ſemper aliquid accidit, quo quis, quod conſtituerit, commutare cogatur. Ego tibi ſcripſeram, ut me Bononiæ expectares ad decimum diem, unde poſtea Mutinam, atque Rheglum in reditu viſeremus; ut vero domum rediiſſemus, Patavium peteremus; nunc tota hæc ratio commutata eſt, ac retro ordine itinere verſo, commodius nobis accidere videtur. Quare te expecto, ut Patavium proficiſcamur; cum vero inde redierimus, ego cum Vitrianio, ſi minus per tua ſtudia te nobis comitem habere potueris, reliquam meam conficiam peregrinationem. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Laurentio Frizzolio S. D.

Gratulatur de munere amplo Romæ ipſi tributo, Romamque unam eſſe prædicat, in qua Viri extolluntur, & ſumma miracula fiunt, ut etiam ſtipulatores ad Cardinalatum perveniant. Tanto initio medium, & extremum æque reſponſura pro certo ſe habere, ſignificat, rogatque, ut in laudem Falopii unam ex Odis ſuis mittat, quas ex intimis ſenſibus ſolet eruere.

49. OCenties, & amplius diem illum, quo a nobis Romam diſceſſiſti, felicem, fauſtumque. Una, una Roma eſt, in qua Viri extolluntur, & ſumma fiunt miracula, ut etiam ſtipulatores ad Cardinalatum perveniant. In cæteris Urbibus, ut in minoribus paludibus ſatis eſt, ſi minutos piſciculos, etiamſi aureis hamis piſca-

tis, capias, in una Roma vel ferreis Balænæ capiuntur; ut ego recte olim hoc tibi divinarim; ſed hoc initium eſt, quod tamen tibi valde gratulor; cui medium, huic vero extremum æque ut reſpondeant, ita cupio, ut ea quoque poſſim jam tibi gratulari. Sed cum venerint, non enim dubito, quin meo tempore veniant, eorum gratulationi non ſum defuturus. Contra ego nunc a te expecto in laudem Falopii noſtri unam ex tuis Odis, quas ex intimis ſenſibus eruere ſoles. Fac, ſi me amas, ne fruſtra expectem. Vale, Antonianioque noſtro ſalutem.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Joanni Vitrianio S. D.

Rogat, ut Nicolao præſto ſit ad pelliones in emendis pellibus agninis, morticinis vulgo dictis, veſti ſubſuendis.

50. NIcolaum iſthuc miſi dedita opera, qui mihi agninas ejus generis pelliculas, quas vulgo morticinas appellant, veſti ſubſuendas emeret. Te rogo, ut cum illo ſis ad iſtos pelliones, videaſque in primis, ut illæ eo nigrore ſint, quæ vel piloſum ſericum ſuperent, pilo vero incompoſito, quique magis undulam, quam aquam æquabiliter profluentem, imitetur; præterea ne tineis attactæ ſint. De noſtris autem montibus, vide ne abortum faciant. Mures modo pariant, ſed ejus tamen generis, quos mihi ſignificas. Sed ego metuo, ne potius in fumum eum, qui hominum vultus tam ridicule depingit, evaneſcant. Vale. Ferrariæ.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Tireſio S. D.

Patroni ſui filium unicum optimæ indolis in humanioribus ſtudiis inſtituendum commendat, rogatque, ut eum in interioribus diſcipulis habeat.

51. QUantum clientes Patronis ſuis debeant, non te fugere certo ſcio. Hi enim in illorum fortunis in judiciis tuendis omne ſtudium, atque laborem adhibent.

bent. Quid ab illis ſit, diligenter exquirunt; quid contra adverſarius objicere poſſit, etiam diligentius animadvertunt; in ſuo autem defendendo nihil omittunt; in adverſario item refellendo omnia in cauſſam ſuam conferunt. Quare cum ego uno Contulio meo & in cauſſis Patrono, & extra cauſſas amico etiam familiariter utar, huic omnia commoda non ſolum optare, ſed etiam, in quo poſſim, prodeſſe debeo. Is unicum habet optimæ indolis filium, quem tibi in humanioribus ſtudiis inſtituendum mittit. Quoniam vero pater eſt, & unici pater eſt filii, huic cum omnia præſtet, non paterno tamen amori ſatisfacit. Quare ſit, ut cum nihil tuo ſtudio, tuæque diligentiæ diffidat, tamen a me contendat, ut eum tibi diligenter commendem. Te igitur rogo, ut, mea quoque cauſſa, tuo iſti diligentiſſimo in eum ſtudio aliquid etiam addas, atque eum in tuis habeas interioribus diſcipulis. Quod ſi feceris, præterquam quod mihi gratiſſimum erit; polliceor tibi, Contulium ejus parentem [præter conſtitutam mercedem] gratiſſimum virum quotidie te eſſe cogniturum. Vale. Idibus Decembris MDLXII.

BARTHOLOMÆI RICCII LUGIENSIS EPISTOLARUM FAMILIARIUM LIBRI VIII.

www.libtool.com.cn

BARTHOLOMÆUS RICCIUS Patriæ ſuæ S. P. D.

QUantus cuique in Patriam ſuam amor ingenitus ſit, quantumque ſolo Patrio quiſque natura debeat, nulli, qui modo hominis naturam aliquid attingat, ignotum eſſe arbitror. Nam cum multa in homine natura ipſa ingenuerit, quæ quaſi in eo dominentur, atque principatum obtineant, in primis ea magna vis eſt, qua is in Patriam afficitur, quaque totus in eam ſumma pietate adſtringitur. Quare etiam Sapientes in propinquitatis gradibus conſtituendis, ut a Diis immortalibus diſceſſere, Patriæ primas facile conceſſerunt. Et certe nemo tam abjecto, tamque abdito loco natus eſt, qui eum non habeat omnium chariſſimum; ut etiam Troiæ domitor, qui multorum hominum mores vidit, quique magnam Orbis partem peragravit, unam Ithacam ſuam, quaſi ſaxo nidulum appenſum, cæteris Orbis Civitatibus facile prætulerit. Hoc quidem naturæ impulſu omnes. Verum, ſi quid aut dignitatis, aut etiam utili-

tatis ad naturæ vim poſtea accedat, tanto magis in illam incenduntur, atque, ut illi omnia optata eveniant, expetunt; ut, qui duplici de cauſſa ei plurimum debeant, pari item ratione gratiſſimi eſſe videantur. Quibus rationibus ego tibi, quantum quiſque alius ſuæ, omnia commoda, omnem felicitatem, omnes Deos rogo, atque oro. Nam, quod ad naturæ rationem attinet, equidem nec Codro, ac Torquatis (ſi id mihi per Chriſtianam Religionem liceat) qui pro ſuæ ſalute ſeſe devovere, ſi te in aliquam ſolidam gloriam meo certiſſimo periculo adducere ſperem, quicquam concederem. Certe in quo potui cum in quotidianis ſermonibus, tum in meis ipſis ſcriptis hujuſce animi erga te mei ſignificationem minime obſcuram declarare non deſtiti. Ut primum in Apparatus editione feci, in cujus inſcriptione tuum quoque nomen meo nomini adſcribi juſſi. Quod etſi perparum omnino videri poteſt, certe illud haud contemnendum fuit, quod a me primum omnium hoc modo in omnium gentium cognitionem veniſti. Nam ſi fortaſſe quiſpiam parum prudenter quærat, cur ego neque primum illud opus tibi inſcripſerim, neque quod de Imitatione poſtea ſcripſimus, tibi item potius, quam Alphonſo Ateſtio dicarim, is id ſibi reſponſum habeat; tibi acceptiſſimum fuiſſe, videre te Civem tuum gratiſſimum habe-

re,

pite pileum capere, quique *pileati ſervi* dicantur. Mos fuit apud Romanos, ut ſervis, cum manu mitterentur, caput abraderetur, atque ipſi poſtea pileum in illud induerent, quem morem Plautus attigit in Amphitrione in poſtremo primæ ſcenæ carmine, ubi Soſia exoptat, ne ab Amphitrione quoque hero ſuo agnoſcatur, ut liber fiat. Plauti verba hæc ſunt:

Ibo ad portum, atque hæc, ut ſunt facta, hero dicam meo,
Niſi & is quoque me ignorabit, quod ille faciat Juppiter,
Ut ego hodie raſo capite calvos capiam pileum.

Hoc eſt [inquit Soſia] ut liber fiam. Quem morem etiam Livius in poſtremo quinto quintæ Decadis libro planius explicat, ubi dicit; Pruſiam Regem pileato capite Romanorum legatis obviam ire ſolitum, ut qui ſe Romanorum libertum profiteretur. Scis enim, ſervos, poſtquam libertate donati ſunt, libertos vocari. Livii verba tibi adducere placuit. Ille igitur:

Polybius eum Regem indignum majeſtate nominis tanti tradit pileatum capite raſo obviam ire legatis ſolitum, libertumque ſe Populi Romani ferre, & ideo inſignia ordinis ejus gerere. Illud ego addo, me de Julio Scaligero doctiſſimo Viro audiſſe aliquando, ſervos illos capillos poſtea extra Urbem certa porta efferre, atque humi fodere ſolere.

Hunc quoque morem raſo pilei accipiendi capite ii ſervaſſe videntur, qui aut naufragium feciſſent, aut periculoſiſſimam maritimam tempeſtatem vitaſſent. Unde ille:

Gaudent quoque vertice raſo
Garrula ſervati narrare pericula nautæ:

quaſi qui pro libertate donata vitam a Deo receptam ſignificarent. Quidam etiam ſervi pileati venibant; ut qui in bello capti eſſent coronam in venditione geſtabant, quorum pileus id præ ſe ferebat, ut venditor in eorum venditione nihil emptori ſe præſtiturum ſignificaret. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS.

www.libtool.com.cn

Aloysio Durellio S. D.

Sententiam suam de versu 552. *Virgilii Æneidos lib.* 4. Nec servata fides cineri promissa Sichæo *affert, legendumque* Sichæo, *non* Sicheio, *ut Servius, aliique volunt, contendit.*

43. CUm varia lectio sit in eo Virgilii versu, de quo ad me scribis,

Nec servata fides cineri promissa Sichæo;

alii enim *Sichæo*, alii *Sicheio* legunt, utra vero verior sit, quæris. Ego, Aloysi, lego *Sichæo*, neque id pro *Sicheo*, ut Servius, & qui Servium sequuntur. Mea autem est hæc ratio, ut Dido queratur, se non præstitisse fidem cineri Sichæi, quam Sichæo dederat vivo, se scilicet nulli unquam nupturam, si illi superstes mansisset. Id quod etiam, si interpunctio fiat post *cineri*, manifeste apparebit. Legas enim hoc modo. *Non servata fides cineri, promissa Sichæo*, ut diversum sit *cineri*, & *Sichæo*, non autem, ut illi inepte unum faciunt, *cineri Sichæo*, quasi *Sicheio*. Opponit enim Poeta *cineri Sichæo*. Hic meus est sensus, quem locum etiam in nostro in quartum Æneidos librum ita exposuimus. Alii aliud, ut magis illis placet, sentiant. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Antonio Ferrario S. D.

Rhumbi Ravennatis, Asparagi, & Cinararum laus. Cinaras sibi dono missas Principi suo mirifice placuisse significat, oratque, ut, si commodum ipsi fuerit, quanti quanti veneant, ad se alias mittat.

44. RHumbus olim Ravennas, atque Asparagus primas inter alios ferebant; nunc his Cinara accessit nobilissimus. Patellas Rhumbi implebant. Asparagus quemvis pollicem crassitudine, caseum recentem mollitudine superabat. Cinaræ vero singulæ situlam complent. Stipitis etiam medulla ad edendum tenerrima, atque gu-

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Lectori S. P. D.

NIhil eſt, Lector humaniſſime, quod mireris, quod haſce meas Epiſtolas non ad ſuam temporis rationem deſcriptas, ſed quaſque, ut ſingulis ſcriptæ ſunt, ita etiam in ordine eſſe digeſtas, videas. Quod inſtitutum Tiro quoque in Ciceronis Epiſtolis ſervaſſe videtur. Et fortaſſe ea ratione, qua is fecit, nos quoque facere coacti ſumus. Nam, cum eas confuſas, ut putatur, haberet, ut quæque in manus incidebat, ita eam magis ad cujuſque nomen, quam ad temporis rationem in volumen conferebat. Id quod nobis quoque accidit, qui cum id moris in eis ſcribendis ſervaremus, primum ut raro diem Epiſtolis adſcriberemus, deinde ut eas incompoſite in capſulam conjiceremus, quas poſtea quotidie, ut fit, commiſceremus; idcirco factum eſt, ut cum poſtremo in Codicem conſtituerentur, facilius quæ cuique ſcriptæ eſſent Epiſtolæ in unum componerentur, quam ut ad diem ſuum, qui in pluribus nullus erat, unaquæque redigeretur. Quod meum factum etſi nonnullius negligentiæ accuſari poteſt, modo eæ tamen ſint Epiſtolæ, quæ & eorum dignitate,

qui-

quibus ſcriptæ ſunt, & eorum, qui optimam hanc ſcribendi rationem optime tenent, lectione dignæ ſint, ſatis huic errori factum videbitur. Neque enim frugiferæ arbores, propterea quod incompoſitæ ſint in agro conſitæ, aut cæduntur, aut evelluntur; neque eorum fructus ea quoque ratione ſunt inſuaviores, quam ſi in quincuncem eſſent diſpoſitæ. Quare, ſiquid in eis erit, quod Lectori placeat, me illi ſatis feciſſe arbitrabor. Cum vero Hiſtoriam ſcribam, hanc temporis rationem rectius conſervabo. Vale.

BARTHOLOMÆI RICCII

www.libtool.com.cn

LUGIENSIS

EPISTOLARUM

LIBER PRIMUS.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Petro Bembo S. D.

Poſtquam ejus ſummam humanitatem, & præſtantem humaniorum litterarum cognitionem laudibus extulit, ſuorumque ſtudiorum rationem ipſi expoſuit, judicium petit de editione APPARATUS LATINÆ LOCUTIONIS *a ſe conſcripti, cujus particulam mittit, ut ex ea totius ædificii fabricam deprehendat, rogatque, ut de tota re, atque editione libere perſcribat, quid ſentiat.*

1. NT tua ſumma in omnes humanitas, & præſtans noſtrorum ſtudiorum cognitio, ac judicium facit, ut etiam, qui tecum numquam locuti ſint, ac longiſſime gentium habitent, ſi quid in eis dubitationis habeant, te confidenter adire, atque tuum conſilium quærere non dubitent; quos tu contra ita accipis, ut, ſi tecum conjunctiſſime vixiſſent, atque eo conſilio juvas, quo qui quam fideliſſimo. Qua iſta ſingulari humanitate, atque prudentiſſimo judicio fretus, ego quoque multis aliis in te conſulendo accedere non dubitavi. Ego, Bembe, cum in hiſce humanioribus ſtudiis & diſcendo, & dicendo jam multos annos verſarer, in horum altero non equidem fruſtra operam ponebam; in altero parum proficiebam. Siquidem in obſervandis rebus cuique facillimum eſt ſtudium; in ſcribendo vero cum aliqua dignitate, non ita. Nam etſi, quod in ea ſtudii ratione in primis, ac maxime probatur, a ſcribendo calamum vix umquam deponerem; tamen in ea ſcriptio-

ptione mihi non ſatisfaciebam. Ea enim erat, quæ cæterorum, qui recentium more ſcribunt, ac, quicquid ad vulgarem orationem in buccam, nullo ornatu, nulloque verborum delectu uſurpant. Verum poſtquam Navagerius tuus me admonuit, ut lectionem meam tantum in bonis Scriptoribus exercerem, ſi in dicendo aliquid proficere cuperem, id non ſolum præſtiti; verum etiam quædam mihi ex iis ipſis delegi, ex quibus non parum ad eo modo ſcribendum mihi accederet adjumenti. Id autem fuit nobiliorum locutionum delectus, atque obſervatio. Quæ omnia, quoniam cum memoriæ non ſatis fiderem, tum etiam ut magis mihi ea in promptu eſſent, in ſuum ſeparatim Codicem, atque ex ſuo literarum ordine deſcripſi. Quod meum opus, cui nomen feceram APPARATUM LATINÆ LOCUTIONIS, quaſi unde mihi paratum eſſet, quomodo ad Latinam rationem loqui tuto, neque impolite poſſem, cum in primis Flaminius, Priulius, ac Julius Camillus vidiſſent, continuo, ut in communem utilitatem id conferrem, hoc eſt, ut ederem, me ſinguli ſunt ſæpius cohortati. Proxime vero Flaminius rurſus ita mecum eadem de re egit, ut me etiam impietatis graviter accuſaret, qui cum cæteris tantam utilitatem ſupprimerem, tum etiam mihi non parvam gloriam inviderem. Quibus rationibus, ut qui ita eſſe maxime cuperem, ſum adductus, ut tantis tandem Viris in ejus editione obſequerer. Unus tamen adhuc ſcrupulus mihi obſtare videtur, ne id libere, ac ſatis tuto iis morem hunc gererem. Vereor enim, ne liber meus non ſolum ullam utilitatem ulli ſit allaturus, ſed unde ego mihi aliquod nomen comparare ſperarim, inde magis mei riſum ſim omnibus excitaturus. Quid, inquies, graviſſimis iſtis Viris diffidis, qui cum ſcientia, tum judicio plurimum valent? Horum neutrum. Id magis metuo, ne ea benevolentia, qua me maxima proſequuntur, fortaſſe impediantur, quo minus decernere poſſint, ſi quid inde nomini meo magis obſuturum, quam gloriolæ quicquam ſit comparaturum. Quare tuum judicium magis quæro, qui & id prudenter facere noſti, & hac nulla animi affectione erga me, ut quem numquam videris, ad id recte faciendum quicquam impediaris. Ut, cum antea moleſte tulerim, nullam mihi, quæ omnino eſſe potuiſſet fructuoſiſſima, tecum conſue-

fuetudinem interceſſiſſe, id mihi magis lætandum nunc eſſe videam, Diique hac quoque noſtri tua ignoratione rectius nobis conſuluiſſe videantur, qui, quod in ea multum jacturæ feci, id mihi nunc in hoc tuo integerrimo judicio totum probe compenſent. Ejus igitur operis particulam tibi mitto, ex qua totius ædificii mei fabricam facile deprehendes, teque etiam, atque etiam rogo, ut tantum temporis Hiſtoriæ tuæ ſubtrahas, quantum hujus erit unius percurſæ lectionis [neque enim aut Bembi ingenio, aut rei facilitati amplius aut temporis, aut diligentiæ opus eſt] ac quid de tota re, atque de editione libere ſentias, id poſtea ad me perſcribas. Quod ſi a te, ut ſpero, impetro, erit mihi quam gratiſſimum. Quod vero ad editionem attinet, ſi eam comprobabis, polliceor tibi, quicquid mihi inde nominis conficiatur, me id tibi totum acceptum relaturum; ſi vero contra ſenſeris, putabo te eundem, ne unde ego mihi aliquam gloriolam quærerem, inde in aliquam infamiam inciderem, optime providiſſe. Vale. Venetiis Kal. Quintilis MDXXXII.

PETRUS BEMBUS

Bartholomæo Riccio S. D.

Reſpondeæ, ejus ſcripta omnibus communicanda eſſe, cum nihil laudabilius facere poſſimus, quam dare operam, ut noſtro vel labore, vel induſtria aliis hominibus pro virili noſtra prodeſſe queamus. Illud unum admonet, ut ex ea ſylva, atque congerie illa, quæ cognita, perſpectaque ſunt non ſolum doctis hominibus, ſed iis etiam, qui modo paulum Latinam linguam attigerunt, demæ, reliqua ſibi magnopere probari ſignificans.

2. EPiſtola tua ita me delectavit, ut ægre admodum tulerim, quamquam tu Venetiis complures annos proxime vixeris, ego frequens fuerim, tamen nullum mihi tecum uſum adhuc quidem interceſſiſſe, tuaque me interea conſuetudine, tuis congreſſibus, atque ſermonibus caruiſſe. Cave enim putes, mihi quicquam ita aut gratius, aut jucundius accidere potuiſſe. Quod quoniam tua culpa magis, quam mea factum puto, qui

ad

ad me nunquam acceſſeris, numquam te mihi dederis intuendum, feram æquiore animo, propterea quod uno, eodemque brevi tempore totum te ut cognoſcerem effeciſti, tuamque in ſtudiis noſtris mitioribus doctrinam, & diligentiam ut perſpicerem, voluiſti, miſſis ad me ſcriptis tuis, quibus facile, quam ſis in ea re mirificus, ac plane ſummus, cognovi. Itaque quod me rogas, ut videam, tibique ſignificem, an ea edenda ſint: illa vero maxime omnibus ſunt communicanda. Quid enim facere poſſumus laudabilius, quam dare operam, ut noſtro vel labore, vel induſtria aliis prodeſſe hominibus, pro virili noſtra queamus? Tu autem multa in iis vel a pluribus non animadverſa, vel perperam recepta, vel etiam neglecta, & rejecta, qualia ſint, quemve uſum præſtent, palam facis, afferſque tamquam ſylvam, ita modos, ordineſque certos, atque innumerabiles ſcribendi, quibus cum locupletare ſe ſermo Latinus poteſt, tum firmare, atque conſiſtere, ne ſit lapſui, aut errori locus. Quamobrem, ſi unum ſtatues, cætera mihi magnopere probabuntur; ut demas ex ea ſylva, atque congerie illa, quæ cognita, perſpectaque ſunt non ſolum doctis hominibus, ſed iis etiam, qui modo paulum Latinam linguam attigerunt. Nolo enim, in eo laborem ſumere, ut omnia, quæ dici poſſunt, colligas; nam quid eſſe magis ſupervacaneum poteſt, in tanta præſertim eorum, qui de Latine loquendi ratione, quæ ſcribant, ipſi conſcripſerunt, vel recentium, vel antiquorum copia? ſed ut ea, in quibus vel aliquid homines doceas, quod ignorent, vel ſint ipſa per ſe illuſtriora, venuſtiora, commodiora in tuum conferas librum, diſponaſque tamquam in quincuncem, ſic ſuos in locos, ac formas, & imagines dicendi. Ea re & ſatietatem legentibus non afferes, & multum addes libro tuo dignitatis, ſplendoris, gratiæ. Cæterum de tuo in me animo, & fide, quæ amantiſſime ſcribis, ea per mihi grata ſunt: quæ de me ipſo, tu videris: in amore autem, & benevolentia poſthac mutuo tecum faciam. Vale XII. Kalen. Aug. MDXXXII. Patavio.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Petro Bembo S. D.

Significat, se posthac diligenter curaturum, ut damnum amicitiæ ad hanc diem non cultæ resarciat, diluitque id, quod sibi objecerat de editione sui APPARATUS LATINÆ LOCUTIONIS.

3. DUplicem voluptatem, eamque utramque maximam tuæ literæ mihi attulerunt; alteram, cum libri mei editionem tam fideliter probas, quo nihil mihi gratius, nihil jucundius accidere poterat; alteram, cum ita honeste quereris, quod nostra consuetudine tot annos mea culpa careueris, qui, ut par fuit, te numquam adierim, neque quicquam de me a me perceperis. Nam quod doles, nullius tot annorum consuetudinis usum inter nos interceſſiſſe, meque tanti facere ſignificas, ego, aliquid esse me ut credam, facile adducor; qua etiam ratione mihi valde gaudeo. Sed nihil est, Bembe, quod meum ingenuum pudorem accuses. Ita enim sum homo, qui cum principibus Viris, nisi res cogat, neque congredi, neque familiarius versari audeam, præsertim in quo nullum damnum feceris. Quid enim Bembus ab homunculo Riccio consequi potuisset, quod ei quicquam aut voluptatis, aut utilitatis afferret? Certe, si quis nostrum hac nulla nostra interea familiaritate recte queri potest, idque permoleste ferre debet, is ego sum, qui ea quotidie, atque adeo in singulos dies multo eruditior, multoque ornatior extitissem. Sed posthac, quando ita tibi placere intelligo, curabo diligenter, ut hoc damnum luculente mihi resarciam. Nunc redeo ad libri editionem. Ego illum edam, quando ita tibi videtur, meque inde literatis, & Latinæ dictionis studiosis hominibus gratum, meo autem nomini minime ingratum facturum esse affirmas. Quod vero suades, ut quædam minuta, ac prope omnibus percognita minutis magistris relinquam, ac tantum ea apponam, quæ tui similibus Viris probentur, consilium tuum mihi non improbatur, sed quam mihi supellectilem ad politius Latine scribendum confeceram, eam omnem in eo

flu-

ſtudio cæteris quoque omnibus profuturam eſſe putabam. Certe id mihi providendum fuit, ut magis elegantes Viri, tuique, ut dicebam, ſimiles, in ſcribendo multa a me haberent, quorum minime ignari eſſent, quam ut rudes, atque dictionis Latinæ parum peritiquicquam eorum deſiderarent, quibus orationem ſuam paulo luculentiorem reddere poſſent. Neque enim Varro, ut plane ſcis, cum de Latina lingua ſcribebat, etiam notiora perſequi; neque Cicero in Oratore ſuo etiam ad minutiſſima quædam deſcendere, ut omnibus prodeſſent, quicquam veriti ſunt. Quorum illuſtrium Virorum exemplo ego quoque, ſi quæ in mei LATINÆ LOCUTIONIS APPARATUM, quæ fortaſſe non ſunt innumerabilia, eruditiſſimis Viris trita, adoleſcentibus vero minus erunt cognita, conjecero, fortaſſe minime peccaſſe videbor. Quod vero me mones, ut Lectoris ſatietatem devitem, equidem, Bembe, ubi in opere illo id opus ſit, non video. Siquidem hæc in perpetuis ſcriptis creari ſolet, mea autem breviora, & magis conciſa, ac compendioſa eſſe non poſſent, quæ in ſingulis locutionibus terminantur, atque Lectorem liberum relinquunt. Vale.

PETRO BEMBO CARDINALI

Bartholomæus Riccius S. D.

Gratulatur de Cardinalatu, oſtenditque, eam Dignitatem multo plus ab eo accepiſſe, quam illi dediſſe, multoque ipſam videri cumulatiorem factam, quam illum ſplendidiorem: Addit, bene, ac feliciter cum Chriſtiana Rep. actum iri, ſi ejuſdem Senatus magnam copiam ſimillimorum Senatorum habeat, inter quos Contarenium, & Sadoletum recenſet ad eam Dignitatem nuper evectos.

UTrum tibi, Bembe, iſto tuo, ut dicunt, Cardinalatu, an Chriſtianæ Reip. magis gratuler, incertus ſum. Utri enim in eo majus beneficium allatum dicam, non ſatis habeo conſtitutum. Tu eam quidem Dignitatem adeptus es, quæ a ſuprema uno tantum diſtat gradu; ſed quam tibi tamen cum ex tuis optimis ſtudiis, tum etiam ex ſummis virtutibus jampridem delatam eſſe oportuit, adeptus es. Illa vero a te,

[ut nunc Gentis tuæ nobilitatem nihil recenſeam] omnia ſumma accepit ; ætatem , quæ ſua maturitate conſtat , conſilium , ac prudentiam in conſtituendis rebus optimam , in iis peragendis experientiam ſingularem , nobilium artium , ac ſcientiarum cognitionem minime vulgarem , eam poſtremo eloquentiam , in qua omnis Romana elegantia redolere ſentitur ; ut , cum diligentius conſidero , multo illa plus accepiſſe , quam dediſſe , tuaque iſta nobiliſſima acceſſione multo cumulatior , quam tu iſta facillima cooptatione ſplendidior , ac illuſtrior , facta videatur. Quare una ſimul utrique gratulor , ut qui alter ab altero ad majorem gloriam plurimum adjuti ſitis. Sed cum vobis gratulor , tum mihi gaudeo , quod tam diu vixi , ut viderem aliquando ad iſtum Dignitatis ampliſſimum gradum virtuti , non autem ſemper tantum gratiæ , atque effuſis largitionibus aditum eſſe patefactum : quod prius in Contarenio , deinde in Sadoletio Collega tuo , Viris , ſi qui alii , integerrimis , fieri cœptum eſt : nunc vero in te tertio comprobari , atque confirmari pergit. Utinam vero Senatus iſte veſtri ſimillimorum Senatorum magnam copiam haberet. Bene enim ac feliciter cum Chriſtiana Rep. ageretur. Nam id ei contigiſſet , quod Plato in Rep. ſancte adminiſtranda evenire cupiebat , ut qui eam regerent , atque adminiſtrarent , Philoſophiæ optimis præceptis imbuti eſſent. Ad cujus ampliſſimi Ordinis ſummum locum ſi veſtrum quiſquam umquam perveniat , nihil dubito , quin eum continuo iſtorum hominum genere probe ſit completurus. Sed redeo ad te. Cum tibi , inquam , præſenti Dignitate vehementer gratulor , tum ſperatam etiam ut videam , Deos omnes pie rogo. Quod ſi impetro , nihil tum poſtea eſt , cur ego ex hac vita non libentiſſime excedam , cum Chriſtianam Rempublicam optime conſtitutam relinquam. Vale. Ravennæ Non. Maii MDXXXIX.

PE-

PETRUS BEMBUS

www.libtool.com.cn

Bartholomæo Riccio S. D.

Gratias agit de literis, quibus gratulatur, se a Paulo III. Pontifice Maximo in Cardinalium Collegium fuisse cooptatum.

5. GRatus mihi tuarum literarum sermo, & elegans, & doctrinæ plenus fuit, quibus literis gratularis, me a Paulo III. Pontifice Maximo in Cardinalium Collegium fuisse cooptatum. Tametsi tu quidem parcior multo, continentiorque debueras in me laudando esse; sed tuæ te eloquentiæ flumen altum profecto, atque latum, ut a ripa solvisti, liberius, rapidiusque vexit, quam oportebat. Qua de re majores tibi gratias & nunc ago, & referam, cum potero. Vale. Non. Kalen. Junias MDXXXIX. Patavio.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Andreæ Navagerio S. D.

Iter suum Venetias describit; Mussuri Græci hominis humanitatem, & beneficentiam laudat, conditionemque propositam commodam sibi futuram significat.

6. EOdem die, quo a te profectus sum, Venetias perveni. Sane strenue, inquies. Ego vero magis incommode, qui & lutulenta via, & equo, quem scis, sella vero ea tum usus, quæ anum, atque totas interiores coxas mihi attrivit. Sub mediam vigiliam navim ad Mergaram conscendi; quem brevem in Urbem trajectum remis non sine magno totius corporis, pedum vero maximo frigore, vix tamdem confeci. Sero ad publicum hospitium [mei enim Abiosii Ravennam remigrarant] utraque de via lassus appuli. Ubi ego pro loci ratione, & pro superioris diei labore nocte illa satis commode quievi. Postridie Mussurum adeo, qui, ut audivit a te nuncium esse cum literis, scalas ut ascenderem, jussit. Interea vero ille e cubiculo ad porticus januam mihi ob-

viam venit, qui, ut fit, antequam literas aperiret, ut valeres, ac quid rerum, amantiſſime quæſivit. Recte, inquam, omnia. Ut vero tuas literas legit, eo me vultu, iiſque verbis, atque amplexibus accepit, quo ego facile cognoſcerem, me a te illi ea de nota commendatum eſſe, qua commendari ſolent, qui vere amantur. Dicere non poſſem, quam Græcus homo, ac tantus Vir mecum humane ſe geſſerit. Ut vero de te honorificentiſſime, & amantiſſime loqueretur, non puto te expectare, dum dicam. Sed omnia cumulavit, cum me tecta ad eos miſit, a quibus non diſceſſi: ad quem heri fui, ac, quid actum eſſet, narravi, gratiaſque egi, quas potui maximas. Is contra mihi gratulatur, atque in reliquum, ſi quid accidat, in quo ſuo ſtudio, atque opera mihi opus ſit, id omne familiariſſime pollicetur, tibique, ut ſuo nomine ſalutem plurimam adſcriberem, juſſit. Cui ego pro tanto erga me ejus animo reſpondi; non illum quidem apud ditem hominem, aut principem Virum ſuum officium & jam poſuiſſe, & eſſe poſiturum, ſed apud eum animum, qui ejus in perpetuum recordaretur. Itaque ab eo diſcedo. Sed redeo ad conditionem. Credo, eam mihi ſatis commodam futuram; etſi nulla commodior, quam quo tempore tecum Aviani fui. Sed eo me conſolor, quod tu quoque non ſemper es peregre permanſurus; ſperoque propediem fore, ut in Urbem revertaris, ubi tua jucundiſſima, mihique fructuoſiſſima conſuetudine frui poſſim. Interea in noſtris ſtudiis acquieſcemus, in quibus conſilium tuum ſequar, ut in bonis Auctoribus tantum verſer; cæteris, qui delectum verborum nullum habent, cæteros relinquens. Chriſtophoro, atque Angelo Gabrieliis fratribus, ac Nicolao Stephanio ſalutem. Vale. Venetiis Id. Febr. MDXIII.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Andreæ Navagerio S. D.

Se Venetiis eſſe ſignificat, & memoria repetere, quæ ſibi cum illo jucundiſſima acciderant. Summam ejuſdem eruditionem, & doctrinam laudat, ipſiuſque reditum in Urbem a ſe anxie expectari denuntiat.

7. EQuidem, Navageri, Venetiis ſum, ut ajunt, corpore, animo vero a te, atque ab iſto nobiliſ-

liſſimo comitatu abduci non poſſum. Vobiſcum enim omnes iſtos vicos, ut præſens faciebam, ſic abſens aſſidua cogitatione lætiſſime obeo. In venationibus vero totus ſum, ſive lepores in aperta planitie inſectandi, ſive etiam per ſumma iſta montium juga capreæ ſint dejiciendæ. O cætera poſtea, quæ in ſermonibus, ſive de jocis, ſive de literis agebantur! Nulla mihi umquam oblivio diem illum eripiet, cum ad amœniſſimum collem illum deambularemus, ego vero Maronem manu tenens nullum verſum vel ad alterum verbum proferre poſſem, quin eum ipſe excipiens totum librum memoriter abſolveres; idemque in Horatio, Catullo, Tibullo faceres. Sed hoc fortaſſe cum multis; id quidem cum perpaucis, niſi tui eſt ſolius, quod tu ex iis Poetis & ad interiorem ſenſum, quæ ſunt retruſa, atque abdita, erudite eruis, & ad optime imitandum omnia excipis: ut in illo tuo,

Si proprium hoc fuerit, lævi de marmore tota,

& quæ ſequuntur. Cujus loci ſenſus, aut ita eſt, ut tu explicas, aut nihil omnino. Ita de fama. Ita in eo:

Tmolus & aſſurgit, quibus & Rex ipſe Phaneus.

Ita in cæteris. De imitatione vero tua Ecloga, Borgetus, Ceres, & Epigrammata omnia facile teſtantur. Quare ego diem illum non video, quo te in Urbem recipias, quando ego dicere non poſſum, quo ego ad vos redeam; quem poſtea quotidie adeam, atque aliquid ſemper percontans, numquam domum inanis revertar. Vale, ac comitibus ſalutem. Venetiis.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Andreæ Navagerio S. D.

Se a morbo non ſatis confirmatum eſſe admonet; orat tamen, ut de die certiorem faciat, qui funeri Bartholomæi Liviani Imperatoris conſtitutus eſt. Se enim velle ipſum orantem audire, ejuſque actionem videre.

8. ETſi ex ſuperiori morbo non ſatis confirmatus ſum, qui me quadraginta dies graviter afflixit; quoniam tamen jam decem dies febris abiit, & breviſſima via eſt ad Stephani; te in Bartholomæi Liviani Impe-

ratoris funere orantem audire volo. Oratio quidem me quantum, quod umquam legerim, delectavit, in qua nihil, cum ad copiam, tum ad ornatum desideravi; actionem vero, quæ extrinsecus accedit, quæ una pars est de maximis non postrema, imo vero cui primas, cui secundas, cui tertias Demosthenes tribuebat, videre cupio. Hanc cum canora, ac clara voce, quamque in omnes partes apte commutes, tum ab omni corporis motu spero te optime comprobaturum. Quare te rogo, ut, qui dies isti funeri constitutus sit, mihi significes. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Andreæ Navagerio S. D.

Ejus Eclogam mittit a se descriptam, ut in ea corrigat, quæ mutavit, significatque, nullum exemplum ejusdem se passum esse describi, cum optime sciret, ei nondum, cui inscripta est, esse missam.

9. MItto tibi Eclogam tuam, quam mihi Aviani, ut scis, ex tua descripsi, ut quicquid in ea mutasti, ut tu heri mihi pollicitus es, id in ea pariter corrigeres. Cum Patavio rediero, eam ipse repetam. Non enim puto, te tam cito Romam discessurum, neque meam peregrinationem, quam tuam istam profectionem, fore diuturniorem. Si vero; eam Domitio dandam curabis. De Cornelio Feltrensi ita est, Eclogam illi recitavi, sed nullum exemplum neque illi, neque cuiquam descriptum est. Non enim tam ineptus sum, qui aliorum scripta tam temere publicassem, præsertim cum scirem, eam nondum ei, cui inscripta est, esse missam. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Joanni Cornelio S. D.

Conſolatur eum de proximo incendio, quod magnificentiſſimas ejus ædes abſumpſerat, oſtenditque, eum minus ex eo detrimentum, quam retur, percepiſſe. Romanæ Urbis direptionem mirifice deſcribit, epiſtolamque claudit ſubjiciens, animum, & oculos ab odium incendio abducendos, & in Ariadnam uxorem, & quatuor filios, & totidem filias conjiciendos eſſe, ex quorum cum ſummis honoribus, tum honeſtiſſimis liberis brevi ſummam, ac diuturnam voluptatem ſit percepturus.

1o. EX iis, qui iſthinc veniunt, te, quam tua animi magnitudo poſtulare videtur, acrius angi, atque acerbius ſolicitari, audio. Quod ſi ita eſt, teque ejus detrimenti, ut arbitror, quod ex proximo incendio percepiſti, nova aliqua, ac vehementior cogitatio in iſta ſolitudine invaſit, placuit, quid ex eo damni, multo, quam fortaſſe reris, minoris, feceris, tecum per literas percurrere, ut ego quanto illud tibi levius efficiam, ipſe contra de tua iſta ſolicitudine, quæ te iniquius premit, tantum detrahas, atque diminuas. Magnificentiſſimas ædes, ampliſſimum Corneliæ Familiæ domicilium, quas Georgius Pater cum quinque clariſſimis filiis, & ſorore Cypri Regina, omni dignitatis gradu cumulate illuſtres reddidiſtis, tibi tam ſubita incendii vi ſolo æquatas, permoleſte fers. Supellectilis præterea magnam partem, pretioſarum mercium non parum, annonam fere totam, eamque uberrimam cum incendio, tum direptionibus male abſumptam lamentaris. Addas etiam, ſi libet, quod Urbi Venetiis, quam uſque eo Familia tua cum beneficiis, tum charitate ſemper eſt proſecuta, ut Georgius pater Cypri inſulæ nobiliſſimo, atque ampliſſimo Regno eam adauxerit; Andreas autem Avi tui frater, pro eadem mori non dubitarit, quod huic, inquam, chariſſimæ Patriæ quaſi lumen alterum in tuis ædibus ademptum eſſe videtur; addas licet, quæ quidem illi tanto ornamento fuere, quamdiu ſteterunt, quanto illa Orbi terrarum univerſo eſt & decori, & dignitati

pida, Urbs denique ipſa Roma cum armis, tum flammarum ardoribus & vexata, & concremata eſt: in cujus direptione nihil ſummæ injuriæ, nihil turpitudinis, nihil ſceleris, quod barbaro hoſti libuerit, non admiſſum eſt. Pater, rebus omnibus amiſſis, ex vinculis hinc ſanctiſſimi conjugii violatam copulam, inde impubi adhuc filiæ vim nefarie illatam, inſpectare cogebatur; parentes in liberum, liberi in parentum miſeris cruciatibus ſeparatim a proprio ſummo dolore afficiebantur; virgines vero ſacræ eo loco luxuriæ ſunt habitæ, quo ſi proſtitutam vitam perpetuo egiſſent, fœdiora paſſæ non eſſent. In ſacratiſſimis Deorum omnium locis fœda omnia admittebantur. Cum quibus vero fortuna melius egiſſet, his pedibus per difficillima, atque invia loca, per noctis horrores fame, ſiti, vigiliis enectis, per multa millia paſſuum ad alienos tandem rerum omnium egenis deveniendum erat. Res ſacræ diripiebantur, privatæ auferebantur, publicæ deformabantur, magni vita redimebatur, quæ iterum eſſet redimenda; omnia ſana, profana promiſcua erant. At ego, quæ jam præterierunt, commemoro: quaſi vero nunc prope totus Orbis terræ ab ortu Solis ad occaſum crudeliſſimo bello non exardeat, cum terra, marique inter Chriſtianam Rempub. & Turcarum Regem bellum omnium bellorum atrociſſimum, ac maxime periculoſum geratur, unde quotidie hinc a mari, inde a terra maximi terrores nuncientur. Quo quidem bello, non uter regnet, contenditur, quod neque ſatis tutum arbitrarer, ſed fides Chriſtiana, [quid enim gravius metui poteſt?] in maximum periculum adducitur; in quo animi quoque bona, non tantum corporis ſalus peragitur. Quorum duorum, quæ ad te conſolandum ſumpſimus, alterum non parvam doloris medicinam afferre, alterum ſummam etiam commiſerationem commovere poterit. Quibus tamen ea quoque non poſtrema conſolatio accedit, quod hoc calamitatis magis in fortunis, quam in liberis, ac rebus carioribus accidit. Sed omnium tamen ea conſolatio maxima eſt, quam ipſe tibi adhibere potes, ſi ab iſto tuo mœrore animum, atque ab ædium incendio oculos abducens, eos in Ariadnam uxorem tuam primariam fœminam, atque in quatuor ingenuiſſimos, atque ingenioſiſſimos filios, ac totidem filias conjeceris, ex quorum

cum

cum ſummis honoribus, tum etiam honeſtiſſimis liberis brevi ſummam, ac diuturnam ex voluptatem perceptu-rus. Vale.

www.libtool.com.cn

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Joanni Cornelio S. D.

De amantiſſimis ipſius litteris ad Principem ſuum ſcriptis gratias agit, ejuſque in ſe officiorum eam naturam eſſe ait, ut poſterius priore ſit ſemper illuſtrius. Dolet, Apparatum *ſuum nondum Vincentiam perveniſſe, qui in tota Germania ſæpius publice deſcriptus fuerat; &, ſi quid læsius Ferrariæ acciderit, ſe de eo eum certiorem ſtatim facturum pollicetur.*

11. QUoquo me verto, amoris erga me tui veſtigia, ut proxime. Nam cum ego eas literas, quas Abioſio noſtro tibi reddendas ſcripſeram, prorſus periiſſe exiſtimarem, ecce tibi ab uſque Mutina, quantum apud te valuiſſent, nobis allatum. Inde enim mihi earum literarum, quas Principi noſtro ex meis ſcripſiſti, miſſum eſt exemplum, ut, te benevolentiæ erga me tuæ prius cumulatiſſime ſatisfeciſſe, quam meas literas accepiſſe, intelligerem. At quam noſtri amantiſſimas literas tuas? quæ profecto a cariſſimo patre neque fideliores, neque ponderoſiores expectarentur. Ex quo tuo tam illuſtri in me officio [etſi mihi novi nihil accidit, qui de te omnia cum mea in te ſumma obſervantia, tum tua peringenua natura ſperare cogor] eam voluptatem cepi, qua majorem nullam accipere potuiſſem, etiamſi ea ab eo homine, a quo nihil umquam expectaſſem, mihi veniſſet. Sed ea tuorum in me officiorum eſt natura, ut poſterius priore ſit ſemper illuſtrius. Itaque etiam novæ ſemper aliquid voluptatis afferat, neceſſe eſt. Quid vero tuæ literæ profecerint, nihil etiamdum intelligebam. Quod vero ad Triſſinum; id mihi cum eo homine eveniſſe video, quod Ciceroni evenit cum quodam Cive ſuo, qui peregre poſt multos dies domum rediens, ab eo interrogatus, ecquidnam Roma novi afferret? frontem contraxit, moleſteque tulit, tot dierum diſceſſum ab Urbe ſuum cuiquam ignorari potuiſſe. E-

go

go valde doleo, APPARATUM meum, quem trans Alpes uſque alis gryphiis pervolitare, atque in tota Germania ſæpius publice deſcriptum eſſe ſciebam, Vincentiam uſque non perveniſſe, certe Patavium ad Bembum, atque ad Bonamicium pervenit. Sed ad rem redeo. Cum aliquid lætius Ferraria audietur, quando, id te ſcire avere, certo ſcio, te mea ſtatim voluptate impertiar. Vale. MDXXXVIII.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Auguſtino Abioſio S. D.

De locorum magno intervallo inter ſe poſito queritur, quo fit, ut ſuaviſſimis ſermonibus, & familiari conſuetudine uti invicem non poſſint. Villulam ſuam, ac prædiolum laudat, ubi fructuum genus omne ſuppetit, cæteraque ad victum neceſſaria propter Oppidi propinquitatem facile parantur. Civium in ſe ſummam obſervantiam extollit, ſibique ſemper in mente hærere doctiſſimos, probatiſſimos, atque integerrimos Viros, cum quibus honeſtiſſime vitam traducebat, ſignificat.

12. TUæ literæ mihi jucundiſſimæ fuerunt, niſi quod in iis extremis fuit, ut tui memoriam nunc longiſſime gentium & amice, ac benevole præſtarem, quæ me res non ſolum graviter, ſed multis etiam modis male affecit. Id enim, Abioſi, me non leviter torſit, quod ullo cum locorum, tum etiam temporis ſpatio tui jucundiſſimam memoriam mihi interceptam iri, ſubveritus ſis, qui quam fraterne a me tot annos amatus ſis, plane perſpectum habeas. Ex eo vero, quod locorum intervalli facta eſt mentio, tantus mihi acceſſit dolor, ut major accedere non poſſet. Id enim ex me antea non animadverteram. Nam cum poſtremo ego Venetiis, tu vero Patavii ageremus, ſolebam te, aut etiam de te, interdum in alterum menſem, neque videre, neque quicquam habere. Quod quidem temporis ſpatium nunc quoque ex quo neque te vidi, neque tuas literas legi, cum mihi nondum plane præteriiſſet, etiam ſi multo longius aberam; eo tamen de locorum intervallo nihil admonebar. Sed tu ea literarum tuarum parte,

te, quod mihi abſenti ſummo ſolatio accidebat, eripuiſti, ac me prorſus novis cogitationibus objeciſti. Narro tibi plane, idque in aurem, ne cæteri, quos id audire maxime delectaret, ſentiant. Si veſtri trium, aut quatuor ſuaviſſimorum amicorum, ac nobiliſſimæ Urbis deſiderium tam moleſte me laturum putaſſem, quidvis aliud potius, quam de meo diſceſſu cogitaſſem; atque haud ſcio, ſi id, ut cœpit, perget in dies majus fieri, an me de improviſo Marius tibi ex ſummis ſcalis adeſſe nuntiet. Cave tamen quicquam nobis ejuſmodi in Patria accidiſſe ſuſpiceris, cur inde vix ſecundo menſe properem emigrare. Villulam mihi ſtatim mehercule belluſam exornavi, quæ ab Oppido lapide altero, a fluvio quingentis tantum paſſibus diſtat. Prædiolum vero cum fructuum omne genus, tum vini, atque frumenti quantum ad victum ſatis eſt, fideliter reddit; cum neque ex areola aviculæ per totam æſtatem, aut ova ex nidulis, atque ex ovibus lac recens, caſeoli cujuſque generis nobis deſint. Si Oppidum reſpicias, noſti, quam ex univerſo Flaminiæ agro rerum omnium copiam coloni ad mercatum importent, quamque apud nos pervili pretio veneant omnia. Carne vero cujuſque generis tantum abeſt, ut quicquam indigeamus, ut finitimæ etiam Civitates ex Lugienſi mercatu eam ſibi octavo quoque die cum plurimam, tum etiam optimam comparent; piſcis vero Ravenna ſi ſatietatem omnino non tollit, jejunia tamen levat; quotidie vero ex paludibus piſcatores præter optima ſalſamenta, recentem abunde ſuppeditant. Hoc vero, quod ad familiam alendam pertinet. Quantum autem me mei Cives diligant, dici non poſſet. Quid igitur inquies? aut unde tibi tam repente conſilii ratio commutata eſt? Nihil harum, inquam, rerum me conturbat, neque quod apud Cives meos gratioſior eſſe vel optem, qui me ſumma omnes obſervantia proſequuntur; ſed cum ego a meorum Corneliorum conſuetudine me prorſus ſejunctum video, ac ejus Urbis, a qua mihi cumulate tot honeſtæ voluptates profectæ ſunt, perpetuo mihi carendum eſſe conſidero, ſi poſſem mori, pœnas tum ſenſiſſem omnes; tametſi tanta, tamque jucunda doctiſſimorum hominum copia me carere haudquaquam in poſtrema cauſſa hujuſce mei tanti deſiderii connumerandum fuit. Hærent enim mihi in mente

meus

facere ſolebat, qui Camillum filium in literis Græcis, atque in Dialectica erudiebat. Hic nunc non doctiorem Philoſophum Madio noſtro quærens, ſed meliorem conditionem ſequens, ſe Patavium contulit. Hunc, ut in amicitiam tuam recipias, volo, atque quicquid ei opus erit, id omne meo nomine libentiſſime commodes. Polliceor tibi [etſi hoc tacere poteram] te in hujus adoleſcentis amicitia plurimum auctum eſſe, meumque hoc officium in iis, quæ a Riccio tuo tibi proficiſci ſolent, eſſe repoſiturum. Nam præter bonas literas, quas optime callet, & Græcas, & Latinas, ea natura eſt adoleſcens, atque in amando integritate, qua nos ſumus, quamque in aliis maxime cupimus. Vale. Sperono Speronio ſalutem.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Auguſtino Abioſio S. D.

Certiorem facit, doletque, Camilli filii faciem totam corruptam, atque ignea vi fœdatam, dum plumbum funderet ad pueriles nummos conflandos.

15. ME miſerum, Abioſi, me ſemper miſerum, Abioſi. Oris Camilli venuſtas, decor, pulchritudo, quam noſti, nulla eſt, tota corrupta, atque ignea vi fœdata eſt. O filium in æternum infelicem! O filio parentem infeliciorem! Oculi non ſunt adempti; cætera vi ignea ſunt contracta, atque combuſta. Plumbum miſer puer fundebat ad nummulos pueriles conflandos; cum vero formæ paulo ardentius concaluiſſent, illas aqua imprudens puer immerſit, atque iterum liquidum plumbum in illas infudit: jam ſcis, quod ſequitur. Plumbum in ejus os totum eſt rejectum. O vultum, o faciem, o os, o filium Camillum! Præ lacrymis plura non poſſum. Vale.

BAR-

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Auguſtino Abioſio S. D.

Caſu ſuo, caſu amici dolet, cujus filius incolumis, ac læte concurſans, ut pueri faciunt, ita in calicem vitreum fronte offenderat, ut, eo perfracto, alterius oculi uſus ablatus ſit, alterius vero in periculo verſetur.

16. NOn eo de filii mei calamitate ad te ſcripſeram, ut tu de tui majore mihi ſignificares. O fatum! O Dii ſuperi! Quid enim infelicius? Incolumem, ac læte concurſantem, ut faciunt pueri, ita in calicem vitreum fronte offendere puerum, ut eo perfracto alterius oculi uſus auferatur, alterius in periculo verſetur? O hominum conditionem, ut omnibus periculis, omnibus infortuniis es propoſita! Doleo caſu meo, doleo tuo: totus doleo, atque ita, ut novo malo vix locus vacuus in me detur. In ore, in oculis ingens plaga accepta eſt. Crus frangere durum eſt; reſtitui tamen poteſt. Oculorum lumine orbato nulla arte lumen comparatur. Os igne combuſtum nullo fuco, nullis medicamentis reſtituitur. Quando oculos ego in mei os, tu vero in tui filii oculos conjiciemus, nihil eſt, quin is viſus eodem tempore cor nobis transfodiat; ut ſatius nobis eſſe videatur, ſi cætera ſint paria, aut mori, aut alio commigrare, ne noſtra vulnera, ſi oculi augent dolorem, in oculis ſemper habeamus. Afferunt amici conſolationem. Ego eo miſerior ſum, quod nullam accipio, atque dolore conficior, cui tamdiu obediam, quamdiu aut illi me, aut mihi illum mors eripuerit. Nam quæ aliis conſolatio mali ex oblivione afferri ſolet, ea mihi tota erepta eſt, cui mane, veſperi, die, noctu, in urbe, ruri ante oculos mea miſeria obverſatur, ut perpetuo miſer fiam. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Auguſtino Abioſio S. D.

Significat, filii Camilli cutem, qui ſibi os combuſſerat, ita cum ea, quæ renovatur, coire, planamque fieri, ut pertenue ignis veſtigium appareat. Optat, ut parem nuntium de filio ſuo mittat, certioremque faciat, ei lumen rediiſſe.

17. QUadrageſimus dies agitur, ut ad te antea ſcripſi, cum Camillus os ſibi combuſſit. Primis diebus cave quicquam miſerius videris; id totum corroſum apparebat, neque cui cutis ſuperinduci poſſet, quæ non rugas imitaretur, ſpes ulla erat. Nunc cum priori, quæ renovatur, ita convenit, ita cum ea coit, ita plana eſt, ut ſi nullum, certe pertenue ignis veſtigium ſit futurum. Vere magnificus medicus, cum ſæpe alias, tum in hoc non ſolum magnificus, ſed etiam mirificus fuit. Utinam parem nuntium de tuo mihi mittere poſſes; ei lumen rediiſſe, quando oculus nihil offenſus eſt. Sed ut ut ſit, æquo tamen ferendum eſt animo. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Auguſtino Abioſio S. D.

Cæſarem Cambianium adoleſcentem ingenuum Juri Civili operam daturum ſibi ab Hectore Cochio commendatum commendat, ut ei & conſilio, & re, ſi opus fuerit, præſto ſit.

18. HEctor Mirolius iis moribus, ſtudiis, atque ea animi integritate præditus, qua noſter Hector Cochius erat, me in primis obſervat, atque colit, quique apud fratrem ſuum Prætorem noſtrum in amicorum cauſſis mihi numquam defuit; quibus rationibus ego quoque contra nihil habeo, quod ejus cauſſa non libenter nolim. Hic me rogat, ut ſi quem iſthic ejus generis, qualis es tu, amicum habeam, ei Cæſarem Cambia-

bianium adoleſcentem ingenuum, Civem ſuum, & præter Civitatis neceſſitudinem ſecum ſumma etiam familiaritate conjunctum, commendare velim, qui, ſi quid ei opus erit; eſt enim novus, ac longe gentium iſthuc profectus, Juri Civili operam daturus; habeat, ad quem tuto confugere, eumque de re ſua fideliter conſulere poſſit. Tibi igitur illum ita commendo, quemadmodum me debere facere intelligis. Continuo illum eo vultu, atque iis verbis accipies, quibus ex veteribus amicis quempiam faceres. Probe noſti, Abioſi, qui novi ſunt in alienis urbibus, quam multis de rebus ſint admonendi; qui vero domo etiam longe abſunt, quam interdum juvandi; quorum utrumque ſi optimo adoleſcenti præſtiteris, præter quam quod mihi gratiſſimum feceris, Hectorem, ac Cambianium ipſum ita tibi obſtrinxeris, ut cum omnem gratiam tibi retulerint, ſemper tamen ſint eam multo majorem habituri. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Auguſtino Abioſio S. P. D.

Conſolatur de morte uxoris, oſtenditque, neque in noſtrorum, neque in noſtra etiam ipſorum morte magnopere dolendum eſſe, cum animi non extinguantur, ſed loci tantummodo commutatio fiat, atque ejus loci, ubi ſummo bono perpetuo ſumus perfruituri. Itaque in fine Epiſtolæ quemlibet hortatur, ut ita ad eum diſceſſum ſe comparet, ut nihil lætius faciat, nihil cupidius expetat.

19. UT primum nobis rumor attulit, uxorem tibi deceſſiſſe, vehementer perculſus ſum; ut vero is certiori nuntio comprobatus eſt, haud humane ingemui. Continuo enim una cum ejus deſiderio, quam unice dilexiſti, filiorum copiam quaſi omnium infantium, quos tibi cum reliqua totius familiæ cura probe curandos reliquerat, mihi ſuccurrit, non ut diffiderem, quin id optime præſtare poſſes, ſed ſi quid. Sed nolo tibi gravius ominari. Verum, ne is mihi tamen altius, atque diuturnius inſideret dolor, ut alio tempore feciſſet, atque etiam in tali alias effecit caſu, id, quod dicam, prohibuit omnino. Forte tum duos Tuſculanarum quæ-

ſtionum primos libros totidem diebus, quot ipſi ſcripti erant, abſolveram. Pergebam reliquos. Noſti quæ præcepta in iis libris cum ad dolorem, tum ad mortem ipſam contemnendam tradantur. Hæc ego ita hauſeram, itaque mihi ea ipſa in animo hæſerant, ut altius dolor in eum neque penetrare, neque diutius commorari poſſet. Utinam recentis doloris tui acerrimi morſus tibi concederent, ut inde ipſe quoque hanc ad te medicinam admittere poſſes, quod tamen, ut experiaris, neque importunum erit, & ego id tibi magnopere ſuadeo. Omnibus enim rationibus facile vinceris, ne tuam quoque mortem tibi, cum venerit, modo ad eam ea, qua facis, recta vivendi ratione ipſe venias, quicquam dolendam exiſtimes. In tuorum vero etiam acerbiſſima perferenda multo fortior fies, cum videris præclaros Viros, quos magis, quam fœmellas, atque aniculas, imitari debemus, in ſua etiam ipſorum morte ſe fortiſſimos Viros præſtitiſſe. Et profecto nihil eſt, quod aut in noſtrorum, aut in noſtra etiam ipſorum morte tantopere doleamus. Nam ſi noſtra quicquam dolemus, inique facimus, qui nos ex turbulentiſſimæ vitæ maximis tempeſtatibus excedere, atque in tranquilliſſimum portum pervenire, dolemus. Si vero noſtrorum nos dolor angit, idque noſtro facimus beneficio, ut qui eorum deſiderium lugeamus, non eorum amantes, ſed noſtri commodi, quo nihil turpius eſſe poteſt, cupidi ſumus. Si vero quicquam mali iis in morte accidiſſe veremur, Apollinis etiam judicio eo metu liberati ſumus. Hic enim cum eis, qui ſibi Templum Delphis egregie exædificaſſent, ſuique operis mercedem repeterent, in tertium diem illis eam ſe daturum reſpondit: quo die poſtea inventi ſunt mortui: ut Dei teſtimonio mors ſummum præmium ſit homini judicata. Non enim ſolum ingratus, ſed etiam impius Deus fuiſſet, ſi pro tanto munere tantum ſcelus admiſiſſet. Quam ſententiam quidam populi ſequebantur, qui quo die quis ſibi naſceretur, eum lacrymis; cum vero moreretur, lætitia proſequerentur. Id quod Euripides in Cteſiphonte his verſibus, quos Cicero hoc modo Latinos fecit, teſtatus eſt:

Nam nos docebat cœtus celebrantes domum
Lugere, ubi eſſet aliquis in lucem editus,
Humanæ vitæ varia reputantes mala,

Omnes

Omnes amicos laude & lætitia exequi.

Cui illud Crantoris optime convenit, cum dicebat:

Ignavis homines in vita mentibus errant.
Euthinous potitur fatorum munere læto.
Sic fuit utilius finiri, ipſique, tibique.

Quid vero ille, qui hoc verſiculo quaſi rogabat, ne ſe quiſquam mortuum lacrymis proſequeretur cum ait?

Nemo me lachrymis decoret, nec funera fletu
Faxit. Hoc autem ii homines, qui animam una cum corpore extingui putabant. Quanto vero nos magis id tenere debemus, qui prope certi ſumus, ſupremum illum diem non animorum extinctionem, ſed commutationem loci afferre, atque ejus loci, ubi ſummo bono perpetuo ſumus perfruituri? ut tantum abſit, ut eum diem quicquam abhorreamus, ut illum etiam mire optare, atque, ſi fas eſſet, vi aliqua nobis repræſentare deberemus. At perfecti non ſumus homines, ſed qui iis tantum ducimur, quæ videmus, ea vero, de quibus nulla certior ratio habeatur, perfugientes. At ratio, ut propius ad eam perfectionem accedamus, nos admonet, atque etiam adjuvat. Chriſtus vero, cum poſt ſuum in Cœlum aſcenſum Diſcipulos divino ſpiritu opplevit, omnem dubitationem aliter fieri poſſe nobis abſtulit, quem ſi audiamus, atque ejus mortem intueamur [præterquam quod id natura omnibus accidat] neque malum exiſtimare, neque ut præcipuum, dolere debebimus. Ita nos in hoc ad eum diſceſſu comparabimus, ut nihil lætius faciamus, nihil cupidius expetamus. Vale tu modo, atque hac inſtituendi ratione filios inſtitue, ut cum eis quoque quid tale a ſuis, atque adeo a ſe ipſis acciderit, quo levius id perferant, a te parente habeant optimo. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Auguſtino Abioſio S. D.

De reditu Principis ſui ex Gallia ſibi jucundiſſimo certiorem facit, cujus in Urbem ingreſſum inter Civium lætos clamores, campanarumque lætiſſimos tinnitus diligenter deſcribit, ſeque Æſonis inſtar ex ſexagenario, & quinario vigenarium factum præ lætitia videri ſignificat.

20. GRatulare mihi, Abioſi, idque quantum umquam alias ulli amico feciſti. Princeps meus ex

Gallia rediit, hoc eſt, omnis præſentis vitæ meæ ju
ditas mihi rediit, & futura etiam in multos annos pr
gata eſt. O mihi felicem ſine numero diem! Nam to
illud tempus, quo is ad Regem bello illo difficillimo
ter horrida arma, inter confertiſſimas fortiſſimorum
ſtium acies verſabatur, quæ non pertimui? quid adv
in mentem non venit? ut nunc etiam cogitans, atqu
tuto poſitus, totus horreſcam. Sed lætius agamus. T
dem poſt biennium, ac quatuor alterius anni menſes
mum rediit. Dii boni, quæ omnium Civium læti
qui læti clamores, qui omnium campanarum [ut vul
crebri, ac lætiſſimi tinnitus! Plena porta ad Angelo
omnis Civitas illi obviam in tota ſuburbana prata
Regia exivit. Patrui duo Hippolytus Cardinalis, & F
ciſcus magno equitum comitatu ad Lacum obſcurun
lum excepere. Frater Aloyſius etiam aliquot millia
fines patrios illi occurrit, cum Alphonſus jam multo
te ad lacum Lemanum per diſpoſitos equos illi obv
advolaſſet. Noſti ad Angelorum ut longa, ut lata via
cave granum milii [ut dicunt] ea præ hominum m
tudine capere poſſet. Ex feneſtris reliqua Matronarum
bilitas extabat. Parietum, viarum ipſarum, urbis
des lætitia exultabant. Ita frequentiſſimo populo cl
omnibus tabernis, in arcem ad Patrem ducitur.
complexus [nam verba præ lætitia utrique longius
tercepta ſunt] hinc patris, inde filii, ne expecta,
dicam. Ipſe, qui pater es, conjicito. Mater ac ſor
reliquæ erant, ad quas adiretur. Ad eas deſcendit. F
a matre, inde ſororibus Regiis Principibus compl
tenetur. Sed hæc aliorum lætitia eſt. Redeo ad me.
quidem, Abioſi, id, quod de Æſone dicunt, ex
genario, & quinario vigenarius factus videor. Cum
la enim ſumma lætitia vires mihi integriores, a
fortiores rediiſſe videntur. Et profecto ut mœror h
nem conficit, ita lætitia illum, vel graviter affectu
diutius ſuſtinet. His accedit, quod amicis meis,
una re nihil lætius facio, ſi quibus id uſus erit a
eum, prodeſſe non parum potero, atque per eum a
Patrem Principem haud etiam minimum, quorum
antea perparum erat, illud prorſus nihil. Quo uno
tanto bono, præſertim hac mea ſenectute, Deo Opt
Maximo, cui omnia debeo, immortales gratias, q
d

do vix hoc cum illo uſurpari poteſt, ago; atque id in eo beneficii loco habeo, quo majori nihil habere poſſem. Quare ipſe amice facies, ſi eo, quantum umquam alias, aut mihi ipſi, aut alii amico feciſti, amiciſſime gratulabere. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Auguſtino Abioſio S. D.

De honeſta repulſa in Magiſtratu petendo nihil eſſe dolendum ſignificat. Filium Camillum Juri Civili operam dantem ad eum mittit, rogatque, ut ei conſilio, favore, aut alia re qualibet præſto ſit, ſtatimque de loco provideat apud eorum quempiam, qui in ſingulos menſes conſtituta certa pecunia hoſpites alunt, ut de victu nihil ei curandum ſit, totuſque in ſua ſtudia liberius poſſit incumbere.

21. ÆQuius equidem erat, ut tibi nunc novam dignitatem gratularer, quemadmodum paulo ante cariſſimæ uxoris tuæ mortem dolueram. Sed multa petitioni tuæ adverſata ſunt; in primis autem competitoris tui Patria, quæ cum optime de re iſta publica merita, neque jam multos annos ulla dignitate cohoneſtata eſſet, hæc ea ratione optimo illi Viro, ut ei gratificaretur, hanc provinciam decrevit. Tametſi is quoque Vir iis virtutibus præditus eſt, cui omnes Magiſtratus rectiſſime committi poſſent, tibique prope major laus fuit ab eo uno illo ſuffragio ſuperari, quam quibus multis tu cæteros ſuperaſti. Quare ſi nihil eſt, quod tibi gratuler, neque tamen contra eſt, quod iſta tua tam honeſta repulſa mihi doleam. Sed hæc acta ſunt. Jam vero, quod inſtat, agatur. Camillus filius jam duos annos Juri Civili operam dat, idque in Patria, ſed mire cupit aliquot annos iſthic cum Doctorum, tum Urbis celebritate in iis ſtudiis ponere; quod cum me ſæpius rogaret, numquam tamen impetravit. Nam cum ego eum adoleſcentem viderem; eſt enim duo de viginti annos natus; decrevi tamdiu eum mecum habere, quamdiu ejus inconſulta adoleſcentia id me facere cogeret. Nunc vero cum importuni hujuſce belli cauſſa hic omnes A-

ca-

cademiæ occluſæ ſint, neque privatim quiſquam doceat, iſque in ſua ſententia firmius perſtet, manus mihi danda eſt. Ex duabus enim rationibus, quas potiſſimas habebam, potior mihi erepta eſt: quæ vero reſtat, in multis hujus ſimilibus comprobatur, qui adoleſcentes vel longiſſime gentium in ejus generis ſtudia a parentibus ſuis mittuntur. Sed cum ego te, me alterum iſthic habeam, hoc ei libentius, atque multo ſecurius concedo. Certo enim ſcio, te illi, qui ego tuis eſſem, mei loco eſſe futurum, hoc eſt, qui neque conſilio, neque favore, neque quaque re alia quicquam ſis ei defuturus. Hunc igitur tibi mitto; cui continuo de loco providebis, atque apud eorum quempiam, qui in ſingulos menſes conſtituta certa pecunia hoſpites alunt; ut de victu nihil ei curandum ſit, totuſque in ſua ſtudia liberius incumbere poſſit. Vale. Ferrariæ XII. Cal. Novembris MDLVII.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Auguſtino Abioſio S. D.

Se juxta illud, qui diu vivit multa, quæ non vult, videt, *jam ſeptuagenarium multis tempeſtatibus agitatum fuiſſe ſignificat, ſed amicorum præcipue morte gravius affectum, nunc vero in Abioſii interitu tanto vulnere læſum, ut illud numquam ſperet amplius coiturum, in cujus laudes mirifice excurrit, profiteturque, eum quidem ſuo fato ſibi eripi potuiſſe, ejus vero gratiſſimam memoriam nullo modo eripi poſſe, idque in ejus liberis amandis ſe comprobaturum pollicetur.*

22. UT vere, Abioſi, nimiſque ille vere dixit, qui dixit; *qui diu vivit, multa, quæ non vult, videt*, ut ego jam ſeptuagenarius, non equidem ut Priamus, multas meorum cædes, funera, Urbis excidium, atque incendium vidi, tametſi mea quoque cymba in [illegible] parvo lacu non levioribus tempeſtatibus agitata eſt. [illegible] amicorum, eorumque probatiſſimorum Virorum mor[illegible] gravius affici non potui, qui in uno Hectore Co[illegible], qui unus omnium mihi primus ereptus eſt, pri[illegible] non leve vulnus accepi; poſt hunc in Flaminio; dein-

deinceps in Maſejo, Amaſejo, Bonamicio, Corradio, Braſchio; nunc vero in Abioſio noſtro id ita commotum eſt, ut numquam ſperem amplius coiturum: aut quia familiarius, ut plane ſcis, magnam vitæ meæ partem cum illo egerim, quique mihi non tam prænomine, quam etiam animo, ac voluntate ſemper conjunctiſſimus fuit: aut quia poſtremi ictus, ut qui arborem dejiciunt, quam primi, graviores eſſe ſolent. O Abioſi, o mi Abioſi, quem ego iſthinc uſque in meo aliquo graviſſimo morbo huc accerſiviſſem, ut divina illa tua medendi arte mihi priſtinam valetudinem redderes, ipſe tibi in tuo præſto adeſſe nequiviſti, ac, quæ multis ſæpius profuit, ea tibi ipſi ars tua nullam opem afferre potuit. Ut ſi etiam non tua cauſſa [ut de ætatis ratione nihil agam, qui nondum admodum ſenex eras] Dii te multo diutius in terris relinquere nolebant, ſaltem id aliorum ſaluti, qui tecum deceſſiſſe videntur, omnino concedere potuiſſent; ut communi etiam damno in illo accepto mihi non ſit levius dolendum. Doleo itaque & meo præcipuo, & tuo proprio, & cæterorum percepto ex ejus interitu incommodo. Sed amicitiæ vis, ac ſuaviſſimæ conſuetudinis recordatio me magis movet. Hujus enim deſiderio omnia commoda ut cedant, neceſſe eſt. Sed in hoc meo dolore eum ita mortuum amabo, ut vivum facere conſuevi. Potuit enim is mihi ſuo fato eripi, ejus vero gratiſſima memoria eripi non poteſt. Id quod in ejus liberis amandis comprobabo, quibus ego non ſcribo, quando nihil habeo, quod in tanto mœrore iis conſolationis afferam; verum tu meo nomine illis omnem meam operam, omne meum ſtudium, quoties id eis uſu veniat, fideliter polliceberis, quibus ego omnia, quam parenti faciebam, ſum æque præſtaturus. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Auguſtino Abioſio Bartholomæi Filio S. D.

Certiorem facit, ſe ad Chriſti aſcenſum Venetias venturum, rogatque, ut ſibi, & Camillo filio cubile comparet.

23. SI tu, & parentes, & fratres, & cariſſima uxor tua valetis, bene eſt, ego cum mea familiola ſatis

ſatis belle habeo. Hoc ſatis eſſe poſſet; ſed illud addo, ut ad proximum Chriſti aſcenſum mihi, ac Camillo filio cubile compares; nam apud te ſumus hoc anno habitaturi; ne pater tuus ſemper meos Cornelios execretur. Sed cum ego melius cogito, anguſte olim habitabatis; quid vero nunc, cum ſecunda nova nupta, Valerii fratris uxor acceſſit? Vereor, ne mihi ad meos Cornelios redeundum ſit; ſed ipſe videris. Hæc quamprimum, ac, fideliter, ut Abioſio reddantur, diligentiſſime providebis. Vale, atque omnibus ſalutem.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Auguſtino Abioſio Bartholomæi Filio S. D.

Cum ob importunam peſtilentiæ vim celeberrimus Venetiarum mercatus ſublatus ſit, propterea Venetias accedendi cauſſam ſibi ſublatam eſſe ſignificat. Hortatur, ut cum cæteris medicis eam ex Urbe ejiciat, & Biſantium impellat, aut alio quovis trans maria omnia expetendum jubeat, ut ſaltem ſub diſcipulorum conventum, cum Camillum filium Patavium ducet, ſine ullo metu ſuo eſſe poſſint.

24. Di tantum malum dent iſti peſtilentiæ, quantum ipſa dat populis & mortis, & doloris, quæ mihi veſtrum omnium conſpectum abſtulit. Conſtitueram enim, ut ad te antea ſcripſeram, ad iſtum Chriſti in Cœlum aſcenſum tecum, atque cum parentibus tuis eſſe octo illos dies ipſos, ſed cum ob importunam illam peſtilentiæ vim celeberrimus mercatus ſublatus ſit, ob eandem cauſſam iſthuc accedendi cauſſa mihi ſublata eſt. Tamen tu nihil ad meas illas literas, quibus mihi hoſpitium condixeram. Credo, hoſpitem tibi non tutis probatum eſſe, quem præcium iſtorum maximus helluonum noras, cumque in vias ratione numquam ſatisfit; eſt numquam melius, atque ad manum ſtomachum, quam apud vos habi. Sed illa, illa nuova colloquia ad mentiam, in deambulationibus, in lectulis, in via, ad librarios, ad medicos noſtros Supercilios. Matrimonia, quam omnia jucunda cum quibus. Si me amas, quando hunc agrum optime tenetis, iſthuc malim be-

beſtiam ex Urbe ejicite, expellite, purgate nobiliſſimam Civitatem, Biſantium illam impellite, aut etiam quo malit, trans maria omnia exportandam jubete; ut, ſi non ad conſtitutum diem una eſſe potuimus, ſaltem ſub diſcipulorum conventum, cum Camillum filium Patavium ducam, id ſine ullo metu facere poſſimus. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Pierio Valerianio S. D.

Gratias agit de ejus opere elegantiſſimis verſibus ſcripto, quod ipſe domum uſque tulerat. Librum ſuum de Imitatione ad ipſum mittit, in quo ſi quid erit, quod ipſi non improbetur, ſibi gratiſſimum facturum ait, ſi ſe per litteras certiorem fecerit.

25. EOdem tempore me & ſumma voluptate, & dolore minime levi affeciſti. Voluptate, cum domum uſque opus tuum elegantiſſimis verſibus ſcriptum dono ipſe tuliſti. Quid enim mihi gratius accidere potuit, quam ut a tanto Viro tam familiariter mecum ageretur? Dolore, quod per illud tempus in Urbe non eſſem, qui te, ut dignus eras, acciperem, ac ſuaviſſimis tuis ſermonibus multis per horam illam de rebus perfrui poſſem. Sed hujus damnum in tuis verſibus perlegendis mihi magna ex parte reſarciam. Quod vero voluptatis accepi, quoties iſtius humaniſſimi facti tui in mentem veniet, veniet autem cum ex ipſius virtute, tum ex libri lectione ſæpius, toties renovabitur, mihique auctior fiet. Utinam modo quid ego quoque haberem, quo tibi contra gratiam aliquam referrem. Nam in hoc de Imitatione, quem librum tibi mitto, non mihi ſatisfacio. Vellem amplius quiddam, teque tam præſtanti Viro dignum mittere poſſe. Malui tamen ex hac parva relata gratia grati animi erga te mei ſignificationem aliquam facere, quam ingratus in nulla videri: in quo tamen ſi quid erit, quod tibi haud improbetur, non prorſus in referenda gratia fruſtra fuiſſe valde lætabor. Quod ſi accidat, mihi gratiſſimum feceris, ſi me per literas certiorem feceris. Vale.

BAR-

BARTHOL. RICCII

THOLOMÆUS RICCIUS

Alexandro Magiolio S. D.

www.libtool.com.cn

TUM LATINÆ LOCUTIONIS *a se scriptum, tum ex multis editionibus alibi factis comprobari at. Certiorem facit, alterum ad Italicam rationem onfectum fuisse, cujus primum folium publice de- am ad eum quoque mittit, ut sibi per litteras o- t, quid de ejus utilitate sentiat.*

Ide, Magioli, quid novi studii. APPARA- TUM AD LATINAM LOCUTIONEM scri- umque superioribus annis edidi, qui quam ab o- s nationibus probatus sit, ejus post meam multæ m editiones facile comprobant. Eo non contentus im interea confeci, ad Italicam rationem composi- , hoc est, ut verborum, ut Grammatici dicunt, paucis prius Italice proferrem, deinde quot modis propriè, tum figurate ea Latine, atque eleganter possent, abunde subjicerem. Quo perfecto, primum um publice describi jussi, quod postea quoquo versus amicos mitterem, ut, quid illis de eo studio videre- , postea ad me perscriberent. Tuum igitur folium ha- , quod cum ipse quoque percurreris, [neque enim diu- rnæ, atque diligentioris lectionis opus est] quid de ejus ilitate sentias, per literas mihi significabis. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Georgio Cornelio S. D.

humanitate, & benignitate, qua illum totos illos die- tractaverat, quibus Venetiis ad consortes fratres fuerat gratias agit, rogatque, ut, si illi Bononiam, aut R num, aut quovis alio iter habendum sit, ad se div ut, ut ipse etiam de sua benevolentia aliquid tes ssit.

PUtabam equidem ad id humanitatis, qua un sa Familia tua maxime prædita est, tibi a etic

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Auguſtino Carrario S. D.

Significat, ſe ejus diſceſſu Florentiam admodum affectum eſſe, multoque ſatius ipſi futurum propter belli diſcrimen, ſi ſecum conſuetas ambulatiunculas in ſuaviſſimis ſermonibus confeciſſet. Hortatur, ut interdum animi cauſſa ad Abieſium omnibus ſummæ neceſſitudinis rationibus ſecum conjunctum ſe conferat, ipſique oſtendat, quanti a ſe fiat.

28. QUi mihi meam Ariſtotelis Poeticam tuo nomine reddidit, is te Florentiam hoc anno miſſum eſſe nuntiavit; præterea addidit, te tua voluntate illuc potius, quam alio ire coactum fuiſſe, ut Florentina, ac florentiſſima Academia illa perfruereris. Quo iſto tuo a nobis diſceſſu multifariam affectus ſum, & quod tua ſuaviſſima conſuetudine ſum caritaturus, & quod noſtra Academia in te uno nobis adempto tantum damni fecerit. Verum illud me magis movet, quod per ea tempora in Hetruriam profectus es, quibus tota ea provincia maximo Senenſi bello exardet; ut etiam magis armis, quam literis rem geri oporteat. At alii arma induant, nos in Academicorum conventus, in Bibliothecam noſtram abdemus, in libris habitabimus. Recte quidem. Tamen & Diogenes, ne ſolus in tanto belli diſcrimine ceſſaret, dolium ſuum quaque verſabat. Non male Urbi ominor; timeo iſti tuo otio; quod ſi ullum erit, tui ſolius fortaſſe erit; certe Cives alio, quam in Academiam rapientur. Ut tibi multo ſatius fuiſſet, ſi cum tuo Riccio conſuetas ambulatiunculas in porticibus tuis ad Joannis Baptiſtæ in ſuaviſſimis ſermonibus confeciſſes. Sed tu cum tui ſimilibus vere ex ejus generis hominibus eſtis, qui ſunt microcoſmi, qui in ſtatu quoque Cœli converſiones imitamini. Quaſi enim per ſphæras in orbem vos quoque per ſingulos annos verſamini; niſi atomos magis imitantes huc nunc, alio alias confuſe, ac nullo ordine, ut vos majorum veſtrorum ſtatus impellunt, circumerratis. Sed quando tuus Capricornus ad nos rediturus ſit, non video. Sed ſatis de locis.

eis. Est ad Cartusianorum familiam Ludovicus Abiosius jam multos annos Rector, qui mecum omnibus summæ necessitudinis rationibus conjunctus est. Si interdum animi caussa illuc te contuleris, ac, quanti a me fias, illi ostenderis, id meo amicissimo fecisse videbis. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Julio Portulachio S. D.

Petrum Vandinium Civem suum, & affinem coactum in aliena Urbe litem sequi commendat, rogatque, ut apud Judices ei præsto sit, sicuti caussæ honestas jubet, & ejus bonitas postulat.

29. PEtrus Vandinius meus & Civis, & affinis est. Sed hæc communia cum cæteris esse possunt, ejus vero bonitas non ita. Est enim, ut Romane eum laudem, vir bonus, qua etiam sua bonitate nunc cogitur in aliena Urbe litem sequi. Hic sororis suæ filiæ marito Venetiis CC. aureos dat filio Lugum perferendos, quos ipse filius postea Principi nostro pro vectigali quodam dissolvat. Is bonus vir cum pecunia ausugit, neque postea usquam repertus est. Tandem certior factus, istum Brixiæ eam pecuniam in vestibus veteribus vendendis exercere, isthuc se contulit, suum ad Judices ab isto repetitum. Quod cum intelligerem, ac plane scirem, quanti referret, peregrinum in aliena Urbe Civem aliquem habere, cujus gratia sustentaretur, tuam, hoc est, ejus Viri, qui in sua Civitate plurimum valeret, eum habere volui. Hunc igitur ita tibi commendo, ut caussæ honestas jubet, & ejus bonitas postulat. Quoquo modo ei prodesse poteris; multifariam enim poteris; ne eum deseras, te etiam atque etiam rogo. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Julio Portulachio S. D.

Gratias agit, quod Vandinii cauſſam ita ſuſceperit, ut ejus filius ſibi retulerit, illud officium ipſi in ea præſtari, quo majus filius a patre expectare non potuiſſet. Certiorem facit, ſe Calinio eamdem ipſam cauſſam commendaſſe, ſibique pergratum futurum addit, ſi commendationem ſuis tribus verbis renovaverit.

30. EQuidem, Juli, cum tibi Vandinii cauſſam commendavi, eo animo id feci, quo tu faceres, ſi tuorum quempiam mihi commendares; ut ei nihil deeſſes; quemadmodum ego in tuis nihil omitterem, quod a me deſiderares. Quam meam opinionem ipſe Vandinius continuo ad me ſcribens, mihi comprobat. Ait enim, ita te cauſſam ſuam ſuſcepiſſe, ut ejus faceres, quicum omnibus ſummæ neceſſitudinis cauſſis conjunctus eſſes. Nunc vero ejus filius iſthinc domum rediens, multo etiam uberius de tuo erga patrem ſuum officio mihi retulit, cum diceret, majora a ſe filio patrem ſuum expectare non potuiſſe, quam quæ ipſe tua humanitate ei præſtitiſſes, atque adeo interea quotidie præſtare non ceſſes. Pro quo iſto tuo in Vandinium maximo officio, etſi ſcio, te mihi magis in hoc ipſo, quod mea cauſſa facis, debere plurimum, qui tibi, ubi tuam iſtam gratificandi rationem exerceres, tam honeſtam cauſſam obtulerim, fateor tamen, me tibi tantum debere, quam qui maxime. Quod tuum officium [etſi plane vel primo die cumulaſti] ut id tamen ad extremum adaugeas, hoc eſt, ne hoſpitem virum optimum in aliena Civitate ab improbiſſimis adverſariis gratia, atque pecunia opprimi ſinas, te etiam, atque etiam rogo. Aloyſio Calinio hanc ipſam cauſſam commendavi. Quid meæ literæ apud eum ponderis habuerint, non ſatis intelligo. Pergratum mihi feceris, ſi commendationem meam tuis tribus verbis renovabis. Herculi ſuaviſſimo adoleſcenti, ut filio cariſſimo, ſalutem adſcribito. Vale.

BAR-

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Julio Portulachio S. D.

Rogat, ut videat, ne trifur adverſarius in carcere detentus ſibi eripiatur, ac in alicujus gratiam judicium effugiat.

31. AUdio, trifurem iſtum adverſarium noſtrum etiam in carcere artem ſuam exercuiſſe; quod factum probat, eum dignum eſſe, qui omnibus ſententiis abſolvatur. Quid autem nunc ajunt ſocii ſceleris duo ejus fratres impuriſſimi? quid, inquam, afferunt excuſationis? Jam enim manifeſto tenetur, neque quicquam aliud reſtat, niſi ut inter tria veſtra publica ſigna literam longam, Plautino more, efficiat. Sed quoniam Judicum improbitate, ac temporum noſtrorum iniquitate ſcelus interdum plus æquo valet, vide quæſo, ne iſte nobis eripiatur, ac in alicujus gratiam hoc judicium effugiat. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Julio Portulachio S. D.

Gratias agit de ſuo in Camillum filium ſuum paterno animo; certiorem facit, Homerum, atque Æſopum Græcos ſibi redditos eſſe; ſeque vereri ait, ne Camillus filius ſe patrem imitetur in unis Latinis litteris, Græcis omiſſis, acquieſcentem.

32. TE amabam, Juli, antea tuo optimo ingenio, atque multorum annorum amicitia noſtra plurimum, nunc vero tuis magnis, ac multiplicatis officiis, atque iſto tuo in Camillum filium meum paterno animo, non ſolum amo, ſed etiam obſervo, plurimumque tibi debeo. Homerum, atque Æſopum Græcos accepimus, qui quidem tam nobis grati fuerunt, quam quo animo miſſi ſunt, qui gratiſſimo ſunt miſſi. Utinam filius iis literis, quam facit, magis delectaretur, ſed vereor, ne patrem imitetur, qui in unis Latinis acquievit. Dii cætera illi ſecundent. A Madio noſtro ſpero longiores noſtras literas tibi jam redditas eſſe, quibus ſignificabam,

omnia tua recte nobis allata. Tu vero in tuis & proximis, & superioribus nihil de Hercule nostro. Ecquid in Africam nunc? Nolo illi male ominari. Isthæc tamen per hæc difficillima tempora tam importuna peregrinatio mihi satis placere non potest. Cura, te amabo, ut, cum aliquid de eo habebis, intelligam. Camilli, & ejus matris, & meo nomine valebis.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Julio Portulachio S. D.

Gratulatur, eum incolumem ex Græcia domum rediisse, tantasque tempestates, totque piratarum incursiones feliciter evitasse. Ostendit, peregrinationem terrestrem maritima longe tutiorem esse. Rogat, ut tormentum parvulum ferreum ad Camillum filium primo quoque tempore mittat, curetque, ut rebus omnibus, quibus opus est, optime sit instructus.

33. AUdio de Julio patruo tuo, te mirum peregrinatorem factum, nuperque ex Græcia incolumem domum rediisse, eoque mihi gaudeo, quod nos quoque hac ratione te revisurum spero; tibi vero gratulor, qui tantas tempestates, tot piratarum incursiones devitaris. Mihi quidem peregrinatio ea probatur, quæ periculis careat. Quare maritima maxime improbatur, ubi non solum a procellis, a scopulis, sed etiam a piratis maxime timendum est. At terra a latronibus quoque non levia instant pericula. Recte quidem; sed ea commodius devitari possunt. Certe terra nobis naufragia non affert, neque hospitium vetat, cæteraque multa non aufert commoda. Quare jam terram teras licet, omnem Italiam peragrare poteris, deinde in Galliam transcendes, Germania patet, cæteras Orbis partes domi tuæ uno Ptolomæo duce percurres. Sed hactenus de peregrinatione. De Camilli parvulo ferreo tormento tua cura est, ut primo quoque tempore, ac quam optimus mittatur, omnibus etiam rebus, quibus opus est, optime instructus. Illud autem in primis videbis, ne quid scilicet reverberet. Is te rogat, ut ad nos venias, ac nobiscum aliquot dies esse velis, ut, quem infantem reliquisti, adole-

lescentulum videas, cujus, & meo etiam, nomine Julium patruum tuum plurimum salvere jubebis. Vale.

www.libtool.com.cn

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Decurionibus suis Lugiensibus S. D.

Gratias agit, quod ipsorum Ordo sententiis omnibus se decreverit, qui humaniores litteras publice doceat, altera tanta mercede honorifice addita, quæ idem munus antea obeuntibus persolvebatur, seque apud eos ad diem dictam futurum pollicetur, ut eorum liberos instituat.

34. TAndem aliquando a vobis eas literas accepi, quæ & meo summo erga vos, & vestro haud minimo erga me amore dignæ essent. Iis enim mihi significastis, me vestrum istum Ordinem omnibus sententiis decrevisse, qui humaniores literas apud vos publice docerem. Nam quod jam multos ante annos, cum interim eadem hæc opera vobis nihilominus usu veniret, nequaquam feceritis, in eam ego id partem accipio, ut summo cum honore meo factum a vobis existimem, qui meæ magis dignitatis, quam vestrorum filiorum utilitatis rationem habuistis, cum ad tenuem illam hujusce muneris mercedem invitare meam operam reveriti estis; quod nunc re ipsa plane comprobavistis. Nam cum res vestra publica ex Casellianarum aquarum superinductionibus aliquanto auctior facta esset, ac melius vestræ juventuti in hisce studiis consulere velletis, ad veterem ejus muneris mercedem alterum tantum addidistis, ut mihi provinciam istam demandaretis. Quod meorum studiorum vestrum perhonorificum testimonium ita accipio, ut quod a minime ignaris hominibus, certe a probatissimis, atque de bonis literis optime sentientibus Viris proficiscereturPro quo tamen nihil est nunc, quod a me ullam gratiarum actionem expectetis. Is enim equidem vir sum, qui malim aliquam gratiam referre, quam vel mirificas, atque immortales agere. Quod quidem meum institutum ut vobiscum etiam retineam, quantum in me erit, enitar, cum vestris liberis, meis Civibus eam operam dabo, quam a me tantopere expetere videmini, quam ego longius non differam, quam ad

diem dictam, hoc eſt, ad Calend. Aprilis : quod & mihi tum per anni tempus ad commodiſſime navigandum, tum ad reliquum viæ terra, quod lutulentiſſimum nunc eſſe ſcio, curru res meas convehendas longe commodius futurum erit : & Marino noſtro, cui uſque eo provincia iſthæc literaria profertur, nihil de ejus tempore detrahetur. Sed tamen quod paulo ante me facturum negaram, vobis univerſis, ſingulis, publicis, privatis, amicis, quique amicorum cauſſa in tam honeſta provincia nobis demandanda ſtuduiſtis, gratias eas ago, quas tanta animi veſtri benignitas poſtulare videtur. Valete. Venetiis Prid. Non. Febr. MDXXXIV.

BARTHOLOMÆI RICCII

www.libtool.com.cn

LUGIENSIS

EPISTOLARUM

LIBER SECUNDUS.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Antonio Braſaulio Muſæ S. D.

Ubi invectus eſt in ſacrilegum hominem, qui ſibi venenum miſere propinarat, gratias agit, quod ipſe ſponte præſto affuerit, præſentiſſimumque remedium ad vim veneni contundendam adhibuerit, illudque gratis in ſe beneficium contulerit, ut referendæ gratiæ nulla vel bene grato animo facultas detur, cum nemo pro vita parem umquam gratiam referat, niſi quam acceperit, eamdem illi vitam reddiderit.

1. DEbebam tibi antea plurimum, Muſa; undique enim de me optime meritus eras; nunc vero quicquid ſum, totum tibi acceptum refero. Niſi enim ipſe tua humanitate, tuaque ſponte mihi præſto affuiſſes, de me, ac de miſera mea familia actum eſſet. O impium venenum, quod latenter in meas venas infundebatur; ego vero miſer, qui quidvis aliud, quam hoc timuiſſem! Mihi jam funus parabatur, neque ego quicquam me ægrotare ſentiebam. Dii boni, quid hodie eſt hominum improborum? quid perditæ conſcientiæ? quid profligatæ æquitatis? ita ne ille, de quo ego ita meritus eram? in quem tot mea officia contuleram? pro quo etiam non levia pericula adiveram? hanc mihi gratiam referre ſtudebat? immo vero quantum in ipſo fuit, cumulatiſſime retulit? O hominem ſacrilegum! Quid enim in Deum ipſum pejus moliri poterat, quam falſo, ac per ſummam fraudem ita ejus veritatem, hoc eſt, Deum

ipſum oppugnare, atque appetere? Sed is præſto ſibi affuit, qui te mihi tantum patronum adhibuit, ut continuo latentem hunc morbum a me longe propulſares. Vive diu, Muſa, atque iſta ope, atque integritate tui ſimiles tueare, ſicque afficias, atque ea officii magnitudine proſequaris, ut nullam tibi gratiam referre queant. Id enim proprium eorum eſt, qui gratis in alios beneficium conferunt, ut ita de iis mereantur, ut referendæ gratiæ nulla vel bene grato animo facultas detur. Quis enim pro vita parem umquam gratiam retulerit? niſi quam acceperit, eamdem illi vitam reddiderit? Deus tamen eſt, Muſa, qui vel centuplum tibi, ac tui ſimilibus facile compenſat. Equidem moleſte fero, cum hominum improbitas hanc mihi tantam tibi debendi facultatem obtulerit, ſaltem meam hanc debitionem apertius teſtari non poſſe, ut, & quam illuſtre tuum iſtud officium fuerit, ſempiternæ memoriæ meis ſcriptis mandarem, & mei ſimilibus te optimum patronum, iniquiſſimis vero acerbiſſimum adverſarium oſtenderem. Non enim eo contentus ſum, ut is probus vir cum legendo in hanc Epiſtolam inciderit, ſuam improbitatem probe notari ſentiat, ſed ſi ea umquam temporis ratio incidat, qua liberius id agere poſſim, tibi polliceor, me continuo occaſioni occurſurum, atque iſti debitioni, atque animo meo cumulatiſſime ſatisfacturum. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Bonifacio Rugerio S. D.

Rhombum dono mittens difficultatem habendi piſcis nobilioris in foro Ravennate ob oculos ponit propter nobiliſſimas Civium familias, quæ multæ ſunt, & ſplendide vivunt, ad quas domum uſque defertur quidquid elegantioris piſcis in ora maritima capitur.

2. RAvenna quidem ſita eſt in ora maritima, quæque non longius a mari tribus millium paſſibus diſtat; quod tamen ad piſcationes attinet, non ſane frequentes ſunt. Aut enim anni tempore impediuntur, aut parum eſt in eo mari nunc piſcium. Sane adhuc in foro piſcario Raja tantum eſt viſa, plebejum, ac vile piſcis

ſcis genus ; ſiquid vero elegantioris piſcis capitur omnino , præter nobiliſſimas Civium familias , quæ & ipſæ multæ ſunt , & ſplendide vivunt , tres ſunt Sacerdotum frequentiſſimæ [ut minutas omittam complures alias] ac locupletiſſimæ familiæ ; noſti genus hominum , atque palatum , quamque laute agant. His , ſi quid uſquam nobilioris piſcis capitur , domum uſque defertur , quia pluris illi pro eo dant , quam in foro vel a tribus non fieret ; in quo Chremetis piſciculi tantum in pretio ſunt. Ego jam multos , quicquid hoc eſt Rhombi , dies obſervo , & tandem captum vix potui capere. Nunc tibi mitto , certe eo animo , quo plane ſcis , libentiſſimo : verum etiam ſi patellam magis impleret , multo etiam libentiori. Vale. Ravennæ.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Bonifacio Rugerio S. D.

Verſus quoſdam de Cardinalatu Hippolyto Ateſtio delato ad ſe factos mittit ea conditione , ut Ferrinio non oſtendat.

3. HIc jam multos dies rumor erat conſtantiſſimus , incerto tamen adhuc nuntio , Hippolytum Ateſtium tandem Cardinalem factum. Quam quidem famam poſtea veſtra iſta armorum publica ſimulacra , ac qui ludi celeberrimi iſthic per tota hæc Saturnalia ſpectantur, multo auctiorem fecere. Ex qua quidem communi omnium lætitia cum ad me quoque pars mea perveniret, luſi in eam neſcio quid cum Pado, atque Tibride, quos meos luſus tibi mitto , quia eos ſemper aliquid eſſe putaſti. Ea lege tamen mitto , ne Ferrinio quicquam, qui nondum ab injuria mecum diſcedit , qui tot menſes ad tot meas literas ne literam quidem ; quem ego poſthac haud ſcio , an magis ferum , aut ferreum , quam Ferrinium in meis literis appellem. Sed quid ago? quaſi ego non magis cupiam illum eos diſſipare , quam is videre. Utinam ii ſint , qui mihi. Sed non ſunt. Neque ego pergo reliquum votum. Niſi plane toti vobis excidimus , aut iſthæc a vobis vos ipſos abſtulit lætitia , aliquid , ſi non ſpeculæ , verborum ſaltem poſſumus expectare. Vale. Ravennæ VII. Id. Feb. MDXXXIX.

BAR-

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Bonifacio Rugerio S. D.

Sibi litteras Italice ſcriptas gratas fuiſſe ſignificat, facetequeait, ſe malle intelligere, frumentum in cellam ſuam primo quoque tempore importatum eſſe, quam ut inde ſibi ad centeſimam ejuſmodi epiſtolam liber excreſcat.

4. TAmetſi ea mihi excuſatio, quam tu modeſte magis, quam vere affers, quamobrem ad meas Latinas literas Italice ipſe reſpondere malueris, nequaquam probatur, qui te id quoque & apte, & Latine, ut quiſquam alius, facere poſſe, plane non ignorem, quoquo tamen modo reſcripſeris, id mihi quam gratiſſimum fuit. Quid enim gratius accidere potuit, quam ut, non modo ad hujuſmodi meas, hoc eſt, non maximis de rebus ſcriptas, tam ſuaves ipſe contra tuas, jucundiſſimaſque elicerem literas? Quod vero de frumento perurbane jocaris, valde mihi arriſit; ſed nolim ſæpius pro frumento ridicula afferri. Malo enim mihi frumentum in cellam meam primo quoque tempore importatum eſſe, intelligere, quam ut inde mihi vel ad centeſimam ejuſmodi epiſtolam liber excreſcat. Tu vero contra ſi id eo, ut tu dicis, nomine rem meam minus curas, ut a me crebrius literas accipias, rectius faceres, ſi mihi tandem cauſſam eam dares, quamobrem tibi magis gratias agerem, quam ut te quotidie eadem de re per literas obtunderem. Quod vero ad meos Riccios attinet, eis non tam mea cauſſa ut omnia præſtes, quibus ego nihil honeſtiſſime cupere non poſſum, quam ne malevolorum hominum, quorum iſthic plena ſunt omnia, calumniis opprimi ſinas, te etiam, atque etiam rogo. Vale.

BAR-

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Bonifacio Rugerio S. D.

Consolatur de filii morte, quod totus ætatis hominis cursus certissimis periculis, & calamitatibus objiciatur, ut, ei potius lætandum sit, quod filius moriens tot, ac tanta mala devitarit, quam dolendum, quod vivens cum cæteris ea misere non pertulerit. Diluit, quæ contra afferre poterat, hortaturque, ut reliquos duos filios cariores habeat, atque in eam virtutis viam ducat, ut, cum sibi quoque hinc discedendum erit, eos in terris cum optimis studiis institutos, tum hanc animi fortitudinem edoctos relinquat.

5. NOn equidem, Rugeri, eo ad te Orationem meam miseram, ut inde mihi tantum dolorem accersirem; mallem ego eam numquam scripsisse. Sed vide, ut homines rerum suarum ignari sint omnium. Ego, tibi cum eam describerem, magnam voluptatem capiebam, quod scirem, te mea scripta libenter legere solere, cum tamen ex ea ipsa mihi jam constitutus esset præsens hic dolor. Nisi enim ad eam mihi rescripsisses, nihil opus erat, ut de filii tui morte, præsertim tam longe gentium, audirem; aut si audissem omnino, eo id fortasse tempore accidisset, quo ejus diuturnitate minus molestè ipse angerere, neque ego ea ratione tam acriter urgerer; nunc vero ipse & tibi recens vulnus commovi imprudens, & mihi dolorem insciens accersivi novum. Sed quando tuum istud vulnus quotidie commune omnibus accidit, nihil est, quod in eo præcipue, ac gravius doleas: ego vero in meo non tam tecum querar, quam ut tibi in tanto isto tuo mœrore consolationem aliquam coner, si possim, afferre. Quod si assequar, id mihi erit optatissimum; si minus quicquam profecero, certe amorem erga te meum ex hac quoque parte tibi maxime testatum reliquero. Graviter te angit amisisse filium, & filium summa spe, ac optima indole; utrumque certe gravissimum, maximeque dolendum; filii enim, etsi vel omnibus membris capti sint, carissimi sunt; verum si ad naturæ charitatem accedat corporis integritas, & animi bene

ne inſtituti ratio, ac ſpes maxima, quæ in iſto tuo omnia ſplendide poſita erant; tum prope perpetuo, cum occidunt, videntur eſſe deflendi. Cui acerbiſſimo, ac infinito dolori tuo jure æquiſſimo tamen extrinſecus aliquid objici poteſt, quo levior fiat, ſi minus prorſus tolli poſſit. Aut enim quod tibi in filii morte, aut illi in eo diſceſſu ademptum eſt, [quando nihil aliud in noſtrorum morte, quam aut noſtram, aut eorum ereptam commoditatem aliquam queri ſolemus] ægre lamentaris; quod autem ad ejus damnum, certe cum eo rectius agi non potuit, quam iſta ætate ex his miſeriis, quibus omnia plena ſunt, in æternam illam Dei Opt. Max. felicitatem evolare. Revoca tibi, mi Rugeri, in mentem totum ætatis tuæ curſum. Adoleſcentiam repete, [nam in pueritia prope nihil ſentimus] perge vero juventutem; repende cum vir factus es; conſidera denique eam, quam nunc agis ætatem, ſi quicquam offenderis, quod tranquilli, quod ſecuri otii habuerit, quod non omnibus moleſtiis abundarit, quod non certiſſimis periculis, & ſuis, & ſuorum objectum fuerit; tum ego tibi non ſolum concedo, ut in tanti filii obitu omnes lachrymis habenas immittas, ſed ego quoque meis poſſum tuarum flumen valde adaugere. Sed ſi contra ingrata tibi omnia extitiſſe, ac laborioſiſſima expertus es; quid eſt, quod filio meliora eſſe comparata ſperares? Quaſi vero hæc tempora non jampridem omni ſcelere cumulata ſint, aut uſquam locus ullus ſit virtuti, non ubique improbi, falſi, perjuri, omniſque ſceleris affines ſummo in loco in omnibus Civitatibus, apud omnes Principes ſint conſtituti; ut tibi potius lætandum ſit, quod moriens hæc tot, ac tanta mala devitarit, quam dolendum, quod vivens cum cæteris hæc ipſa, atque his etiam graviora miſere non pertulerit. At hac ratione bonis omnibus magis moriendum, quam vivendum eſſet. Hoc ego non dico; tametſi vitam hominum miſeriam eſſe ipſam, neque tu non concedes. Id aſſero, ſi quis nobis deceſſerit, hac ratione minus ejus obitum nobis eſſe dolendum; quod multis miſeriis liberatus ſit, magiſque ei gratulandum, quod ex hac morte in veram vitam, ac beatiſſimum vivendi ſtatum in Cœlum aſcenderit. Defunctorum enim noſtrorum alia ratio eſt, atque majorum noſtrorum. Ii enim arbitrari poterant, una cum corpo-

re

re animam interire. Itaque recte querebantur in ſuorum morte, ut qui ubique eſſe deſiviſſent; nos vero animam tum ſolum vivere putamus, cum ex hoc carcere terreno liberata eſt. At periculum eſt, ne ea perpetuis cruciatibus apud Inferos torqueatur. Hoc mi, Rugeri, perpaucorum eſt, eorumque, qui Chriſtum Servatorem ſuum eſſe non ſatis credunt; ex quo uno ſcelere reliqua ſequi ſolent ſcelera, quibus mortui in eas pœnas detruduntur. Verum de eo adoleſcente, ac pœne puero, ac tali patre nato quicquam tale verendum eſſe, nihil ſuſpicor. Quin is & ſuapte bonitate, & patria inſtitutione magis par eſt credi, ut unus factus ſit Cœlitum, quam numerum auxerit inferorum. Quod vero ad tuam utilitatem, vel potius patrium deſiderium attinet. Primum eo ſi gravius angaris, haud ſatis video, qui dolor iſte tuus ſatis laudari poſſit, qui proprium commodum in eo queraris. Præterea vero quod in eo non omnibus liberis ſpoliatus ſis, minus unius interitu ſolicitari debes. Reliqui enim duo ſunt, quorum uterque natu eſt grandior, neque etiam fortaſſe utriuſque ſpes inferior, quam erat in tertio. Quod magnam tibi conſolationem afferre poteſt: quando etiam bis tantum tibi relictum eſt, quantum eſt ademptum. Nam ſi omnes in uno occidiſſent, ut mihi in Camillo [quod Dii omen avertant] fieret, fortaſſe tum honeſtius tibi lugendum eſſet. Quare in hos duos, qui tibi a Deo relicti ſunt, omnem iſtam ſolicitudinem, atque deſiderium confer. Nos habe, quod facis, cariores, atque in eam virtutis viam ducas, qua una etiam ſenectutem tuam maxime conſoleris: atque, cum tibi quoque hinc diſcedendum erit, eo animo confirmatus diſcedas, quo Chriſtiano homini par eſt diſcedere, atque ad eum in Cœlum tendens, reliquos duos in terris cum optimis ſtudiis inſtitutos, tum hanc animi fortitudinem edoctos relinquas. Vale.

BAR-

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Joanni Baptiſtæ Eletio S. D.

Lætitiam ſuam patefacit de jucundiſſimo nuntio ad ſe allato, Grifolium adhuc vivere, ſeque avide expectare ſignificat, ut id confirmetur, cum id, quod de ejus obitu omnibus inhæſerat, tale ſit, ut prope unico verbo evelli non poſſit. Beriguardi villam nobiliſſimam, & laxiſſimam ad ducenta cubilia, Cœlique optima ſalubritate præditam laudat.

6. O Mihi jucundiſſimum de meo Grifolium nuntium, cui, ſi quicquid ſum, pro Evangeliis donem, non mihi, meæque voluptati ſatisfaciam. Vivit ergo meus Grifolius? atque his etiam fruitur auris? Equidem, Eleti, quoniam id tam opto, quam filiolum Camillum, quam me ipſum vivere, id eo minus in animum induco, ut credam. Ubi, te quæſo, nobis ille hoc triennium mortuus jacuit? ubi, inquam, delituit? aut quid tantum interea molitus eſt? ut amicis non ſolum literam ullam, ſed etiam, ut ii ſe deceſſiſſe judicarent, æquiſſimo animo pertulerit? Omnino illud otium aliquid tanto viro dignum pariet. Avide expecto ſcire cætera, ac confirmari mihi, eum etiam nobiſcum agere. Non enim quod nobis omnibus de ejus obitu tam inhæſerat, tale eſt, ut prope unico verbo mihi evelli poſſit. Sed Dii malum huic peſtilentiæ dent, quæ mihi multa adhuc incommoda attulit, unum illud non minimum, quod literarum quoque mittendarum inſtitutum ſuſtulit. Non enim iſthinc quemquam ad nos, multo vero minus a nobis ad vos commeare licet. Sed brevi tamen ſpero, rem in ſuum priſtinum ſtatum reſtitutam iri. Nam iſti Mauri, qui peſtem in Urbem intulerunt, ſecum etiam ſub alis in ſuis ſarcinis abſtulerunt, probeque Urbem purgarunt. Ego in Beriguardo ſum cum meis Principibus filiis, villa omnium, quæ ſunt, quæ fuerunt, quæque futuræ ſunt, & nobiliſſima, & laxiſſima ad ducenta cubilia, Cœli vero ea ſalubritate, qua quæ optima. Itaque etiam rectiſſime valemus, quod te quo-

quoque facere puto, opto quidem certe. Vale. Ex Beriguardo Nonis Octobris MDXXXIX.

www.libtool.com.cn

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Joanni Baptistæ Eletio S. D.

Suilla salsamenta Ferrariensi modo composita mittens laudibus extollit; ait tamen, ea non esse ejusmodi, ut nobilissimos pisces, quibus Venetiis lautissimo prandio acceptus fuerat, æquent. Addit, se id molestè non ferre, cum rerum copia facile ab amicis vinci possit, non ita in amore.

7. SUilla salsamenta, quæ tibi mitto, nostro Ferrariensi modo composita, optima esse puto, cupio quidem certe. Sunt enim ex meis suibus, iisque ex haris jure esculento, non autem ex montanis glande pastis; præterea doctissima manu confecta. Sed ita sit; numquam tamen Varios, Sgumbros, patellarios Rhombos, oblongis pedibus Cancros illos tuos, cæterosque cujusque generis nobilissimos pisces, quibus me Venetiis lautissimo prandio accepisti, æquabunt. Neque id tamen molestè fero. Facile enim ab amicis rerum copia vinci possum, in amore non ita, ut ne meus quidem Abiosius, qui amando amicos suos longe superat, mihi par reddat. De Grifolio nostro si quid habes, pergratum mihi feceris, si id mecum communicabis; sed eum puto veterum amicorum prorsus oblitum. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Benedicto Lampridio S. D.

Alphonsum Riccium adolescentem, ac pœne puerum, qui casu quodam misero, atque infelici Marcum Antonium Riccium propinquum suum occidit, jure solo Patrio in biennium exulantem commendat, petitque, ut ei impetret a Cardinali suo facultatem in Oppido Solarolio commorandi, & ibi per hoc biennium tuto agendi.

8. MEus mos est in scribendo, Lampridi, ut non ita unaquaque de re epistolis amicos a suis studiis

diis interpellem. Itaque etiam factum est, ut tu quoque multo minus crebro meas literas legas. Malo enim nunciorum opera, quoties eorum facultas datur, ad salutem iis meo nomine impertiendam uti, quam quotidie epistolis quodammodo cum illis abuti, Diique facerent, ut nunc quoque aut nullam, aut saltem tam miseram scribendi caussam non haberem. Satius enim mihi esset, sexcentas hujusmodi epistolas, quam propinquum periisse. Sed quoniam res humanæ fatis [ut ille] trahuntur, nos quoque fatis concedamus, necesse est. Alphonsus Riccius adolescens, ac pœne puer, casu quodam misero, atque infelici Marcum Antonium Riccium occidit. Nam cum Marcus Antonius maledictis Alphonsum sæpius lacessivisset, tandem is quoque exarsit, atque a convitiis ad manus venere, quo in certamine Marcus Antonius vulneratur, ac non multos post dies moritur. Riccii cæteri, quæ frequentissima est familia, continuo conveniunt, violatam propinquitatem resarciunt, in funus una postea omnes prodeunt, æque ab omnibus iniqui fati conditio defletur; datur præterea ab ejus, qui cædem fecerat, parente cæsi parvulis liberis in perpetuum victum bona pars agri bene culti, neque verbum ullum postea de cæde illa umquam auditum est. Hæc domi provisa sunt; foris autem est, quod etiam desideretur. Adolescens, qui in cædem illam misere incidit, jure solo exulat Patrio, neque illi a Principe nostro, nisi in biennium domum reditus ulla cujusquam gratia exorari potest. Interea vero ubi is tuto agat, locum quærit. Sed cum Solarolio Cardinalis tui Oppido nullum commodiorem habeat, is a me contendit, ut per amicos hanc in hoc biennium illic commorationem impetrem. Quare ego te rogo, atque oro, ut ita cum eo agas, ut nobis id exores: quod eo facilius obtinebis, quod fere quotidie gratiam hanc multis aliis facit. Ac ut ab adolescente omnia tuta habeas, ne quid tumultus, ac rixæ in Oppidum secum afferat, ego omni hac suspicione te libero, fidemque meam tibi obstringo, nihil novi ab eo esse metuendum, quem veteris admissi graviter pœniteat, atque etiam gravius pigeat. Quod si mihi impetras, omnium gratissimum feceris. Vale.

BAR-

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Hippolyto Orio S. D.

Jucundas ſibi fuiſſe ipſius literas ſignificat, ſeque ejus abſentiam facile ferre: ſi uſus ferat, ſe ejus operam, quam multis pollicetur, petiturum; Caſtellium adoleſcentem optimum miſere interfectum ſe dolere; ſed ita eſſe, homini majorem nullam peſtem, quam ab homine, oriri poſſe.

9. SUrrexeram a menſa ad ſeptimam horam, cum tuæ literæ mihi redditæ ſunt, quæ mihi tam jucundæ fuerunt, quam ſolebant eſſe tui ſuaviſſimi congreſſus, quibus nunc privatus valde doleo. Nam cum Portius, qui mihi olim Coſtii loco relictus erat, in Patriam ſe recepiſſet, ubi ſuorum ſtudiorum fructum aliquem caperet, tuque adhuc pro Portio nobiſcum eras, nihil amiſiſſe videbar, qui in te uno ejus deſiderium valde levarem. Verum cum tu quoque Bononiam te contuliſti, neque diſcedens ullum mihi, qui tuam vicem referret, ſubſtituiſti, ſolus relictus eſſe videor. Sed cum id poſtea honeſtiſſima de cauſſa factum eſſe animadverto, eo levamine dolorem iſtum facile conſolor. Perge tu modo, ut facis, atque propera eum finem tuis ſtudiis imponere, quem nos cupimus, & illa poſtulant. Quod vero operam tuam tam multis mihi iſthic polliceris, tu quidem amice, ſed fruſtra facis. Nam quam ego tibi præſtarem integerrimam, eamdem abs te petere, ſi uſus veniat, non dubitarem. De Caſtellio adoleſcente optimo miſere interfecto, ut homo, a quo nihil humanum alienum eſſe debet, moleſte tuli. Sed ita eſt, hominì majorem nullam peſtem, quam ab homine, oriri poſſe. Corradio ſalutem, quem, ut tecum communicet de Juris Civilis corpore, meo nomine commonefacies. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Hippolyto Orio S. D.

www.libtool.com.cn

Ejus negligentiam in ſcribendo redarguit, oratque, ut reſcribat, qua in ſpe res ſit de Camilli libris, ne eodem tempore duo corpora emantur.

10. JAm quindecim dies erant ipſi, ex quo a nobis Bononiam diſceſſiſti, neque etiamdum quicquam de Camilli libris audiebamus; ego vero arbitror, te eos ad librarium non offendiſſe, atque cuipiam alii venditos eſſe, interea vero, ſi qui alii venum exponantur, expectare; quod tamen perpaucorum fuit verborum, ſi id ad nos ſcripſiſſes; præſertim cum ſcires, nos hic quoque in ſpeculis eſſe, ſi qui appareant; ne eodem tempore duo corpora emeremus. Satis enim eſt, pro uno tantum nunc diſſolvere, quantum olim pro duobus non fiebat. Expecto ſcire, qua in ſpe res ſit. Corradio, ac Bochio ſalutem. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Sebaſtiano Corradio S. D.

Opus ſuum de Imitatione nuper in vulgum editum mittit, ut ibi quoque emptori copia ſit. Rogat, ut apud librarium ſuum proponi jubeat, cui pretium ipſe faciat ad libri rationem, & curet, ut, cum erit, per quem tuto id facere poſſit, pecunia ad ſe deferatur.

11. VIde, mi Corradi, quanta communium ſtudiorum vis ſit. Te equidem, quod ſciam, numquam vidi, neque tu me fortaſſe, nedum ut magna ulla inter nos intercedat conſuetudo; tamen cum tua opera mihi uſu veniret, noſtris iis ſtudiis fretus, ſic eam a te contendere non dubitavi, ut ſi tecum multos annos familiariter vixiſſem. Mitto ad te opus meum de Imitatione nuper in vulgum editum, ea ratione, ut iſthic quoque emptori copia ſit. Hoc igitur ut apud librarium tuum proponi jubeas, te etiam, atque etiam rogo. Pretium erit,

rit, quod ei videbitur ad libri rationem; pecuniam vero [quando jampridem ſtudioſorum omnium Quæſtor factus es] æque ad te, ut deferatur, curabis, eamque, cum erit, per quem id tuto facere poſſis, huc ad me reſcribes. Vale. Ferrariæ.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Sebaſtiano Corradio S. D.

Certiorem facit, cum forte adeſſet ad Gyraldium ſenem, ejus literas allatas fuiſſe, juſſuque Gyraldii a ſe lectas, amoris, & humanitatis pleniſſimas; riſum utrinque magnum commotum, cum ipſe in ſuum nomen incidiſſet, & ad Riccium arridens inter legendum addidiſſet ſpinoſum; ſeque quaſi ſoricem ſuo indicio mendacium detexiſſe.

12. FOrte aderam ad Gyraldium noſtrum, tametſi quid dixi forte aderam, qui ab eo ſene nuſquam diſcedam? forte tamen aderam, cum ei tuæ literæ afferuntur. Quas ut a te miſſas vidit; lege tu, inquit, Ricci. Cui ego, quid ſi? At ille, quid enim? Quaſi aut ab ejuſmodi veniant, quæ quicquam habere poſſint, quod vel in concione palam recitari non poſſit, aut ego quicquam habeam, quod te celatum velim. Ita mihi eas legendas obtulit. Credebam equidem, Corradi, te ex tuis ſtudiis ſuaviſſimum, atque humaniſſimum eſſe virum, verum ex iis literis multo te vidi & ſuaviorem, & humaniorem. Sentiebam [ita me Dii ament] illa tua verba ex intimo animi exprimi, atque, ut par eſt, a filio ad parentem, cujus tu perſonam cum eo ſuſcipiebas, cariſſimum; ut, niſi ego te amarem, quantum facio quemquam alium, tibi iraſcerer, qui me in eo prudentiſſimo & doctiſſimo ſene amando ſuperare videaris, qui in ejus obſervantia, atque pietate nulli facile concedo. Sed te feram æquo animo abſentem; ſi adeſſes, non ita fortaſſe. Cum vero ad extremam epiſtolam venio, qua in parte ſalutem adſcribis communibus amicis, ac continuo in meum nomen incidi, ita me omni lætitia ſuffudiſti, ut multum ex noſtra æmulatione tibi remittere coactus ſim; ſed arridens ad Riccium, ego inter legendum addidi Ipinoſum. Ecquid, inquit, ille? ita ne eſt? Ego ve-

to, ita. Sed cum risum non tenerem, quasi sorex meo indicio mendacium meum detexi. Risus utrinque major est postea commotus; ut ego mihi ipsi tuo nomine salutem dixerim, quemadmodum tu meo nunc Bochio, Cuspio, & M. Tullio Berojo dices, nisi cui eorum ita accidat in meis mecum, quemadmodum mihi tecum in tuis ad Lilium evenit literis. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Sebastiano Corradio S. D.

Petit ab eo volumen, non ea tamen conditione, ut Lilius, qui statim, ac habuit, mortuus est, & cum cæteris libris hæredibus illud reliquit. Lilii testamentum exponit, oratque, ut se alterum parentem, qui reliquus ipsi est, magis, quam facit, amet.

13. ALter parens tibi suo die decessit; alter tuo ejus contemptu aliquantum abalienatus est; ut eodem tempore prope duobus orbatus sis parentibus. Quid enim decem volumina e manibus mihi erepta sunt? Num Lilius tam fortis fuit, qui omnibus membris captus erat, ut in suo vim tibi attulerit? Is certe suum habuit, sed paucos illud dies habuit omnino. Nam continuo moritur, idque cum cæteris ejus libris ad hæredes pervenit. Ego vero adhuc in eo contemnor. Sed istam tibi nostri negligentiam facile ignosco, si id fatale futurum erat, ut cui prius mitteretur, is quoque illo, unde nulli reditus datur, postea mitteretur. Quare vide, atque cave, ne bis impius fias, hoc est, ne mihi quoque meum eo modo mittas. Malo enim omnia mea me incolumi conflagrari scripta, quam a quoquam eo omine vel aureos montes accipere. Sed redeo ad Lilium. Is in pecunia, quam multo grandiorem omnium opinione reliquit; erat enim ad Hs. cccc. Herculem Atestium Principem nostrum hæredem instituit, quam tamen in egenos [ut ei videretur] postea divideret; cum tamen ipse ex sorore sex neptes egentissimas haberet, mox omnes locabiles, quibus singulis tantum legavit, quantum levidensem vestem vix efficeret. Libros Jo: Baptistæ Gyraldio, propinquo suo ex altera parte, Prospero

pero Paſetio ex altera reliquit; Epigrammatum vero libros complures, quos item Herculi Principi moriens commendavit, atque ita deceſſit. Vale, atque vive, parentemque alterum, qui tibi reliquus eſt, magis, quam facis, ama.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Sebaſtiano Corradio S. D.

Ejus Brutum ſe accepiſſe ſignificat, illumque librario conglutinandum dediſſe: libros armis cedere, ſibique cum cæteris Civibus juſſu Herculis Principis loricam cum haſta datam ad Patriam, ſi caſus ferat, defendendam; ſe quotidie cum Sarachio eſſe, neque umquam ab eo diſcedere, quin prius ejuſdem amici commendationem renovet, eumque polliceri, ſe, ut prima occaſio detur, eam eſſe arrepturum, remque omnem confecturum.

14. BRutum tuum accepi, nondum legi. Continuo enim librario conglutinandum miſi. Sed jam libri cedunt armis, cum Princeps Hercules loricas ſingulis Civibus mitteret, quibus præſto eſſent ad Patriam, ſi caſus ferat, hoc Italico tumultu defendendam, uterenturque. Mihi quoque meam cum haſta dari juſſit. Vides? Ita me Dii bene ament, ut verum narro. Sed hoc ego quoque tecum riderem, niſi illud, an moleſtius, an? ſed loqui non poſſum. Ego ſcilicet annos ſexaginta tres natus, iis ſtudiis, quæ omnes norunt, miles fiam? Utrum me veteranum militem, an tirunculum appellabis? Nam ætas me non ſolum veterem, ſed etiam vetuſtiſſimum facit, militiæ vero omnis imperitia omnium rudiſſimum comprobat. Sed de his hactenus. Ego quotidie cum Sarachio ſum, neque umquam ab eo diſcedo, quin prius amici tui commendationem ſtudioſiſſime renovem: qui mihi contra ſe omnem operam daturum recipit, ut tibi in tanto amico tuo obſequatur. Videt enim cum ex tuis ad me literis, tum ex mea apud ſe renovata commendatione, quantopere illi ſtudeas. Is enim homo eſt, qui hiſce humanioribus ſtudiis valde delectatur. Quare etiam in eos, qui his, ut ipſe facis, plurimum valent, mirum in modum afficitur. Utinam

autem in ejus manu res posita esset; jampridem nihil laboraremus; pollicetur tamen, fidemque suam obstringit, se, ut prima occasio detur, eam esse arrepturum, remque omnem esse confecturum. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Sebastiano Corradio S. D.

Judicium suum de Bruto a se lecto exponit, eumque luculentissimum opus edidisse profitetur, ac unde ipsi magna etiam apud posteros gloria sit ventura.

15. BRutum a librario optime, ut dignus est, conglutinatum accepi. Legi, atque adeo quotidie avide lego. Non enim frustra id tempus mihi ponere videor. Nam quod ad Historiam, quæ in eo libro cum Græca, tum multo magis Latina versatur, tantum abest, ut quicquam desideretur, ut etiam interdum ex summa ejus abundantia luxuriare videaris, quæ tamen luxuries suum semper aliquem fructum affert. Quæ vero tu alio modo legenda esse censes, atque palam leguntur, mihi valde arrident, tibique in iis maxime assentior; sed quæ sensa paulo sunt abstrusiora, ea eadem facilitate aperis, ut omnibus maxime pateant. Nollem [si omnino mihi dicendum est filio, quod sentio] te minuta quædam tam curasse, ut mediocriter eruditis nihil relinqueres, idque magis probassem, si cum Viris scribendo, non autem semper cum adolescentulis tibi agendum esse censuisses, eorum etiam rationem hanc habuisses, Asconiumque in ea interpretatione imitatus esses. At rerum copia id me facere non siuit. At vitis cum cultior ad videndum, tum etiam utilior ad ferendum est, quæ probe putata, atque in sua certa capita constituta componitur, ne luxuries eam prorsus perdat, cum ad fructum pervenerit. Equidem a te expectabam, ut in Ciceronis variis de Oratoribus judiciis judicium tuum ostenderes, atque in iis explicandis tuum quoque planius explicares. Sed quot capita, tot sententiæ. Certe luculentissimum opus edidisti, ac unde tibi magna etiam apud posteros gloria sit ventura. Vale.

BAR-

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Sebaſtiano Corradio S. D.

Dupliciter gratulatur, & quod a Senatu Veneto ſuæ publicæ Scholæ omnibus ſententiis delectus fuerit, & quod Pontifex Maximus Bononienſium Civium rogatu ab eo Senatu impetraverit, ne a Bononienſi Gymnaſio abduceret. Diluit ea omnia, quæ ſibi contra afferre poterat, inferuntque tandem, eum plane videre, Bononienſes ſuos tum in illo ipſo, tum in ejus dignitate optime ipſi conſuluiſſe.

16. DUpliciter tibi gratulor, utrumque vero maxime, cum quod Senatus Venetus te publicæ ſuæ Scholæ omnibus ſententiis delegit, tum quod Pont. Max. Bononienſium Civium rogatu ab eo Senatu impetravit, ne te a Bononienſi Gymnaſio abduceret, quorum utrumque ad tuam maximam gloriam pertinet, atque haud ſcio, an poſterius etiam multo eam majorem tibi cumularit. Quare quantum res ipſa poſtulat, tantum etiam tibi gratulor, ſed cum tibi gratulor tua iſta duplici, ac tanta gloria, tum etiam tibi auctor ſum, quoniam Bononiæ commodiſſimas ædes, ac ſuburbanum etiam amœniſſimum cum ad rei familiaris uſum, tum ad animum per æſtatem recreandum tibi jampridem comparaſti, neque non cum tota Civitate arctiſſima jam multos annos conjunctus es amicitia, ne tranquilliſſimum iſtum vitæ ſtatum cum quovis alio commutare quæras. Omnino Venetiæ, ſi Urbes conferantur, quam Bononia, multo ſunt nobiliores, ac quo ex omnibus totius Orbis partibus Principes, ac literatiſſimi confluunt Viri. Multa tamen Bononiæ tibi præſto, quæ Venetiis deſiderares, adſunt commoda. Continuo enim quæ ex ſuburbano tuo ad victum legis, frumentum, vinum, ligna, ea omnia carius illic tibi eſſent emenda. At mihi ibi quoque prædiolum emiſſem, unde hæc eadem certiora, & propria haberem. Scilicet. Quaſi jampridem omnia ſuburbana non ſint a nobilioribus occupata. Longe vero gentium villam habere, quis tibi ejus uſus eſſe poſſet? ad quam vel longa navigatione; vel præter navigationem aut equo, aut rheda tibi utendum eſſet. At ſit unde etiam propius e-

mas. Quanti vero id emeres? Arculam tuam vel duo jugera exhauſiſſent. Præterea vero quid ex eo legeres, cum vectigalia, cum tributa pendiſſes? At ex publicis cellis, ut cæteri, victitarem. At continuo ex lignorum penuria algeres. In vino mercedis dimidium abſumeres, alterum ædium conductio tibi auferret. Sed quid ego pergo cætera? Solem non emeres, cæterarum rerum præſenti pecunia vix copia fieret. Quæ contra Bononiæ aut a tuo ſuburbano, aut ex foro abunde, ac multo vilius, quotidie habes. Jam vero quanti illud eſt, cum per æſtatem te ex urbanis tumultibus, atque ex mœnibus concluſis illis æſtibus ſubducis, atque ſubtrahis, ibique aut ſolus inter libros otioſe verſaris, aut etiam cum amicis tuis lætiſſime agis? quo uno recreationis munere Venetiis prorſus caruiſſes. At amicorum nobiliſſimæ Villæ non defuiſſent, quas jucunde cum illis obiviſſem. Recte quidem apud amicos, ſed domi noſtræ rectius, & commodius agimus. Sint horum cum tua pares voluntates; tempus, quod tibi, iis quoque opportunum accidat; conveniant omnia ad iter ſuſcipiendum; ruſticatio illa omnibus commoda veniat; amœniſſimæ ſint Villæ; ex omnibus denique rebus omnem capias voluptatem; certe cum in alieno te eſſe videres, atque habere, qui in tuo eſſe poſſes, recordareris, tum tua ſumma illa voluptas ſubito concideret, vultum commutares, animo ita afficereris, ut etiam ingemiſceres. Equidem quotidie ſum cum meis Principibus aut in Beriguardo, aut in Padi nobiliſſima illa ad Thealdi arcem inſula, aut ad Caput aureum, alias aliis in Regiis, ac magnificentiſſimis eorum Villis, ex omnibus tantam voluptatem, quam quiſque alius mei ſimilis, capio, verum [ut verum fatear] cum me aliorum bonis lætari, atque in alieno regno eſſe ſentio, continuo ea mihi delectatio langueſcit, atque etiam quodam modo odioſa fit. Contra vero ſi in mea villula ſim, quæ etiam vix duo cubicula, eaque humi præbet ad habitandum, omnibus tum fruor lætitiis, neque mihi quicquam deeſt ad omnem voluptatem percipiendam; ut illud ſuperius ſit gaudere, quod dicunt, in ſinu, hoc vero omnibus lætitiis effuſe geſtire. Id quod ex interiori, ac ſecretiori virtute illa emanat, quæ eſt, cum ſentio, me in meo apud me eſſe, meoque etiam ære comparato. Quod, ut de te quoque ſuſpi-

picer, facile adducor, cui a tuis publicis ſtudiis hæc agendi, ut velis, aliqua ratio plurimum confert. Quid vero quod maxime ad tuam dignitatem attinet, quod Bononienſis Gymnaſii Theatrum multo, quam Venetum eſt, cum auditorum frequentia, tum eorum etiam dignitate refertius, atque nobilius? quamquam ipſe tuis locupletiſſimis ſcriptis ſæpe alias totum Orbem tibi ampliſſimum Theatrum effeciſti, proxime vero in iis, quæ in Ciceronis Brutum ſcripſiſti, ita tibi illud patefeciſti, ut jam laxius nullo modo id efficere poſſis. Quibus omnibus de cauſſis plane vides, Bononienſes tuos cum in te ipſo, tum etiam in dignitate tua tibi optime conſuluiſſe, qui ne in utroque tantum commodi amitteres, ſuo ſtudio, ſuoque in te amore te ſecum eſſe voluere; quibus ut vir gratiſſimus eam gratiam referes, quam ſoles, & potes maximam, cum in eorum juventute, tum in iis, qui alieni iſthuc addiſcendi cauſſa ex omnibus nationibus ſe conferunt, adoleſcentes, fideliter, ut facis, inſtruendis. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Sebaſtiano Corradio S. D.

Suo malo fato, nullo facto, ſe minimi fieri ab eo, quem non nominat, ſignificat; eum autem, a quo plurimum diligitur, jam annum ſuo ſummo cum detrimento abeſſe; curaturum tamen, ut ejus amicus intelligat, ſe nihil illi defuiſſe.

17. SI meum officium [hæc tecum fili] tantum apud meos valeret, quantum deberet, & quantum tua commendatio apud me ponderis habet, neque iſte tuus amicus, neque cum eo multi alii mei, quibus opera mea quotidie uſu venit, quicquam laborarent. Sed malo meo fato, nullo facto, pluris hic me non facit, quam qui minimi. Qui me plurimum diligit, jam annum meo ſummo cum detrimento longiſſime abeſt. Curabo tamen, ut amicus tuus cum te ad me de ſe diligentiſſime ſcripſiſſe, tum me etiam, quantum in me erit, ſibi nihil defuiſſe, intelligat. Vale.

BAR-


BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Sebaſtiano Corradio S. D.

Epiſtolas ſuas magis ad perſonarum, quam ad ullam temporis rationem diſtributas eſſe oſtendit, quemadmodum Tiro in epiſtolis Ciceronis fecit. Commendat, ut Camillo filio Juris Civilis corpus emat ſex, aut ſeptem aureis ſcutatis, quos ad eum ſe remiſſurum pollicetur.

18. MEis epiſtolis id ſtudii opus eſſet, quod tu in Ciceronis epiſtolis te ponere ſcribis. Nam cum ego non magis compoſite meas inſtituerim, quam Tiro Ciceronis fecerit, qui eas neque in codice ſcripſiſſem, neque, quæ mea ſumma eſt negligentia, iis omnibus diem ſuum adſcripſiſſem, eo factum eſt, ut poſtremo cum eas edendas deſcriberem, magis ad perſonarum, quam ad ullam temporis rationem eas diſtribuerem. Sed redeo ad te. Si hoc præſtas, Corradi, quod credo, te optime præſtaturum, quid orationi profuturus ſis, non video. Fortaſſe, ut quippiam facilius explicetur, effeceris; major tua tamen in eo laus erit, quod eorum temporum quaſi quamdam Hiſtoriam ex epiſtolarum ordine contexueris. Sed de his haſtenus. Camillo filio Juris Civilis corpore opus eſt. Hic vero eorum librorum parva copia eſt, eaque uſitatiſſima, ac quod gravius eſt, cariſſima. Duplo enim pluris venit, quam ſuperioribus annis venibat, quam homines culpam in iſthæc bella Gallica, unde ejus generis libri, ut ſolent, nunc nulli in Italiam convehi poſſunt, recte conferre videntur; ego vero audio iſthic meliorem horum eſſe conditionem. Vide quæſo, num ita ſit. Sed pluris illud, quam ſex, aut ſeptem aureis [ut noſtri dicunt] non emo. Si eo pretio haberi poteſt, ſcribas ad me, quò totidem tibi pro eo remittam. Vale.



BAR-

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Sebaſtiano Corradio S. D.

Rationem reddit, cur potius ad eum, quam recta ad Hippolytum Orium, ſeptem aureos ſcutatos pro corpore Juris Civilis librario diſſolvendos miſerit: rogat, ut libros continuo mittendos curet, quorum nimis diuturno Camillus filius deſiderio tenetur: certiorem facit, ſe brevi duos epiſtolarum ſuarum libros ad Ateſtios Principes conſcriptos miſſurum.

19. MItto tibi per publicum Tabellarium ſeptem aureos, ut dicunt, ſcutatos. Eos tua manu Hippólyto Orio reddes, quibus pro corpore Juris Civilis librario diſſolvat. Si quæris, cur hos ei recta non miſerim? reſpondeo, hoc mihi modo tutius eſſe viſum; non quin illi omnia facile confidam; ſed quoniam is minus eſt in Urbe notus, neque ad quam aut domum, aut Tribum ego has literas inſcriberem, ſatis ſciebam. Accedit, quod is forte abeſſe nunc poterat, quod de te nihil dubitare poteram. Eum ad te accerſi jubebis, ſi aderit; ſi abſit, cum redierit, pecuniam illi meo nomine dinumerabis, eumque ad libros continuo mittendos, quorum jam nimis diuturno Camillus filius deſiderio tenetur, urgebis. Brevi expecta epiſtolarum noſtrarum libros duos ad Ateſtios Principes ſcriptos, quaſi decem reliquorum ad amicos fideliſſimos prænuntios. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Sebaſtiano Corradio S. D.

Rogat, ut Ludovici Raſponii filius, quem is domi ei dederat ad erudiendum, ita illi commendatus ſit, ut Camillum filium ſuum haberet, pollicetturque, eum haud fruſtra tuturum officium apud equitem gratiſſimum eſſe collocaturum.

2. LUdovicus Raſponius meus eſt pervetus amicus, ſed hoc mihi cum multis aliis commune eſt,

ea

ea Vero ejus viri humanitas eſt, ut me in primis colat, atque ita mecum familiariter agat, ut, ſi cum multo ſe majore ageret, humanius non faceret. Is me rogat, ut Paulum filium ſuum, quem domi tibi dedit ad erudiendum, ea de nota commendem, qua facerem, ſi Camillum filium meum tibi commendarem, cujus honeſtiſſimam petitionem, [ne tecum multis agam,] loco meæ commendationis accipies, ejuſque filium ita commendatum habebis, atque Camillum filium meum haberes. Id quod non eo tamen facio, ut verear, ne tua ſponte omnia ei, & quæ ad ſanctiſſimos mores, & ad optimam inſtituendarum literarum rationem pertinent, quorum utrumque ita in te conjunxiſti, ut utrum ſit majus, haud facile cerni poſſit, ſis æque, ut cæteris, præſtaturus; ſed ut ejus parenti, hoc eſt, parenti, quibus enim verbis id parentis affectus in filios interpreter melius non habeo, morem gererem. Siquid tamen tuæ illi optimæ voluntati, atque aſſiduo docendi inſtituto tuo ſeparatim huic etiam addi poteſt, ut mea cauſſa id addas, te etiam, atque etiam rogo. Mihi enim gratiſſimum erit, ſi Paulus ad patrem ſuum, is autem ad me hanc meam commendationem magnum pondus apud te habuiſſe, hacque tibi ſe multo commendatiorem fuiſſe, perſcripſerit. Tametſi haud fruſtra tantum tuum officium apud equitem gratiſſimum polliceor te eſſe collocaturum. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Sebaſtiano Corradio S. D.

Summam lætitiam ſuam effundit propter ſpem a ſe conceptam, Summum Pontificatum Hippolyto Cardinali ſuo delatum iri, rationibuſque multis conatur perſuadere, Summam illam Dignitatem ipſi committendam eſſe.

21. LAurentium Caſtium, quem mihi ſecundo commendas, quo vultu, quibus verbis acceperim, quoque ſtudio illi apud Sarachium noſtrum affuerim, is tibi referet: a me autem nihil aliud habebis, niſi me in ſumma eſſe ſpe, ſummum iſtum Pontificatum Hippolyto Cardinali noſtro omnino iri delatum. Quod ſi ita ſit,

Dii

Dii boni! quæ geſtiens noſtra omnium lætitia? quæ totius Civitatis alacris exultatio? quod agri? quod omnium Municipiorum ſolidum gaudium? quæ præterea univerſæ Europæ pax? quæ Principum, ac Regum animorum concordia? quæ denique ætas aurea cum hac noſtra conferri poterit? Cœlo lactis imber effluet; terræ ſua ſponte uberrimas fruges ferent; vites nectar effundent; ex arboribus ſuaviſſimi fructus legentur; ver perpetuum floribus mire fragrantibus totum Cœlum complebit; ſaluberrimi venti ſpirabunt. Sed quid plura? Nihil ad Deorum vitam in terris agendam, præter unam æternitatem, deſiderabitur. At bone, Ricci, quid agis? quo iſto tuo deſiderio raperis? quid tantum moliris? Id quidem magis optari, quam ſperari licet. Nullus enim mos eſt, tam nobiles, tamque illuſtres Cardinales ad ſummum illum gradum admitti ſolere, ne illi poſtea Familiæ ſuæ autoritate autoritatem illam magis opprimerent, quam regerent. In more quidem multum poni, nullas inficias imus; ſed quid mirum, ſi novum inſtitutum in re maxima, maximeque neceſſaria inducatur? Quaſi vero quotidie vel in optime inſtitutis Civitatibus veteres leges non abrogentur, novæ ſurrogentur, moreque novo vetus mos, & conſuetudo tollatur, atque etiam optime tollatur. Ut quantum ad conſuetudinem, ea magis temporum rationi obtemperare, quam tempus ipſam ſequi debeat, fiatque præter morem ſæpius, cum e Rep. eſſe probe conſtet. Quod vero metuis, ne ſi potentior Princeps Pontifex fiat, tota Reſp. occupetur, aut ſaltem de ea magna fiat imminutio; id magis ab iſtis providendum fuit, a quibus omnibus ea plaga jam multos annos illi graviter, atque altius inflicta eſt; qui cum ſuos haberent, quaſi terræ filios, ut eos cum nobilitate, tum re etiam ampliſſima auctos relinquerent, palam, atque inſolenter iſta via graſſati ſunt. Ex qua teterrima Reip. imminutione facta ingentia etiam bella uſque ad nobiliſſimarum Urbium everſiones ſunt poſtea conſecuta. Quorum omnium nihil eſt, quod ab hoc noſtro verearis, qui ſuos ejus generis dignitatis habet, cui parum adjungi poſſit; in iis autem opibus ita abunde conſtitutos, ut magis ab illis, ſi quis cauſus ferat, ipſe juvari, quam ut in eos is quicquam de ſuo conferat, facile poſſit; ut hac ratione tantum abſit, ut nobis iſte Pontificatus eripiatur, ut nobis potius, quam

cui-

cuiquam alii ſit omnibus ſententiis deferendus. Ea vero ratione, quæ ſequitur, quoniam nobiliſſima eſt, quæque cum huic Magiſtratui ſemper opportuna accidit, tum hoc tempore magis accidere non poſſet, jampridem eum nobis delatum eſſe oportuit. Id autem eſt, ut otium univerſæ Reip. Chriſtianæ conſtituatur, ac pax perpetua in ea concilietur: quod nunquam fiet, niſi bellum hoc, quod inter duos potentiſſimos Principes Cæſarem, & Galliæ Regem cum diuturnum, tum etiam nefarium acerrime geritur, tandem aliquando prorſus extinguatur, atque utrique de manibus arma iſta eripiantur; in cujus poſtea locum pax, atque optima eorum animorum conſenſio inducatur. Ad quod ſanctiſſimum opus integre præſtandum, atque brevi conficiendum, nullus in illo graviſſimo ordine aptior, ac natura ipſa magis opportune factus, quam hic noſter, reperitur. Hic enim, qua familiaritate cum Rege conjunctus eſt, cum eo aget & fidelius, & liberius: qua vero ejus frater Hercules Cæſarem ſumma colit obſervantia, facile & ipſe ejus animum tractabit, ſimulque una uterque cum utroque uſque eo Chriſtiane aget, quoad hoc otium, hanc quietem, ac tranquille agendi rationem ſuis comparet: cujus quidem optimi animi ſui uterque non parvam ante ſignificationem dedit: ſemel ille, cum proxime Senæ, nomine Regio, præfuit, quæ Civitas quamdiu ſub ejus imperio manſit, nihil in difficili illa obſidione durius ſenſit, nihil indignum pertulit; ut vero Imperium ad alium delatum eſt, continuo totius agri quaque verſus ingentem vaſtitatem, in Urbe vero præter cætera, quæ belli inſolentia cum a noſtris ipſis calamitoſa, tum ab hoſtibus etiam turpia inferuntur, famem prope Perufinam perpeſſa eſt. Quod quid aliud ſibi præferret, quam hunc noſtrum tum quoque hanc unam concordiam, atque Reip. incolumitatem prudenter ſpectaſſe, qui non meridie planius perſpicit, is cæcus, atque amens eſt. Hujus vero Frater Hercules totum hoc belli tempus in hac ſanctiſſima pacificatione verſatus eſt, neque quicquam in tota vita tam ſtudioſe, tam anxie, tamque cum contentione egit, atque cogitat, quam cum hujus conglutinandæ paris omnem diemque, noctuque aut per literas, aut per certiſſimos nuntios, aut per ſe etiam ipſum præſens optimam daret operam, qui nunc Fratri Pontifici adjunctus, quod opus

habet

habet optime inchoatum, atque ex magna parte inſor matum, cum eo felicius abſolveret. Præterea vero, ſi, ut dicitur, aliud vitæ genus, atque alius conditionis ſtatus alios mores affert, atque aliam vivendi rationem poſtulat, qui ab hoc non magis ſperandum eſt, cum ei gregi præfectus fuerit, cui eum Deus Optimus Maximus præfeciſſet, quam ut primo quoque tempore in id unum incumbat, atque omnia ſua ſtudia conferat, omneſque conatus intendat, ut ei eam pacem pariat, quam Chriſtus Opt. Max. Pontificibus ſuis diſcipulis, cum ſe ad mortem pararet, reliquit, ut ſe mutuo, ac fraterne inter ſe amarent, ac viciſſim diligerent: ut unus omnium in Chriſto, a quo horum alter cognomentum Chriſtianiſſimi ſibi adinvenit, alter vero ei ſe acerrimum defenſorem profitetur, animus & voluntas eadem eſſet. Certe hic alio animo, quam eſſe deberet, eſſe non poſſet, ut Reip. ſuæ cum ad præſens otium, tum ad ſperatam Cœli gloriam conſuleret, atque proſpiceret; in qua tamen una agendi ratione commutanda, unum id mihi valde adverſaretur, quod non multum ei mutandum, atque a ſe ipſo diſcedendum eſſe video, qui ſemper illo animo fuit, ut uni paci omnes hujus generis belli comparatas victorias facile poſthaberet; quemadmodum [ut paulo ante dicebam] in bello Hetruſco comprobatum eſt; quod ita facile ducebat, ut nihil ſentiretur, magiſque ad concordiam res, quam ad ullam incommodi ſuſpicionem omnibus ſpectare videretur. Quod genus officii tam neceſſarium, quam quod maxime, a quovis alio qui ex minutis iſtis Cardinalibus Pontifex fiat, ſperari non poteſt. Quanti enim ſuperiores quoſdam [ne quemquam nominem] aut Cæſar, aut Rex fecerit, res ipſa indicat, idque ſumma cum Reip. clade, atque turpitudine indicat. Neceſſe eſt enim, ut navis non ſolum remis, ac ventis in curſum ſuum impellatur, ſed ut illa forma ea ſit, quæ ab illa ad celeritatem plurimum adjuvetur: quemadmodum etiam muſica inſtrumenta, quæ ex una materia alium ſonum, ex alia alium referunt: ita in hoc, atque adeo in omnibus Magiſtratibus, plurimum intereſt, an ex humili genere, an ex illuſtri Familia ortus ſit, qui eis præficiatur, quique domo non parum auctoritatis in illam ſecum afferat. Niſi hoc quoque loco mihi objicias, aliquot etiam ex Illuſtriſſimo illo Ordine non deeſſe, qui

cum

cum majorum ſuorum illuſtri dignitate, tum ſuopte etiam bono, ope, ac gratia plurimum poſſunt, pollentque, qui hanc Pontificiam dignitatem dignitate propria tollant, augeantque quam maxime. Ad quod reſpondemus, [quod tamen cum eorum bona gratia dictum volo] iſtos quidem, [ſentio enim quos mihi ſignifices] præclaros Viros, ac nobiliſſimos eſſe, ſed qui tamen cum hoc noſtro minime conferendi ſint. Prudentia quidem, ætate, ac gratia, ut pares cum noſtro ſint, poſſum concedere, certe cum majorum dignitate ampliſſima, atque eorum etiam, qui nunc ſunt, aguntque in Imperio multo etiam ampliori, poſtremo opibus, ac rerum omnium ſumma copia, quæ non eſſent aut longe aliunde expectandæ, aut a ſuis per tributum extorquendæ, ſi quid aut a Turcis, aut a Chriſtianæ Fidei rebellibus, quorum utrumque jam multos annos imminere videtur, ingrueret adverſi, neque ipſi, ſe multo inferiores eſſe, negare audebunt. Sed hæc ita ſint, inquies, quoniam rationibus, ut ita eſſe fatear, me vincis, certe tu contra hoc mihi nunquam negabis, quin ſuſpicandum ſit, ne quas antea Cardinalis Regias partes tutatus eſſet, Summus poſtea Pontifex factus, eaſdem tueretur, atque eo etiam ardentius, ac fortius, quo in potentiori auctoritate conſtitutus eſſet, tueretur; quo etiam fieret, ut majus belli incendium excitaretur. Recte quidem nunc ſuſpicari videris, ſed ego te facile omni iſta ſuſpicione prorſus libero. Certe, Corradi, hic noſter Regi plurimum debet, iſque Princeps eſt, qui in referenda gratia, quam in accipienda, cumulatior eſſe ſolet, ſed non eo ſequeretur tamen, ut hujus tantam remunerationem cum ullius tam magno faceret detrimento. Probe enim tenet, tam illos ingratos eſſe, qui ex alienis opibus gratiam referunt, quam illos illiberales, qui non ex ſuo eandem ineunt; quod vitium vel morte ipſa cautius devitaret. Verum fac, ut aliquid apud ejus animum remanſerit, cui nondum in Rege remunerando [ne quid de ſucceſſione illa tibi nunc dicam] ſatisfecerit, in nulla re alia majus beneficium in eum conferre, neque ſe gratiorem oſtendere poſſet, quam ſi illi a potentiſſimo, atque infenſiſſimo, infeſtiſſimoque hoſte pacem afferret, quam ſi ejus Regnum in perpetuo otio conſtitueret, quam ærarium jampridem exinanitum clauderet, atque repleret, quam ſi populorum omnium graviſſimis, atque aſſiduis,

tri-

tributis finem imponeret. Hæc magis ſunt, in quibus ſe Regi ſuo gratiſſimum præſtare ſtuderet, cujus etiam ampliſſima in ſe collata merita eo ſuperaret, quod in eo ipſo gratificando univerſæ Reipub. Chriſtianæ gratiſſimum faceret. Ac quoniam in una pace conſtituenda totius rei ſumma verſari videtur; quid ſi Regum alter, atque etiam uterque pacem hanc recuſet, conditiones non probet, eaſque alter alteri iniquiores imponat? Quid, inquam, tum ageret iſte tuus Princeps Pontifex? Quid? prudenter ille quidem, ut in cæteris rebus omnibus ageret. Nam quod ad conditiones attinet, eas illis ipſe ut æquiſſimas proponeret, quæque niſi ſummo ſcelere poſſent recuſari, diligenter videret. Si tamen noſtro aliquo malo fato accideret, ut ad pacem novum conſilium iniri oporteret, ne recurram in Sanctiſſima perſona ad Platonis præceptum in tali caſu, qui jubet in Civilibus diſcordiis, qui neutram partem ſecuti eſſent, tum alteri, atque adeo potentiori parti ſe adjungere, quorum acceſſione facta, quæ ſe pars altera inferiorem videret, poſtea ab armis diſcedere, atque æquiſſimas conditiones accipere cogeretur; atque ita aut ſua voluntate, aut vi coacta arma deponeret; ne, inquam, ad arma a ſuis Sacris ſummum Pontificem avocem; id tantum eo caſu ageret, rem ſuam Chriſtianam curaret, nulli eorum adhærens, utrique pie ſtuderet, gregem ſuum pace, ac lege optime paſcens; illos vero interea cum aſſiduis literis, tum etiam idoneis nuntiis exhortans ad iſta impia arma deponenda. Quorum ſi tanto ardore tamen tenerentur, ſummamque in iis ſibi gloriam poſitam eſſe putarent, tandem in Turcas Chriſtiane coirent, ac fœdus omnium Sanctiſſimum ferirent: deinde ad Chriſti Servatoris noſtri ſepulchrum recipiendum, ad ampliſſima Regna ſibi comparanda, atque ad omnibus copiis copias ſuas honeſte ſocupletandas arma illa ſua, ſuas vires, ſuam illam virtutem bellicam, ſua iſthæc infinita odia converterent, proponere non ceſſaret. Quæ omnia cum in Chriſti honorem fierent, nullum dubium eſt, quin certiſſimam victoriam inde eſſent relaturi; ac quæque inde acquirerent, ab univerſa Eccleſia recte acquiſita probarentur: qui vero in præliis cecidiſſent, eorum animæ recta in Cœlum, in æternam illam Dei gloriam evolaſſent. At unus ſcrupulus etiam mihi reſtat; id autem eſt, quod, qui non ita ſunt no-

biles Cardinales, ſemper ſe poſtea contemni, atque in nullo pretio haberi a tanto Pontifice arbitrarentur. Quorum hic ſuffragiis in ſummum illum Pontificatum delectus ſit, eorum non meminerit? ac memoriam ſuam omni genere erga illos officiorum non teſtaretur? quem modo optime de cæteris merentem faciebamus, eum nunc in referenda gratia negligentem arbitrari poſſumus? Utinam mea auctoritas tanta eſſet, cui tanta fides adhiberi poſſet; equidem eis pollicerer, quicquid huic aut auctoritatis, aut amplitudinis acceſſiſſet, hunc id totum in eorum commoda ſine ulla dubitatione eſſe collaturum; neque quicquam apud eum fore tam carum, quod eorum gratiæ non libenter poſt eſſet habiturus. Hoc loco præterea iis quoque rumoribus, quos ab imperita multitudine ſpargi audio, occurrerem, niſi jampridem noſtra integritas omnibus perſpecta eſſet: nos veterum injuriarum nihil meminiſſe, neque Herculem Fratrem Fratris Pontificatu quicquam inſolentiorem fore, cum ſua optima natura, tum etiam ſingulari prudentia, ut vicinis quicquam propterea ab eo timendum eſſet, quibus non ut vicinis, ſed alteris ut parentis, alteris ut fratrum loco & nunc utitur, & ſemper eſt uſus, in omne etiam tempus uteretur. Sed jam dicendi finem faciam. Si his rationibus omnibus, quas tibi ab noſtro adduxi, Rerumpublicarum ſumma recte committitur, hæc jam multo ante huic noſtro committenda fuit; neque tamen, quod hoc ante non factum ſit, eos, qui in Pontifice creando ſuffragia ferunt, hoc ipſum vidiſſe, multo vero minus contempſiſſe, arguo. Alterum enim nimis craſſæ ignorantiæ, alterum effrænatæ immanitatis fuiſſet; ſed in hunc diem Deum Optimum Maximum hanc gregis ſui ſummam cuſtodiam diſtuliſſe arbitror, ut ex multorum aliorum adminiſtratione hæc noſtri gloria ſplendidius eluceſceret, atque eandem iis, qui poſtea eſſent ſecuturi, viam hic ad ſanctius hanc Remp. adminiſtrandam præmonſtraret, atque præmuniret. Arbitror, te jam videre quibus rationibus tantam ſpem mihi confecerim. Si quid tamen contra eſt, quod ego non viderim, Deus viderit. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Venturæ Piſtophilo S. D.

APPARATUS ſui partem mittens orat, ut Diploma ab Alphonſo Principe ſibi curet, quo ab alienis cum impreſſoribus, tum etiam venditoribus, quantum ejus auctoritas ſit, optime caveatur.

22. APPARATUS mei; ita enim opus hoc inſcribere placuit; partem tibi mitto, ut primum videas, utrum in ejus hac publica editione ullam ſtudioſis utilitatem ſimus allaturi; deinde, ſi id ita fore ſtatueris, ut meæ etiam peramice conſulas. Id autem effeceris, ſi Diploma ab Alphonſo Principe noſtro mihi miſeris, quo ab alienis cum impreſſoribus, tum etiam venditoribus, quantum ejus auctoritas ſit, optime caveatur. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Venturæ Piſtophilo S. D.

Gratias agit, quod non ſolum unum, ſed duo Diplomata miſerit, optionem deferens, utrum malit, id ſibi ſumat. Pollicetur, ſe ad eum omnium primum, cum volumen excuſum fuerit, miſſurum.

23. ITa agitur cum amicis, Piſtophile, ut tu cum tuo Riccio egiſti, cui a lectis ejus literulis [ut conjicere videor] neque iis, quam amicitia noſtra poſtulabat, vehementioribus, non ſolum unum, ſed duo Diplomata miſiſti, optionem deferens, utrum mallem, id mihi ſumerem? Equidem pro utroque tibi gratias ago quam maximas, idque eo magis, quod ita mos eſt, quam quod id te a me expectare ſciam; etſi eorum alterum mihi ſatis ſuperque eſſe potuiſſet. Cum totum volumen excuſum, ut dicunt, erit, primus omnium illud expecta. Vale. Venetiis.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Gotardio Coſtio S. D.

Se ei in amore mutuo reſpondere ſignificat, mittitque epiſtolam a ſe conſcriptam ad Herculem Ateſtium de Prænomine, Nomine, & Cognomine ad Latinam rationem, ex prælis recentiſſimam, oratque, ut perſcribat, utra ratio ei magis probetur.

24. NUnquam tibi concedam, ut ipſe majorem voluptatem ex mea conſuetudine Ferrariæ caperes, quam ego facerem ex tua. Sed ne judex ſim iniquus, concedo, ut parem ceperis. Nunc vero cum disjuncti ſumus, credo item utrique æque evenire, ut, quod præſentia facere non poſſumus, id memoria repræſentemus. Mihi quidem non ſolum noſtri ſermones, congreſſus, atque omnes vel breviſſimæ conſalutationes in animo obverſantur, verum etiam ita inhærent, ut nunquam evelli poſſint. Cujus amoris erga te mei ſummus mihi teſtis eſt Portius tuus, cum quo ſum quotidie iſtud tui deſiderium leniens, quem adoleſcentem & ſumma probitate, ſummoque ingenio præditum, ac commutata perſona libenter te mihi alterum eſſe puto. Sed quid ego teſtem extrinſecus quæro? quaſi vero proximæ meæ ad te literæ non idem planiſſime teſtentur, quas, ſi recte diei rationem inibis, eodem die, quo tuas, videbis eſſe conſcriptas, quas cum leges, continuo aut omni lætitia exilies, intelligens me tibi mutuo in amore reſpondere, aut etiam dolebis, quod a me in eo facile vincaris, qui ea ad te multo ante mea ſponte, quam tu tuis literis ea ipſa efflagitaſti, tam longe miſerim. Mitto tibi epiſtolam ad Herculem Ateſtium, in qua de Prænomine, Nomine, & Cognomine ad Latinam rationem multa diſputantur, ex prælis, ut dicunt, recentiſſimam; utra vero magis ratio tibi probabitur, feceris mihi gratiſſimum, ſi ad me perſcripſeris. [illegible], Siſenius, ut nos ſcribimus, [illegible] ſalutem reſcribunt, [illegible] jampridem deceſſit;

BAR-

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Gotardio Coſtio S. D.

Sibi gratum futurum ſignificat, ſi rem totam explicet, cur non frequentes ad ſe literas mittat; ſuam magnam eſſe propenſionem ad omnes literatos Viros fraterne complectendos; ſe quamprimum Manfronianam defenſionem, & Orationem de finibus agri Bononienſis, & Ferrarienſis miſſurum; ab omnibus quidem amicis eum communiter reſalutari, a Siſenio ſolo ſaluti dictæ literas adjunctas quam ſuaviſſime ſcriptas, aliaque ſubjicit ad Antimachum, & Camillum filium ſpectantia.

25. CUr tuarum literarum infrequentiæ cauſſam in meam Imitationem, atque in neſcio quam epiſtolam de nautis transferas, non equidem intelligo. Quid enim liber meus de Imitatione te a ſcribendo deterreat, conjicere non poſſum; multo vero minus, quæ epiſtola illa ſit de nautis, qui ad te de eo hominum genere, quod ſciam, nihil unquam ſcripſerim. Quare mihi pergratum feceris, ſi rem totam plenius explicabis. Quod autem mihi gratias agis, quod te in tuis quoque amem, tu quidem grate, ſed & communibus ſtudiis, & amicitia noſtra indignum facis. Equidem, Coſti, Portium tuum amo cum tua cauſſa, tum etiam mea natura. Plane enim noſti, quæ mea propenſio ſit ad omnes bene literatos Viros fraterne complectendos. Tametſi is quoque eſt ea integritate, atque probitate, ut, qui ab omnibus ametur, dignisſimus ſit. Scriberem ad te, ut ei meam omnem operam pollicereris, niſi id ipſi non ſolum antea feciſſem, ſed etiam præſtitiſſem. Quicquid enim adhuc potui ſtudio, gratia, ei non defui, neque re etiam familiari, ſi opus erit, ſum defuturus. De Manfroniana defenſione nunc tibi quidem obſequi non poſſum, ſed brevi curabo, ut poſſim; cui ea quoque accedet defenſio, quam nunc de finibus Bononienſis, ac Ferrarienſis agri habeo in manibus prope abſolutam, ſane quidem, ut mihi videtur, juſtamque fortaſſe non ineptam Orationem. Amicis, quibus [illegible], tuo nomine ſalutem dixi, quæ omnibus tam [illegible], ut nihil magis, Siſenio vero multo gratior,

Is enim est homo, qui rem interius considerat. Quare cum omnes te communiter resalutent, solus saluti dictæ suas literas adjunxit. Eas igitur lege quam suavissime scriptas. Pene mihi fugerat de Antimacho. Is & annis gravis, & graviore morbo, si quid tamen gravius est senio octogenario, affectus jam tertium mensem in lecto cubat; dabo tamen operam, ut is per Fabium filium suum intelligat, se absenti tibi quoque plurimum amari. Nam qui ei salutem dicam, nihil est; magis opus esset, ut tu ex arte tua illi illam afferres, cui tamen Fabius filius ejus facultatis adolescens non imperitissimus præsto adest, atque omnia, quæ filius optimus optimo patri debet, pie præstat. Camillus filiolus suavissimus, ac mellitissimus puer, nisi ego sum pater, tui memoriter meminit, & cum parente suo te plurimi facit. Vale. Ferariæ VI. Cal. Januarias.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Bartholomæo Portio S. D.

Insignem Abiosii humanitatem laudat; dolet, eum non offendisse Venetiis Cornelium; ejus naturam, mores, & orationem eam esse ait, ut primo sermone eos, quibuscum loquitur, ita devinciat, ut sine ulla amicorum commendatione ei libenter studeant.

16. NOn miror, quod te meus Abiosius lectis meis literis tam amice, eoque vultu, quo veterem amicum faceret, acceperit, tibique omnia pollicitus sit, quæ ab eo tibi usui forent. Ejus enim ea est humanitas, quæ in ullo esse posset; in me vero is amor, quo nemo alius alium prosequitur. Quare si te ita complexus est, nihil mihi mirum accidit; magis mirum accidisset, si contra eveniisset. Sed redeo ad te. Ego, Porti, sic soleo commendare, quos dignos mea commendatione arbitror, ut te sum ratus, ut nihil omittam. Doleo, te meum Cornelium Venetiis non offendisse. Vidisses in eo quoque, quanti ego te faciam. Tametsi tua natura, tuique optimi mores, atque adeo oratio ea est, ut primo sermone ita, quibuscum loquaris, tibi devincias, ut sine ulla amicorum commendatione tibi libenter studeant. Doleo equidem,

dem, quod te diu cariturus ſum ; ſed tua cauſſa conſolator, qui in iſta illuſtri optimorum Virorum luce ages, ubi & multum nominis, & non parum ſtudiorum tuorum utilitatis conſequi poteris. Vale, Abioſioque noſtro ſalutem meo nomine dices.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Bartholomæo Portio S. D.

Se moleſte tuliſſe ſignificat, veteribus medicis invidiæ eum fuiſſe ; ſibi tamen gaudere, illique gratulari, quod nullæ injuria ſit, quæ inimicis noſtris facilius condonari poſſit, quam ea, quæ ex invidia infertur, ut quæ ſuis ipſa gladiis ſeque, noſque aſſidue ulciſcatur.

27. TUas litteras accepi, quibus mihi ſignificas id, quod de noſtro Madio antea pernoveram, te iſthic veteribus medicis ſummæ invidiæ fuiſſe ; quod quidem, ut debui, moleſte tuli. Malim enim id, quod æquius erat, te ab omnibus amari, quam a quoquam odio haberi. Sed quoniam eos fregiſti, atque ut digni fuerunt, pertractaſti, mihi gaudeo, tibi vero gratulor. Scito tamen, ſi qua ulla injuria eſt, quæ inimicis noſtris condonari poſſit, eam eſſe, quæ nobis ex invidia infertur, ut quæ ſuis ipſa gladiis ſeque, noſque aſſidue ulciſcatur. Quare illis concedere poſſumus, ut quouſque invidia ſit, ita iſti nobis invideant, ut medii diſrumpantur. Non enim arbitror aliis armis rem geri, quam quæ in medendi officina conflantur, quarum ſcientiam tu optime tenes ; neque vereor, quin victor ſemper evadas. Sed in iis literis manum tuam non agnoſco ; neque tu quicquam ; recte tamen arbitror. Aut enim calami defectu, quo interdum etiam literarum ſolita forma non perficitur, aut aliqua animi perturbatione, qua eas ſcripſiſti, eveniſſe, facile adduci poſſum, ut credam ; ſi quid tamen, cura, ut ſciam. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Joanni Renio S. D.

Significat, se certiorem esse factum, eum quotidie gravius oculorum morbo laborare, seque id permoleste ferre. Licet autem unus visus rebus omnibus in hac vita jucundior esse videatur, hortatur, ut nihilominus in Christo, ut facit, acquiescat, & exterioris luminis amissionem interiori lumine consoletur.

28. CUm ego de te de quodam tuæ Diœcesis, qui hac forte Bononiam iter habebat, diligenter quærerem, is mihi post ea, quæ de tua integritate, ac summa in gregem tuum pietate prædicavit, te quotidie gravius oculorum morbo laborare, atque ita, ut parum abesset, quin eorum usu captus esses, retulit; quod, ut debui, tuli permoleste. Multa enim sunt homini in hac vita jucundissima, sed unus visus omnibus mihi jucundior esse videtur, quo uno nobis ablato quid in reliqua vita boni accidere possit, non video. Quare isto tuo tanto bono amisso tantum doleo, quantum te, quod plurimum est, amo. Sed quoniam ita hominum conditio est, ut omnibus miseriis subjecta sit; ut iis lætandum est, qui integra valetudine perfruuntur; ita contra, qui in male affecta sunt constituti, æquo animo ea est perferenda, ut te facere scio, quem ego novi secundam fortunam moderatissime semper tulisse, neque dubito, quin etiam in hac adversa parem virtutem adhibeas perferenda. Nam qui ad extremam senectutem vitam suam honeste produxit, ut eam quoque eodem tenore, quo quo ea provecta est, probe absolvat, nulli dubium esse potest. In Christo tuo, ut facis, acquiesce, atque ejus interiori lumine, quod a te nulla vis eripere potest, Mundi, atque exterioris hujus luminis amissionem consolare. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Lazaro Sabellio S. D.

Animos addit, ut adverſarii artes nihil metuat, admonetque, ut, ſi quid, ſe abſente, ille commoliatur, efficiat, ut in ſuum reditum res differatur.

29. CUr ego tibi in hoc non gratificer? Ecce igitur, quod cupis. Si quid impurus ille, me abſente, commoliatur, continuo cum noſtro eris, ac, ut in meum reditum res differatur, efficies. In quo tibi non multum erit elaborandum. Is enim ita mihi diſcedenti benigniſſime recepit. De illius vero appellatione quid egeris, nihil ſcribis. Vale. Atilio, Sylvio, Canalio ſalutem. Bononiæ Idib. Octob. MDLVII.

BARTHOLOMÆI RICCII LUGIENSIS EPISTOLARUM LIBER TERTIUS.

www.libtool.com.cn

BARTHOLOMÆUS RICCIUS Bernardino Mafejo S. D.

Gratias agit & de libris ſuis de Imitatione, & de pecunia ſibi miſſa. Se graviter angi ſignificat, quod Pontificiis literis ita diſtineatur, ut nulla ipſi ad amicorum literas vel breviter dictandi facultas detur. Hortatur, ut velis, remiſque contendat, ut inſigni Galero ornetur, donec ei fortuna ſecunda favet.

1. DE proprio [quod dicunt] motu gratias ago; commodius agi non poterat. Iſto enim modo & libris meis de Imitatione, & rei nummariæ exilitati optime conſuluiſti. Quare iterum tibi gratias ago, atque haſce poſteriores tanto etiam majores, quanto mihi magis opus eſt præſenti pecunia, quam ſperata. Quod ad tot meas ad te amantiſſime ſcriptas literas ne literam quidem unquam, tua mehercule cauſſa doleo magis, quam mea. Nam quod Riccium tuum, quem tantum amare ſolebas, a quo certe ſcires, te quamplurimi fieri, ex omni tua ſcriptione deleveris, cum tu in nullis meis ſcriptis non fideliter legaris, non ſine aliqua tua nota factum videri poteſt. Sed, cum te ſic poſtea tuis iſtis Pontificiis literis diſtineri video, ut ad amicorum literas nulla tibi, vel breviter dictandi, facultas detur, me multo acrius angit. Nam te ſic eo modo occupatum video, ut vix cibum capias, nedum cum Muſis tuis te quicquam oblectare poſſis. Sed recta erunt omnia, ſi eo perveneris, quo tu maxime ſtudes, & omnes tui vehementer exoptant, ut inſigni illo Galero orneris. Urge igitur

gitur tantam occaſionem, Maſei. Tende ad iſtos ventos vela omnia; omnes auras cape, ut portum prius capias, quam ſecundiſſimi iſtorum ventorum flatus te prorſus deficiant. Nam, ſi te in alto deſerant, nullo inde poſtea remigum impulſu eruere; in anchoris, mihi crede, moriere. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Bernardino Maſejo S. D.

Literas has reddentem commendat, ut ei conditionem aliquam nobilem quærat, id tum ſibi, tum Ferrinio amico ſuo gratiſſimum futurum ſignificans, rogatque, ut libere perſcribat, quid de opere ſuo de Imitatione ſentiat.

2. HIc, qui tibi has literas reddidit, Ferrinii propinquus eſt, Ferrinio autem mihi omnibus amicitiæ vinculis conjunctior eſt nemo. Hic a me contendit, ut eum tibi commendem. Quamobrem id faciat, non ſatis video, qui illum tanti apud te eſſe ſciam, ut ab eo tibi ipſe, ſi uſus veniat, facile commendari poſſem; tamen, quoniam ita ei placuit, eum tibi ea de meliore nota commendo, qua ſoleo, cum aliquem de optima commendo. Conditionem iſthic quærit aliquam nobilem. Si ejus opera ad aliquid tibi uſus eſſe putares, ea fideliter uti poſſes; ſin minus, iſque apud aliquem principem Virum tua opera collocabitur, mihi gratiſſimum, Ferrinio autem multo feceris gratius. Meum opus de Imitatione te percurriſſe arbitror. Si per tuas ingentes occupationes, quid de eo ſentias, ad me perſcribere liceret, id eſſet mihi mirum in modum gratum. Vale. Magiolio, ac Rugerio noſtris ſalutem. Ferrariæ. Quarto Idus Septembr. MDXXXXIIII.

BAR-

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Bernardino Mafejo S. D.

Gratulatur de Cardinalatus Dignitate ei delata, optatque, ut ad ultimum Dignitatis gradum ſumma cum Reipubl. Chriſtianæ utilitate feliciter perveniat.

3. ET vetus amor erga te meus, & iſta tuæ ſumma Dignitatis acceſſio id gratulationis genus a me poſtulabat, quod maximum, atque amiciſſimum eſſet, quod ego quoque, ut præſtarem, omnia exquiſivi. Sed, cum utroque meum ingenium, atque dicendi facultas multo inferior eſſet, qui tuos iſtos ſanctiſſimos mores, Romanaſque iſtas literas ſemper plurimi feci, Cardinalatus autem Dignitas uno tantum gradu a Summo Pontificatu diſtet, veritus, ne dum ego utrique æque reſpondere ſtudeo, neutri ſatisfacerem, hanc vulgarem, quam nullam omnino, gratulationis ſignificationem facere malui. Tibi igitur gratulor, Mafei optime, vereque gratulor cum tantam iſtam tuæ Dignitatis acceſſionem factam, tum quia primus eam in Familiam tuam intuliſti; quaſi qui poſteris tuis ad ampliſſimam gloriam hanc viam aperueris. Sed nimis hæc, ſentio, vulgaris eſt mea gratulatio. Quid enim frigidius, aut quid jejunius diceret, qui te de facie tantum noviſſet? Utinam, Mafei, huc animum meum expromere poſſem, atque ſummam in te benevolentiam meam par oratio ſequeretur, longe, mihi crede, hæc poſt ſe etiam ampliſſimi Sacerdotii Dignitatem relinqueret, amoremque in te meum æquaret. Tametſi haud ſcio, an magis iſti Dignitati mihi gratulandum ſit, quod illo Viro illam auctam eſſe video, qui in eam multo plus ſplendoris, quam acceperit Dignitatis, omnino attulerit. Utrique igitur gratulabor, & quod illa tua virtute plane cumulata eſt, & tu ad omnium Dignitatum cumulum una illa proxime acceſſiſti, cui utrique ſuam iſtam tantam gloriam diuturnam [quando perpetuam per rerum conditionem mihi non licet] maxime opto. Id vero tibi amplius; ut ad ultimum Dignitatis gradum ſumma cum Reip. Chriſtianæ utilitate feliciter pervenias. Vale.

BAR-

BERNARDINUS MAFEJUS CARDINALIS

www.libtool.com.cn

Bartholomæo Riccio S. D.

Significat, se perhonorifica illius gratulatione sic affectum, ut nihil eorum rejecerit, quæ sibi tribuerit, licet eum amore lapsum facile intelligeret. Addit, se velle eum putare, a se hæc vel per jocum, vel per audaciam dicta; nullius tamen literas se æque, atque illius delectasse, in quibus eum totum, quasi in speculo, viderit amore incensum, lætitiæ quadam abundantia gestientem.

4. CUm in manus calamum sumpsissem, ut literis tuis, quas ad me proxime dedisti, accurate, graviterque rescriberem, repente, nescio quo pacto, mutavi consilium, ut familiarius tecum agerem: tu vero isthæc velim dicas nemini. Ego ille temperans, omnis gloriæ contemptor, a vanitate, ut mihi videbar, alienissimus, perhonorifica illa tua gratulatione sic affici me sensi, ut nihil eorum rejecerim, quæ mihi tribuis, licet te amore lapsum facile intelligerem. Quare quoniam eum mihi errorem tuæ literæ objecerunt, qui jucundissimus est, cave eum mihi eripere coneris. Erit enim etiam fructuosus; siquidem necessitatem mihi quandam imponet, ut, qualem me tuæ literæ faciunt, talem me præbeam. Sed, hæc me vel lusisse, vel audacter dixisse, putato, quod utrumque mihi apud te licet. Quod sequitur, in pauca conferam. Quo enim verior, eo brevior debet esse oratio. Cum multi mihi, quod ad hunc gradum ascenderim, gratulati sint, nullius tamen literæ me æque, atque tuæ delectaverunt, in quibus te totum, quasi in speculo, vidi amore incensum, lætitiæ quadam abundantia gestientem; præterea in me effundentem ea, quæ quidem quo minus agnosco, a meque longius abesse sentio, eo majorem gratiam tibi debeo, majoremque benevolentiam, quam me tibi præstaturum semper esse confidas velim. Vale. VIII. Cal. Junias Roma.

BAR-

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Bernardino Mafeio S. D.

Suum gratum animum in Ferrinium mortuum de ſe maximè meritum ſignificat. Certiorem facit, eum in rei perexiguæ tenuitate cum ſeptem liberis, duobus maribus, quinque fœminis deceſſiſſe. Orat, ut Pontificem in Ferrinium bene affectum excitet ad pueros juvandos, ut optima ſpe adoleſcentuli ſe ad paterna ſtudia, atque ingenuas artes perducere, miſeras autem ſorores ad honeſtas Nuptias alere poſſint.

5. ETſi quantum ego in amicitiis ſancte colendis religioſus ſim, quantumque iis omnia libentiſſime concedam, ipſe jam multos annos optime noſti, quem, a quo te primum die vidi, non ſolum ſemper obſervavi, plurimique feci, ſed etiam meos amicos, communes tibi amicos eſſe volui; nunc tamen id maxime perſpicies, cum etiam mortuorum tam conſtantem memoriam me ſervare videbis. Quanta benevolentia Ferrinium cum viveret, proſecutus ſim, ne expecta dum dicam. Nam cum dixero, quanta meum Abioſium, Hectorem, Manutium, atque adeo te Mafejum, plurimum quidem dixero, ac quo etiam majus dicere non poſſem; meum tamen erga ilum amorem non plane expreſſero. Majus enim quid aliud ad eum ſignificandum opus eſt; non quin hi mihi quidem multis, ac magnis de cauſſis chariſſimi ſint, ſed mihi cum Ferrinio ea neceſſitudinis cauſſa privatim interceſſit, quod is ſolus, quem locum apud Principem meum jam undecim annos teneo, benigne mihi conciliavit, pro quo tanto beneficio cum omnem ei gratiam retulero, ea tamen apud me integra remanere mihi videbitur. Hic decedens ſeptem liberos, duos mares, quinque fœminas, reliquit, quorum major natu nondum ſeptimum annum complerat, in ea vero re eos reliquit, quæ ex dote matrem ſecuta eſt; nihil enim ei a parentibus venerat; a Principe vero ſuo adhuc omnia in ſpe erant poſita, quæ miſeris liberis una cum optimo parente prorſus interiit; ut ſi eorum mater, quod omnino eſt factura, quæ duo de triginta annos nondum attin-

attingit, ſecundis Nuptiis deſpondeatur, nudi illi tam poſtea a re omni, quam etiam a parentibus ipſis, ſint futuri. Sed Deus Opt. Max. quaſi eos reſpiciens, Montem, quem dicebant, Cardinalem Pontificem Maximum, hoc eſt, qui ejus vicem in terris gereret, effecit. Hic, quæ ejus ſumma ſemper fuit humanitas in optime inſtitutos adoleſcentes, Ferrinium plurimum dilexit, quem etiam mortuum aliqua memoria proſequitur. Audimus enim de quodam noſtro, eum quæſiviſſe, cum in ejus ſermonem incidiſſet, quot filios decedens reliquiſſet? quos cum bene multos audiſſet, etiam ingemuiſſe. Quæ verba nos in magnam ſpem adduxere, facile fore, ut ſi quid miſeris hiſce filiolis ab eo peteretur, is id Ferrinii manibus libentiſſimo animo concederet. Sed cum, qui apud Pontificem nobis operam hanc fidelius præſtaret, quam te, neminem haberemus, iſtam a te Ferrinii liberi, [ut nihil de eorum parente dicam, qui te omnium maxime vivens coluit] eo ſtudio conteadunt, quo miſeri, atque inopes, aliqua magna vitæ ſubſidia facere ſolent. Ego vero ea fide, ac ſpe hoc ipſum hiſce ipſis a te eodem peto, atque oro, qua ab amiciſſimo facere ſoleo, qui vel una hac ratione id maxime impetrare debeo, quod me gratiſſimum memoremque, vel ex hoc ipſo, vides, qui pro amico mortuo, a quo mihi nullas gratias, ne agi quidem, ſpero, ſed magis, ut ei ego aliquam referam, tantopere laborem. Effice, mi Maſei, ut hi pueri jam ſextum annum parente optimo orbati ſentiant parentem ſibi in te, atque in Pontifice Maximo [nam de me id certo ſentiunt, quotidieque vident] totum non interiiſſe: atque una iſta tua opera effice, ut optima ſpe adoleſcentuli ſe ad paterna ſtudia, atque ingenuas artes perducere, miſeras autem ſorores ad honeſtas Nuptias alere poſſint. Id autem erit, ſi quod ipſe vivens ab illo facile impetraſſet, tu idem illis ab eodem exorabis. Vale.

BAR-

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Lazaro Bonamicio S. D.

Philippum Ferrium Civem ſuum, ac diſcipulum in magna rei exiguitate conſtitutum commendat, ut ei locum quærat apud aliquem nobilem Civem aut in docendis ejus filiis, aut quoquo alio modo, quo poſſit ſtudiis ſuis facilius operam dare.

6. PHilippus Ferrius, qui tibi has literas reddidit, meus eſt & Civis, & diſcipulus, quorum alterutrum vel ad ſingularem quamvis commendationem plurimum valere poteſt, utroque vero nihil magis. Accedit tamen ad hæc ſumma adoleſcentis probitas, ac bonarum literarum mirum deſiderium; quo poſteriore factum eſt, ut tuas ſequeretur, teque magiſtrum maxime cuperet. Iſthuc itaque ſe contulit, ut ſub tua diſciplina utramque linguam excoleret; ſed cum victum, &, quæ reliqua neceſſaria ſunt, ſuſtinere ipſe per rei ſuæ exiguitatem minime poſſet, locum quærit apud aliquem nobilem Civem, aut in docendis ejus filiis, aut quoquo alio modo, qui illi ad hæc expediat ſtudia. Huic ego omnia a te pollicitus ſum, quæ a me habere poſſet, ſi iſto eſſem in loco. Scio enim te, quicquid mea cauſſa faceres, meorum etiam eſſe facturum. Quare ita illum primum accipies & vultu, & oratione, qua ſoles, cum quem tibi gratiſſimum accipis; deinde eam operam dabis, ut, ſi locus ullus iſthic ſit, is huic ſit. Certe, Bonamici, quicquid ſtudii, quicquid officii in hunc adoleſcentem contuleris, id erit mihi mirum in modum gratum. Si vero locum impetro, omnia tua in me ſumma, atque innumerabilia beneficia cumulabis, ipſum præterea ſpe optima adoleſcentem magnopere ſublevabis, tibique in perpetuum devinxeris. Vale. Ferrariæ VI. Cal. Novemb.

BAR-

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Lazaro Bonamicio S. D.

www.libtool.com.cn

Certiorem facit, se ejus cauſſam Principi ſuo commendaſſe, ſibique recepiſſe, eum nihil ipſi apud Judicem ſuum ad omnem æquitatem, atque maturam celeritatem defuturum. Hortatur, ut eamdem cauſſam apud ipſum Principem ipſe quoque tribus verſiculis Latinis commendet, quod plurimum cauſſæ profuturum, Principique gratiſſimum futurum pollicetur.

7. ERam in Beriguardo cum meo Principe, domo ab uxore mihi literæ tuæ ſunt redditæ, quas ut legi, continuo cauſſam tuam illi commendavi, qui mihi recepit, ut primum Ferrariam rediiſſet; redit enim quinto quoque die; ſe nihil tibi apud Judicem ſuum ad omnem æquitatem, atque maturam celeritatem eſſe defuturum. Qui cum & tuo ampliſſimo nomine, & mea etiam de te prædicatione te jam multo ante cognoſceret, literas tuas mihi legendas quæſivit, ratus eas Latine ſcriptas eſſe. Cui ego; is nunc Princeps, mecum egit noſtra lingua, cum tamen alias ſemper Latine ad me ſcribere conſueverit, ut ejus animum hinc quoque erga te facilem videre poſſis. Equidem non dubito, quin præſtaturus ſit, quod recepit. Sed ſi ad eum ipſum Principem tribus verſiculis Latinis cauſſam ipſe commendares, & cauſſæ tuæ te plurimum profuturum, & Principi gratiſſimum facturum, facile tibi polliceor. Tu tamen, ut tibi videbitur. Lilio tuo nomine ſalutem adſcripſi, qui mihi reſcripſit tum ſibi nihil gratius accidere potuiſſe. Hoc enim uno maxime oblectatur, ut a tui ſimilibus, qui pauci adhuc reliqui ſunt amici, multum ametur, tibique eandem plurimam impertit. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Romulo Amaſejo S. D.

Queritur, quod compromiſſi diem elabi ſiverit; ſe tamen nihilominus eum tantum diligere, quantum antea amavit, & coluit ſemper.

8. TE tamen, mi Romule, tantum diligo, quantum antea & amavi, & colui ſemper. Meis enim

rationibus iſta tua mei compromiſſi declinatione, quam a te factum eſt, rectius conſuli non poterat; qui librarium iſtum hoc modo & Diplomatis integra mulcta, & compromiſſi pœna probe mulctabo: tuum fuit tamen [ignoſcas mi Romule, ſi tecum cauſſæ meę æquiſſimam rationem diſſimulare non queo] aut compromiſſum non accipere, aut, eo accepto, ſecundum animi tui ſententiam intra conſtitutum tempus decernere, præſertim cum quicquid ipſe decreviſſes, de compromiſſorum ipſorum more cautum eſſet, ut certum ratumque haberetur; quorum tu neutrum feciſti; alterum arbitror, ne mihi tui ſtudioſiſſimo rem æquiſſimam negares, alterum, ne contra Craſſi tui preces judicares. Itaque compromiſſi diem elabi ſivisti. Neque enim ad hoc judicium Boaterii noſtri præſentia requirenda fuit. Tibi enim, ut plane ſcis, res tota erat commiſſa. Te tamen, mi Romule, tantum diligo, quantum antea amavi, & colui ſemper. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Romulo Amaſejo S. D.

Tantam imbrium copiam trium dierum ſpatio effuſam ſignificat, ut multis in viis ad equi ſellam aqua pertingeret; id vero frumento in agris ſub ipſam maturitatem maximum detrimentum attuliſſe; ſe tamen diligenter curaturum, ut ab iis, quorum prædia in altioribus locis ſunt poſita, quidquid ipſi curandum erit, fideliter habeat, & perpurgatum.

9. CUm ad III. Idus Junias domum a te rediiſſem, ita univerſum agrum noſtrum perpetuis trium dierum imbribus obrutum offendi, ut multis etiam tum in viis ad equi ſellam aqua pertingeret. Nam, cum foſſæ magnam illam aquæ vim capere non poſſent, exuperatis earum ripis, aquis omnia exundarant. Nabant frumenta in agris ſub ipſam maturitatem, quorum etiam magna pars ſuperioribus diebus violentiſſimis ventorum flatibus ad terram conſtrata jacebat. Ut, quod ad meſſem attinet, quam tibi coram cum maximam, tum perpurgatam futuram promiſeram, quid nunc ſperem, non ſatis vi-

videam. Id ſane nulli dubium eſt, quin ex ea proluvie, quamvis etiam frumenta probe exſiccentur, corrupti non nihil tamen ſemper exoleant; ſed curabimus diligenter, ut ab iis, quorum prædia in altioribus locis ſunt poſita, quicquid tibi curandum erit, fideliter habeamus, & perpurgatum. Nunc paſſim, ac ſummo ſtudio omnium operarum manu ſecantur. Id enim quoque adverſi accidit, ut Auſter, qui in Flaminia peſtilenter dominatur, nunc, ut cum maxime, perflet; ne ejus vehementiſſimis flatibus ſpicæ inter ſe colliſæ domum inanes convehantur. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Romulo Amaſejo S. D.

Gratulatur de dignitate ipſi delata, cujus nuntius in id temporis inciderat, quo ipſe, uxor, & filius unicus, inverſo cifio, a violentiſſimis equis rapti fuerant. Dei beneficio incolumes ex tanto periculo ſe evaſiſſe, tamque jucundo nuntio ex maximo metu contracto paululum ſe recreatum videri. Hortatur ad dandam omnem operam Farneſio, quem ſperat libentiſſimo animo id præſtiturum, quod reſtat, ad eam dignitatem cumulate illuſtrandam.

10. GRatulor tibi, Romule, etſi tuæ iſtius dignitatis nuntius in id mihi temporis incidit, quo ego, & uxor, & filius unicus, inverſo cifio, a violentiſſimis equis [quantum in ipſis fuit] diſcerpti, atque in unum tumulum rapti ſumus. Sed Dei clementia tantam tragœdiam pati non potuit. Hujus enim beneficio, nullo humano ex tam horrido, ac multiplici funere incolumes erepti ſumus; ſi tamen eam incolumitatem appellamus, cum quis omnino corporis dolore vacuus ſit, animi vero graviter laboret. Nam eo metu, quem contraximus in tanto caſu, ita affecti ſumus, ut nullo alio morbo, etiamſi ab hinc quinquaginta annos id fiat, ſimus deceſſuri. Sed ad iſtum tuum jucundum nuntium paululum tamen recreatus eſſe videor. Quare cum tibi gratulor, tum etiam mihi gaudeo, quod iſta tua dignitas virtuti tuæ ſummum ornamentum attulerit, mihi vero tantum hunc dolorem meum aliquantulum levarit, quando prorſus

ſus eum ſuſtuliſſe dicere non poſſum. Nam & is tantus, tamque recens eſt, tua vero iſta dignitas tamdiu tibi, multoque etiam amplior eſt debita, ut dolori meo meliorem medicinam, quam fecit, afferre nequiverit. Sed ad majores hic quidem primus eſt quodammodo gradus, ut etiam quaſi jactis optimis ædificii fundamentis bene, & recte de reliqua ædificatione nobis ſperare liceat, quæ cum venerint, nos quoque ſingulis ſingula congratulationis genera accommodabimus. Tu modo incumbe, mi Romule, in iſtam curam, hoc eſt, Farneſio tuo, quod facis, omnem operam da, uni illi te te addicas, ſtudeaſque. Nam omnem tuam fortunam in ejus manibus poſitam eſſe video, qui etiam Pont. Max. efficere poſſit, quem ſpero tibi quoque ex ejus fortunæ ſecundiſſimis flatibus, quantum ſatis ſit, ad navim tuam in portum feliciter impellendam, non eſſe negaturum; quodque hactenus tua virtute ductus in te exornando tibi præſtitit, ſua poſthac conſtantia, quod reſtat, ad eamdem dignitatem tuam cumulate illuſtrandam, libentiſſimo animo collaturum. Vale, ac Maſejo Cardinali meo nomine ſalutem impertito.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Paulo Manutio S. D.

Ejus literas laudat omni elegantia conſcriptas; ait tamen, eas & purius, & humanius ab eo ſcribi, quæ ad familiares mittuntur; ad ſe vero planius, & amantius, in quibus nonnulla perſalſe, & perurbane, nonnulla plus, quam fraterne, ab illo dicta ſignificat. Rambertum convaluiſſe gratulatur; additque rem librariam cum fratre illic commorante facile tranſigi poſſe.

11. O Manutii mei tam mihi gratas, quam etiam expectatas, quæ expectatiſſimæ fuerunt, literas. Ecquid enim mihi gratius accidere potuit, quam te tandem peræque uſque recte habuiſſe? idque de te ipſo intelligere? quod ne ſecus accidiſſet, ex tuo nimis diuturno ſilentio cogebar interdum ſubvereri; præſertim cum te minime impigrum ad ſcribendum antea ſemper cognoviſſem, neque in quovis ſcribendi genere quicquam ami-

amicis tuis a te desiderari permittere solere. At quam omni elegantia conscriptas literas? ut eo quoque nomine mihi jucundissime acciderint. Ita mihi per Deos, [quando graviore jurejurando uti non possum] suavissima consuetudine tua perfrui liceat, ut omnium elegantissimæ sunt visæ. Illæ quidem, quas tu ad gravissimos Viros in librorum tuorum inscriptionibus scribis, sua, id est, Romana elegantia, conditæ sunt; verum, quæ ad familiares mittuntur, multo sunt & purius, & humanius conscriptæ. In his enim tui quam simillimus es, neque quicquam est, quod ambitioni, quasi fucum quendam ingenuæ orationi illinens, coacte, atque odiose deservias. Quæ quidem, quotquot sunt, ut huic, quam mihi nuper dedisti, & suavitate, & humanitate concedant, necesse est. Quis enim frater fratri de toto vitæ statu, ac suorum seperatim etiam studiorum planius, atque amantius, quam Manutius Riccio suo facit, unquam significavit? in quibus quidem cætera perpolita, illud perfalse mehercule, atque perurbane, cum ais, tua studia per æstatem prorsus confriguisse, proxima vero hyeme te omnem operam daturum, ut calefiant. Illud vero præla tua veternum occupasse, non mihi mehercule minus, quam qui Civitatem, arrisit; totam vero partem illam, qua meum a te discessum plus, quam fraterne, deploras, si prætereo, nihil molestæ feras. Dolor enim vix hoc tantulum permittit, ac pro suo id jure quidem, cum mea culpa id omne, quod me assidue angit, contractum esse sciam; in eam tamen curam, quantum in me erit, incumbam, ut isthuc, cum primum id per fortunam meam potero facere, ad vos commigrem. Quod de Ramberti invaletudine scribis, eumque melius habere, id mihi rectissime accidisse video, quod prius eum convaluisse, quam etiam in morbum incidisse, cognoverim. Mihi itaque non parum gaudeo, illi vero maximopere gratulor, optoque, & spero, ut confirmatior & studia sua revisat multo acrius, & tibi, quam in nostris rebus tam amice operam pollicetur, multo vehementius præstet. De re vero mea libraria placebat illa permutatio, quam mihi proponis, vel non displicebat potius, si merx alia sit omnino, quam item libri. Frater isthic meus est. Cum eo res omnis, si facultas dabitur, facile transigi poterit. Vale. Lugi.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Paulo Manutio S. D.

Tabellarii negligentiam incusat: queritur, eum cum comite Lugum ad se non divertisse: jocatur de nomine, quod sibi commutarat: hortatur, ut ad se primo quoque tempore advolet, ejusque adventum Rugerium quoque avide expectare significat.

12. SI tuus iste, nescio quis, Tabellarius recte incessisset, vel potius suo die tuas literas mihi reddidisset, eæ in Manutii fratris tui decessum incidissent, qui a me III. Non. Octobris cum monili pretioso discessit, ut, si spem aliquam in via augendi ejus fœnoris concepisses, eam plane totam deponas: tametsi, quicquid in hoc peccatum est, quod quam multiplex sit, vides, tota tua culpa est, qui Cæsennæ ad publicum hospitium consistere, quam Lugi ad tuum Riccium accurrere, maluisti. Primum enim Romæ cum comite isto [si modo quid est de comite] te eum Lugi potius commoraturum, quam Cæsennæ, constituere debuisti. Deinde, si id Romæ non vidisti, cum mihi Cæsenna literas dabas, non venit in mentem, cui, aut unde etiam scribebas? Hæc duo si considerasses, Riccium tuum jam decem dies tua præsentia non defraudasses. At hoc, inquies, quidem succurrit; loci enim propinquitate admonebar; sed serius. Jam enim Romæ Cæsenna cum comite locus erat constitutus. Quasi vero centum M. passuum Cæsenna Lugum tibi divertendum fuerit, aut non commodissime ei significare posses, te locum ex Cæsenna Lugum feciſse, quando nominum tam bellus commutator es factus, qui te isthic ex Manutio Prosperum facias. Sed credo Prosper iste me quoque fallere conabatur. Sed cur te non commodius Proteum feciſti? Ita me Dii ament, ut multo rectius. Nam in mari quoque regnum obtinuisses tuum. Dii boni, quantum mihi risum ea tuæ Epistolæ pars excitavit! Moriar, si umquam tantum. Sed risus missos faciamus, ac serio agamus. Ego te hic expecto, aut tu me isthic primo quoque tempore expecta; hac tamen lege, ut ad publicum hospi-

tium

tium lautioribus me cœnis accipias, neque ſine equo, ac Jacobo noſtro, ubi ego te tanto ſumptu mulctabo, ut in reliquum iter, etiam ad unum me, non modo ad Hunnos, viaticum te ſit omne defecturum, quando ex larga ea ſpe jam plane te decidiſſe intellexti. Quare, ſi tibi recte conſulas, ad nos primo quoque tempore advolabis. Bonifacius Rugerius [ſi quid hoc quoque ad rem pertinet] de te quantum honorifice & ſentiat, & loquatur, dici non poteſt. Is quoque te avide expectat. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Paulo Manutio S. D.

Certiorem facit, ſe aſſidua, ac vehementiſſima febri laborare, vitæque perexilem ſpem ſibi relictam videri; a ſe animæ prius Chriſtiane conſultum; deinde uxori, reliquiſque rebus ſuis teſtamento cautum: ſcripta ſua ſe ipſi relinquere, ejuſque fidei committere: orat, ut ſuam primo quoque tempore fidem ſtudioſis omnibus in Particulis edendis peramice liberet: denique, ſe Bibliothecam ſuam Auguſtino Abioſio venire velle, ſignificat.

13. DEcimus hic agitur dies, Manuti, cum in febrem aſſiduam, atque eandem vehementiſſimam incidi, ex qua Dii ipſi, ſi rectum, piumque oro, ut convaleſcam, efficiant. Nam, ut nunc quidem eſt, perexilis ſane vitæ ſpes relicta videtur. Sed cum nudius quintus, poſtquam animæ, ut par fuit, Chriſtiane conſului, Floræ quoque uxori mihi chariſſimæ, & reliquis meis rebus teſtamento cavi; reliquum erat, ut idem meis ſcriptis proſpicerem, quod per alium neque commodius, neque fidelius, quam per Manutium facere ſum viſus. Quare ea tibi relinquo, tuæque fidei committo, proque ea neceſſitudine, qua conjunctiſſime inter nos viximus, etiam, atque etiam commendo, ut meam primo quoque tempore fidem ſtudioſis omnibus in Particulis edendis peramice liberes. Auguſtino Abioſio Bibliothecam meam venire volo, cui a me ſalutem plurimam imperties, ac ambo valebitis, veſtrumque Ric-

cium, ut virum fecistis, ita mortuum amabitis. Vale. Ravennæ VIII. Cal. Apr. MDXXXVIII.

www.libtool.com.cn

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Paulo Manutio S. D.

Ferrinum amicum tu nobis e patrum cœtu, ubi dimissum tempus dolendo deplorabas, ubinam, semper eheu tempus dolendo lugere non posse, cum maxime esset flebilis, qui quotidie cum Cimone e re tua uteretur. Tamen si memoriam hb. teneres, & afflictæ animæ vires accubuissent; e te in eos, quos Orationem tertiam, De senectute habuimus cum Gerardo, veremque e missurum, ut scias de te libenter admoneri, oblatæ, ac quamquam ea, ut perennis consistat, ac te mihi curet.

Ad SCribis, tibi allatum esse, Ferrinum diem suum obiisse. Ita est, Manut. : sed non tam prudens tibi nuntiatus est de eius obitu. Scribendum enim fuit, Ferrinum nobis e pestifera subito ereptum fuisse. Is enim Mutinam Principem suum sequens, e vinere in febriculam incidit levissimam. Tertio die, cum Mutinam perrexit, mortuus. Nam, ut Ferrariam relatus est, etiamsi non ægre, & vespertino tempore, mortuum tamen pene, cum vivum relatum esse, dixi noteis. Cui cruor, ac brachia non solum calore naturæ destituta, quasi glacies, rem significarent, sed quæ carbonem extinctum nigrore, imitarentur. Oculos ille, ille vultus, ea gratia omne. Venas, & decor affatim aberat. nulla Ferrini imago remanserat tantum, & cranionem retinebat, donec, ultimum ego funerum, cui in tui obitu nobilium amicum a te admissi, pene Riccium compatrem tuum carissimum, ac caute afferens, ne primo illorum aspectu, quicquam reliquum timeretur animæ, quam ille quamdiu posset retinere studebat, e subito defecerat. Ne ego quidem hanc cunctis gratiam fecit, quos maxime vidit nobis. Sed nescio, unum agebat, ut quam Deo hanc decedere, ac quos nullo dubium est, quos afferet, qui Christianissime decesserit. Ita Ferrinus nobis ex mente, ex moribus, ex fructu, maiore etiam fere reverentia auferetur, in cuius morte nun-

nuntio tibi allato, puta de Ricci tui quoque obitu eſſe nuntiatum Nam, quicquid nunc ſum reliquus, Manuti, umbra ſum; quod ſpiritus fuit, id cum Ferrinio mortuum eſt. Quid faciam? Ita ſum in eos, quos maxime diligo, ut illum faciebam, teque facio. Camillo, inquies, filiolo tute conſule, Ricci. Neque mihi, neque illi deſum, ſed nihil proficio. Dolor conatus meos ſuperat, lachrimæ erumpunt; totus conficior. His accedit, quod major ejus filius, qui quotidie cum Camillo a me docetur, ſi quid temporis remedio tantum dolorem levare poſſem, non ſinit, ut faciam. Sua enim præſentia memoriam parentis mihi renovans, aſſidue vulnus refricat acerbius. In hujus funere Orationem ſcripſimus; fecimus etiam ſermonem, an fletum potius? quem habui cum Gregorio Gyraldio, de ejus obitu. Iſti, ut hæc edam, inſtant, & cogent tandem; tum commodius utrumque ad te mittam. De re autem noſtra libraria, etſi nihil jam prorſus mihi laboro, filii cauſſa ea me tamen cura ſolicitat. Si quid potes, eam confice. Si non quanti res eſt, ac nos cuperemus, at quanti poteſt, ac, quicquid adhuc ex ea confectum eſt pecuniæ, id ſi mitti curabis, percommodum illi accidet, cui tu nunc, ac poſthac parentis loco es futurus. Vale, vale, Manuti, Ferriniumque communem fere fratrem, mecum defle. Ferrariæ.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Paulo Manutio S. D.

Certiorem facit, ſe Comaclio Ferrariam graviſſima febre laborantem advectum fuiſſe: itineris difficultate tres dies in via conſumptos, ac ſe pœne demerſum ad Argentam ſignificat; nunc quidem domi ſe cum ſuis ſine febri eſſe, ſed ita interdum tuſſi angi, ut pœne ſpiritum intercludat: hortatur, ut lagenulam vinoſam mittat, quam ſe diligenter curaturum pollicetur, ut vinulo plenam remittat ipſius palato admodum jucundo.

15. QUo die tu, Manuti, Ferraria Venetias, ego Comaclio, ut ex tui diſceſſus die conjicio, Ferrariam appuli; ſed tu felicius omnino, qui ſatis

ſatis valens ad tuos rediiſti. Ego enim, qui valentiſſimus a te diſceſſeram, graviſſima febre domum ſum advectus; ut Comaclium Dii omnes, quantum in ipſis eſt, perdant, multo etiam magis, quam nunc eſt, in ſua mera ſolitudine perditiſſimum. Hoc in loco, ut audis, cum me febris graviter affligebat, tum id etiam non levius excruciabat, quod, qui in febris horrore, aut etiam in ſummo poſtea æſtu, quicquam officii, quod in tali re præſtari ſolet, nullius erat, præſertim cum domi cariſſimam uxorem haberem, quæ utrumque amantiſſime facere poſſet: quo facto tu quoque mihi in mentem veniebas, cum proxime Ferrariæ tuam in tua febricula ſæpius vocares. Sed tu minus miſer fuiſti, qui tuum Riccium tibi aſſidentem ſemper habuiſti, ego vero omnium miſerrimus, qui nullum meum Manutium habui, ubi niſi mare, litus, palus putida, via vero domum multo his etiam infeſtior, quæ me tres dies retinuit, cum ſuapte natura, tum etiam temporum iniquitate. Padus enim utramque ripam exuperans ſexcentis in locis navem trahi poſſe prohibebat, adverſo autem flumine tantum remis in tanto Padi impetu uti amentiſſimi erat hominis. Ad Argentam vero, ubi ſe ad Blaſii vicum deflectit Padus, pœne demerſus ſum. Deus me ſervavit, cum, quo navigaremus, noctis obſcuritate nihil cerneretur. Domi nunc ſum cum meis, etiam ſine febri, quique tam longam epiſtolam ſcribere potuerim, tametſi ad Cœlum nondum ſatis audeo exire. Tuſſis enim interdum me ita angit, atque conquaſſat, ut pœne mihi ſpiritum intercludat. Sane videres, cubanti cum exoritur [is enim ſtatus illi inimiciſſimus eſt] me longe ſaltu exilientem, atque ea conflictatum, non prius ſpiritum recipere poſſe, quam prope oculi ex ſuis locis exiluiſſe videantur. Quare Trimezimium noſtrum nondum viſi, ſed, cum primum mihi domo per infeſtiſſimam hanc tuſſim exire licebit, ad eum accurram, ut conſoler, tuique abſentis deſiderium mea præſentia leniam aliquo modo, ac ad vinulum illud, quod ei tu tuis verbis in tantam gratiam poſuiſti, jucunde invitem. Utinam vero ſe idem ad finem præſtet, ac ne aufugere ſtudeat. Certe mihi peregre redeunti non idem eſt viſum, quale ex uſu videri antea quotidie ſolebat. Senſi enim, quaſi heſpes, neſcio quid in eo ineſſe non ſinceri, niſi id ex meo ſto-

ma-

macho magis contractum eſt vitii, quod equidem valde cupio, atque ſi ita eſt, Comaclio jam ignoſco. Neque hoc tamen eo dictum eſſe velim ipſe ſuſpiceris, ut hoc modo ejus mittendi fidem meam tibi liberarim. Nam, ſi vel fugiat; fugere non poterit, quin mittatur; mitte tu modo lagenulam vinoſam, cætera ego diligenter curabo. Tuas literas avide expecto, ut ſciam quam recte confirmatus domum perveneris. Vale, Aldinoque ſuavioluum dato.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Paulo Manutio S. D.

Maſeji obitum cum Manutio deflens in ejus laudes excurrit, lætandumque potius, quam dolendum oſtendit, quod ex his erumnis in ſummam, atque æternam felicitatem, quam Deus ab initio illi, ejuſque ſimilibus conſtituit, evaſerit.

16. *Ergo Maſejum perpetuus ſopor*
Urget? cui pudor, & juſtitia ſoror
Incorrupta fides, nudaque veritas,
Quando ullum inveniet parem?

Poſſum ego, Manuti, prope verſibus iiſdem tecum Maſeji noſtri obitum deflere, quibus Horatius Quintilii cum Virgilio deflet. Siquidem iis ille moribus, atque ea vitæ integritate præditus fuit, ut qui pares paucos, ſuperiorem haberet neminem; atque eo magis, quod qui alii hiſce virtutibus ornantur, iis hæ gradatim cum ætate accedere ſolent, hic vero quaſi naſcens, eas ſecum extuliſſe videbatur. Continuo enim in ipſa ephebi a ut vir probatus eſt, in adoleſcentia vero maturam gravitatem, quaſi quæ in ea ſenectutem ſuam ageret, præ ſe ferebat. Quare ab omnibus valde amabatur, a Principibus vero eo in pretio eſt habitus, ut a Paulo III. Pontifice Maximo, quo a ſecretis uteretur, Romam ab uſque Patavio accerſitus ſit; in quo ſuo officio eam operam navavit, atque ea fide in eo ſe decem annos præſtitit, ut tertio anno antequam Pontifex decederet, ab eo in Cardinalium Collegium cooptaretur, quam ſacroſanctam Dignitatem integerrime poſtea ſemper geſſit.

Nam,

Nam, cum Regiæ diſſenſiones ita univerſam Chriſtianam Remp. invaſiſſent, ut quotidie in ea recenti [quid enim dicam veteri] vulneri novum vulnus adderent, atque uſque eo penetrare non dubitarent, ut in Pontificiis etiam ſuffragiis decertarent, atque impotenter digladiarentur; in his Maſejus ita ſe geſſit, ut cum neutri parti adhæreſceret, utrique tamen percharus haberetur. Aut enim hic cum paucioribus, iiſque probatiſſimis, ac doctiſſimis Viris agebat, aut in ſua ſtudia ſe ſe abdens, ubi aut novi quid ſcribens, aut in Pauli III. Pontificis Maximi Hiſtoria, quam ipſe ſcripſerat, ut eam politiorem brevi in vulgus ederet, aſſiduo ſtudio verſabatur. Quare jure bonis omnibus flebilis diſceſſit; mihi quidem in primis, qui cum eo ab ineunte ejus adoleſcentia ſumma familiaritate conjunctus eram; tibi vero, Manuti, omnium maxime, cui ad veterem neceſſitudinem magna etiam ſpes accedebat, fore, ut Aldo filiolo tuo non parum opis afferret in aliqua Sacerdotii collatione, cujus etiam optimi erga te animi ſui certam jam ſignificationem in LX. aureorum in ſingulos annos illi attributorum certiſſima penſione dare incœperat. Si tamen nos rectius rem conſiderabimus, multo æquius faciemus, ſi eum ſumma lætitia proſequemur, ut qui ex his ærumnis in ſummam illam, atque æternam felicitatem, quam Deus illi, atque ejus ſimilibus ab initio conſtituerat, evolavit. Certe lucem hanc intueri, Cœlo hoc ſpirabili perfrui amens ſim, ſi non optem; ſi vero contemnam, impius; nihil enim in terris homini ſuavius, nihil charius dari poteſt; ſi tamen noſtræ cogitationes ſe paulo altius tollant, ac, quæ tandem humana ſit conditio, æquius perpendant, ſi non hanc vitam deſerere optemus, certe, ut nobis ex ea migrandum erit, ejuſque dies poſtremus venerit, id haud moleſte ferre debebimus; præſertim cum id omnibus omnino faciendum ſit; neque propterea quis levius decedat, qui octingenteſimum annum, quam qui octuageſimum agens, deceſſerit. Quare, Manuti, lætemur potius, [ut in hoc quoque a vulgo ſecernamur] quod Maſejus noſter eum vitæ curſum confecerit, quem Deus illi præſcripſerat, neque nos quicquam moveat aut ejus adoleſcentia, atque florentior ætas, quaſi qui jam multos annos nobiſcum eſſe poſſet; quando quaque ætate quis deceſſerit, mature, & ſuo tem-

tempore deceſſiſſe videatur ; neque ea benevolentia, qua mutua tenebamur, quaque etiam præſentes perfruebamur, nos tantopere ſolicitet. Nam, quod ad nos, ea quoque mortuum proſequemur. Multo vero minus utilitas noſtra nos tangere debet, ne in amico magis commodum noſtrum, quam ejus diſceſſum lamentari videamur ; magiſque inter nos, atque etiam cum cæteris Chriſtiane agere ſtudeamus, ut, cum hinc nos quoque evocabimur, cum hac ſpe ad Beatorum ſedes evolemus, tum poſteris noſtris ſanctiorem noſtri memoriam relinquamus. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Paulo Manutio S. D.

Rogat, ut poſt Parthenium in Aonii honorem incumbat, præſertim cum plures annos ipſe cum Aonio ſumma benevolentia conjunctus ſit, ille vero menſes tantummodo cum Parthenio.

17. PArthenium tuum antea mea ſponte cum cæteris ejus generis optime literatis Viris amabam ; nihil enim acciderat, ut hanc benevolentiam ei ſeparatim præſtarem ; nunc vero, cum te illum tantopere amare ſcribis, ego quoque tua cauſſa, ei ut omnia optata veniant, cupio. Quare, ut in omnem ejus honorem incumbas, per me quidem licet. Verum, mi Manuti, ſi quid poſt hunc, id, ut Aonio noſtro velis, te ita rogo, ut ſi id ipſum mihi ipſi rogarem. Tanti ego hunc, idque jure optimo facio, quantum tu Parthenium tuum facis. Id mihi amplius ut concedas, neceſſe eſt, quod me cum meo ſumma benevolentia plures annos, qua tu cum tuo menſes, arctiſſime conjunctum eſſe vides. Quare tu quoque eum erga meos animum habebis, quem me erga tuos habere ſentis. Vale.

BAR-

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Paulo Manutio S. D.

Orat, ut quamprimum prælis ſuis decem ſuarum Epiſtolarum libros ad amicos ſcriptos edendos curet, ut ſaltem ſciat, ſe decedente, in ea quoque parte aliquid, quod ſecum non concidat, remanere; hortaturque, ne ſibi caveat a Bononienſi Cœlo multis in locis peſſime improbato.

18. SCripſi ad Corradium, ut de Epiſtolis noſtris edendis tecum ageret diligentiſſime, cauſſamque, quamobrem id eum rogaſſem, etiam adſcripſi; nunc idem tecum ago. Quam ego a te, Manuti, quæ ab amico expectari poſſint, omnia expectare poſſim, tu optimus teſtis es, quem ſcis a me tanti fieri, quanti a quoquam alio fias. Equidem in benigne tibi faciendo tuis Bononienſibus vel meo ſummo cum dolore poſſum concedere, in te vero vere amando ne ab Antonio quidem fratre tuo, tuique amantiſſimo, vincor. Quod cum ita ſit, ſpero te quoque in amore mecum mutuum facturam, in eo præſertim, in quo meæ vitæ ratio non agitur parva. Vides, mi Manuti, me in decrepitam ætatem [quid enim dicam in ſenium labentem] quam vitam, quoniam quam communis ejus curſus ratio poſtulat, longius proferre in mea non eſt poſitum manu, cupioque non ſolum hoc ſæculum aliquo modo, ſed æterne, ſi poſſim, vivere; ſaltem, quod mihi in eo præſtare permiſſum eſt, ne omiſiſſe videar, magnopere ſtudeo; id autem eſt in reliquorum meorum ſcriptorum editione collocatum, quæ ſi divulgentur, non dubito, quin in doctiſſimorum Virorum aliqua memoria nomen meum ſit aliquot etiam annos perduraturum. Ex iis autem nunc decem Epiſtolarum libros ad amicos ſcriptos edere ſtatui, hos autem ut a te exirent, multis de cauſſis mirum in modum cupio. Quare te etiam, atque etiam rogo, ut hanc mihi gratiam facias, quam etiam alieniſſimis quotidie facis, ut tuis prælis publice deſcribantur; quantum autem in rei ſumptum impendendum dixeris, tantum tibi continuo diſſolvam. Sed cum hoc te rogo, tum illud etiam oro, ut id ipſum quamprimum fa-

faciendum cures, ut ſi earum lectione diutius frui nequeam, ſaltem ſciam, me decedente, in ea quoque parte aliquid, quod mecum non concidat, remanere. Vale. Cum has eram ſignaturus, tuus nuntius advenit, qui, ut me de iis, quæ ante libenter ex fratris tui literis noveram, certiorem feciſſet, me non levi affecit moleſtia; cum diceret, te numquam iſthic ſatis belle habuiſſe. Manuti, mihi omnia Bononienſia in Cœlo ſunt, Cœlum autem iſtud multis in locis peſſime improbatur. Quare ab iſto, ut a valde peſtifera beſtia, etiam atque etiam cavebis iterum. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Paulo Manutio S. D.

Fato magis regi homines, quam prudentia, ex ejus conſilio repente commutato Ferrariam cum familia commigrandi, ut conviva ſit cum ceteris nobilioribus Hippolyto Aroſtio Cardinali, oſtendit, ejuſque adventum ſingules ejus amicos ſecum avide, anxieque expectare ſignificat.

19. EQuidem, Manuti, ea olim ſententia fui, ut magis homines ſua prudentia, quam ullius fortunæ arbitrio regerentur, quam etiam meam ſententiam ſuis validiſſimis rationibus in meis libris de Gloria ſatis tueri videbar; nunc vero totus hæreo, ac parum abeſt, quin ab ea ſententia diſcedens, a me ipſo ad eos, qui contra ſentiunt, palam fiam transfuga. Nam, cum jam ſæpius ante omnes amici tui, iique principes interdum Viri, in hanc curam ſtudioſiſſime incumberent, ut Ferrariæ commode, atque cum aliqua dignitate agere poſſes, nihil tamen ſuo ſtudio, atque auctoritate proficere umquam potuere; ſuperiori vero æſtate, cum Bononienſes, ut te ſecum haberent, omnem honeſtam conditionem tibi proponerent, ego, & Pigna interea omnia tentavimus, ut te illis interciperemus. Plane enim ſcis, cum hac Venetias rediens tranſires, te biduum nobiſcum moratum; quo tempore, ut perpetuo eſſe poſſes, omnia noſtra conſilia contulimus, quæ ita tu probaſti, ut, ſi a Principe Hercule honeſta aliqua conditio tibi afferretur, tum rem facile abſolvi poſſe putares. Is eam affert æquiſſimam.

Tem-

Tempus poſtulas ad deliberandum : datur : diſcedis : res poſtea multos dies per literas ultro , citroque miſſas tractatur , neque tamen quicquam perficitur. Utrum an in decernendo , utram acciperes [ne quid de Romana , ac Papienſi dicam] non ſatis conſtituebas? Ita ſenſim res tota poſtea refrixit , atque agi eſt deſita. Ecce autem tibi , atque etiam alia omnia agenti , qui te tantum nomine cognoverat , ad te adit , atque ita tecum agit , ut non prius diſcederet , quam te Hippolyto Ateſtio Cardinali ſuo ampliſſimo familiarem efficeret. At qua familiaritate? qua illi cum cæteris nobilioribus conviva eſſes. Cui honori CCC. etiam ſunt addita. Qua una magnifica conditione , ſi non perpetuo Ferrariæ , ubi is nunc jam longum tempus agit , certe magnam temporis partem es commoraturus. Ecquid ais , Manuti? Num ita eſt? *Cedant* , inquit ille , *arma togæ* ; ego vero , inquam , cedant conſilia fato ; ita enim ab initio erat in mente illa conſtitutum , ut hac ratione , atque hoc tempore , Ferrariam cum familia commigrares , nos vero tui omnia fruſtra experiremur. Cui iſti tuo tamen fato multo equidem debeo , quod fatalem meum diem anteceſſit , qui in mea ſenectute veterem conſuetudinem renovare potero , cujus etiam recordatione videbor quodammodo annos quoque renovaſſe. Sed Dii iſti peſtilentiæ omnia mala dent , quæ te nobis tot menſes intercepit. Nunc vero , cum ea ita ſe remiſit , ut omnibus , qui cum fide publica iſthinc diſcedunt , a cæteris Civitatibus accipiantur , quid ſtas? cur non huc advolas? quid te amplius remoratur? At oculi , inquies , parum etiam lippiunt. At , mihi crede , ut caliginoſum iſtud Cœlum reliqueris , ac in Pado noſtro ſemel eos laveris , omnem in perpetuum tibi lippitudinem abſterſeris , neque tibi umquam poſtea dolebunt. Si igitur cætera parata ſunt , continuo navem conſcendas ; ſi vero conſcenderis , vela fac ; ſi ea feciſti , remis etiam incumbe , ut primo quoque tempore tuis familiaribus tui deſiderium expleas. Te Ceſanius Vir optimus , qui de te optime & ſentit , & loquitur , quemque tu omnium plurimi facis , cupide expectat ; eſt Locatellius Philoſophiæ ; Juris Civilis Catius ; Cananius vero medendi artis haud imperiti Viri. Familiæ item gubernator , quique a ſecretis eſt , horam illam non vident , qua te fraterne amplexentur. Extra autem familiam veſtram

ſtram Pigna, & Riccius pro tuo adventu etiam vota faciunt, quibus tu contra item, qui te poſtea peramice perfruentur. Sylvius Antonianus nobis accedit, mirificus adoleſcens, qui de unaquaque re, quæ ei ſubito propoſita ſit ad dicendum, Hetruſco verſu, idque ad lyram, optime canit. Sed hoc ad vulgi aures, tuis autem doctiſſimis in Latinis etiam non minus ſatisfaciet, qui tui videndi ſummo exardet deſiderio. Vale. Ferrariæ VI. Cal. Decemb. MDLVI.

MANUTIUS

Bartholomæo Riccio S. D.

Nihil eſſe in ſuis conſiliis antiquius reſpondet, quam ut in aula eximii Principis, ac Viri præſtantiſſimi Cardinalis Hippolyti Eſtenſis conſeneſcat: multis rebus ſe impedirè ſubjicit, ne ſtatim Ferrariam ſe conferat, ubi ejus ſermonibus, humanitate, & lepore fruatur, interruptamque multorum annorum conſuetudinem reſarciat.

20. VEra narras, optime Ricci, atque ita narras, ut in magna tuarum literarum prudentia facile tamen amor interluceat. Mihi, ut ſcribis, conditiones hoc biennio delatæ ſunt multæ, quinque fere, aut ſex, omnes cum emolumento, nulla ſine dignitate; fecit tamen ſive valetudo mea, ſeu voluntas, ſeu fati potius, quæ in rebus humanis dominatur, occulta quædam vis, ut omnes rejecerim, hanc poſtremam, ut dederem me ſummo Cardinali Hippolyto Eſtenſi, unam avide ſum amplexus, unam omnibus antepoſui, nec eſt in meis conſiliis quidquam antiquius, quam ut in illius aula eximii Principis, ac Viri præſtantiſſimi conſeneſcam. Quare quod hortaris, ut ad vos quamprimum me conferam, non efficis, ut cupiam, qui cupiditate jam ardeam; dolorem potius auges, cum intelligam, quod maxime volo, id me conſequi hoc quidem tempore non poſſe. Nam, ut omittam, quod hæc me frigoris acerrima vis, & intemperies Cœli ſemel, aut iterum cubiculo egreſſum peſſime accepit, & in eadem clauſtra, in eaſdem, ubi multis jam menſibus jacui, tenebras retruſit; præterea pietas me retinet. Fratres habet uxor

mea duos, quos ego ambos unice diligo, contraque ipſi mihi ſingularem non modo benevolentiam, verum etiam obſervantiam præſtant; probi ſunt adoleſcentes, ingenio, modeſtia, virtute etiam ornati, una re minus laudandi, quod inter ipſos non convenit. Orta eſt inter eos, poſt obitum patris, de hæreditate diſſenſio; inde lis, inde odium, quod niſi ego me interponerem, niſi utrumque prehenſarem, rogaremque per parentis manes, per ſolitudinem matris, per exiſtimationem familiæ, conflictarentur aſſidue turpibus judiciis, gravi jactura famæ, magno rei familiaris detrimento. Hoc ego dum verſor in negotio, dum in eo ſtudium, operamque pono, ut uxoris meæ fratribus conſulam, putem mihi eſſe verendum, ne quis me, ſana præditus mente, reprehendat? Non puto. Num igitur, hoc te judice, pertimeſcam? Hem Ricci, qui Sacris in Literis non ambitione, ut multi, ſed ita verſatus es, ut ſcientiam e libris petitam vita exprimeres, quæ ſunt illa præclara, quæ nos Magiſter ille bonarum actionum optimus edocuit? Non hæc ſunt, egentibus ſubvenire, errantes in viam, diffidentes ad concordiam revocare? Ama igitur me de hoc officio; non poſtulo, ut laudes. Jam enim didici vel ætate doctus, vel morbo admonitus, recte factorum fructum a Deo potius, quam ab hominum judiciis, expectari, omnemque laudem non in honore verborum, ſed in ipſa re, atque in una virtute conſiſtere. Vides jam duas eſſe commorationis meæ cauſſas, utramque ſatis gravem. Accedit tertia, ne ipſa quidem levis, ut imprimam librum meum de Legibus Romanis, quem flagitantibus multis debere jam diutius non poſſum, eoque magis in hanc voluntatem incubui, quod inſcriptum opus Hippolyto Cardinali, cui me addixi totum, emittetur. Reliqua deinceps, quæ ad Romanas antiquitates pertinent, ſuo quidque tempore, abſolventur, & in ejuſdem Cardinalis nomine, ſi modo hoc illius modeſtia patietur, apparebunt. Ad me quidem quod attinet, quæ juris mei ſunt, volo omnia ab illius voluntate pendere. Si quid ingenio, ſi quid literis conſequar, ad unius arbitrium refero; unius laudem mea ſtudia ſpectabunt; uni poſthac mea ſerviet induſtria. Tu, mi Ricci, fac tibi ita perſuadeas, amabiliorem mihi Ferrariam fore tua cauſſa. Tuis enim ſermonibus, tua humanitate,

te, tuo lepore frui, interruptamque multorum annorum consuetudinem licebit aliquando resarcire; quod ut sit maxime diuturnum, opto vehementer, & ut tu amantissime auguraris, etiam spero. Vale. Pignæ nostro salutem plurimam. Venetiis Pridie Id. Decembb.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Manutio S. D.

Significat, se suæ messem satis uberem curantem, villulamque rustica pictura exornatam commorari; maximeque cupere, eum secum esse. Nonnulla addit de Camilli filii peregrinatione, maremque sibi referre, cum ex illa nonnihil mansuetioris animi domum reddisse, & cum libris in gratiam rediisse videri.

21. UTinam mecum esses, Manuti, ubi tuæ mihi literæ sunt redditæ, atque eo animo, ac corporis viribus, non autem eo annorum numero, quo ego sum, esses. Lætior, atque valentior esse non posses. Ruri sum messem meam satis uberem curans, atque interim villulam rustica pictura exornans. Hic accedit, quod nihil urbani æstus sentires, qui, si usquam Cœlum inflammat, Venetiis ardentius inflammat. Nam etsi laxissime habitas, nulla tamen liberior, ac salubris aura æstum istum tibi lenit, atque temperat; cum hic omnia contra, & summa amœnitate plena. Sed hoc magis optare, quam sperare possum, quando, quod in rem tuam maxime futurum erat, Cardinalem tuum vel semel visere nunquam per tuos oculos quivisti. De Camillo, ita ut tu scribis, facere constitui; quin quo is tempore peregre erat, ego cum Madio, cum Sylvio Antonianio, ac alio hujus generis hominum comitatu in mea Ricciola in Quartisano suo me oblectabam, quorum utriusque in urbem reditus forte in eundem diem incidit. Mane enim ego, ille vesperi advenit. Paterne accipitur. Ut enim nuntiatur, Camillum pultasse, continuo mater se scalis deorsum in ejus complexum præcipitem demittit. Ego illum in Bibliotheca expectavi. Cætera non sine lachrimis. Pater sum, ac unius ejus tantum filii pater. Vesperi sub cœnam omnem suam peregrinationem nobis

exponit, ſatis eam quidem commodam, niſi, quod a meis amicis neque iſthic, neque Patavii eo vultu accipitur, quo antea mecum factus erat. Solus Ruſcellius facti neſcius, illum amiciſſime complexus eſt. Cauſſam illi attuli, quia ſine meis ad omnes literis, qui magis aliquid mali eo ornatu, quam boni, accidiſſe facile ſuſpicarentur. Cætera multa in eam ſententiam; quæ omnia viſus eſt in eam partem, quam debebat, accipere, ſeque Patavii mire cupere ſequenti anno ſuis ſtudiis operam dare dicebat. An id ſtudiorum cauſſa, an liberius agendi poteſtate a cuſtode parente remotior faciat, haud ſatis diſpicio. Mater refert ex iſta peregrinatione nonnihil manſuetioris animi domum retuliſſe, atque cum libris in gratiam rediiſſe videri. Ego fidelem noſtrum, ſcis bene quem dico, ne referat, magis metuo, neque id cum eo diſſimulo. Tam enim cito ut deferbuerit, adduci non poſſum, ut credam. Interim autem aſſidue eſt ad Aloyſium Ateſtium in iis, qui ei in cubiculo operam dant, qua una ratione aliquantum in rationis gyro continetur. Dii illum melius, quanto etiam me meliores ſunt, curent. De tuo Betonicatu, ut in urbem rediero, diligenter curabo. Vale. Ex mea villula Ricciola. Non. Jul. MDLVII.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Aldo Manutio Pauli Filio S. D.

Queritur, ſibi libellum Ciceronis locutionum ab eo conſcriptum, & editum non fuiſſe miſſum, petitque, ut ſtatim mittendum curet.

22. ITa ne, Alde fili, cum Riccio altero parente tuo tam parum benevole agis? qui libellum beliſſimum Ciceronis locutionibus conſcriptum edidiſti, neque mihi non ſolum meum volumen non miſiſti, ſed ne de eo quidem aut a te, aut a patre tuo Paulo verbum eſt factum? quaſi ego tuæ iſtius gloriolæ non ita cupidus ſim, atque is Camilli filii mei, ſi quid tale edidiſſet, fuiſſet. Sed ego tibi facile ignoſco, qui adoleſcentulus hæc non videris; non ita illi, quamvis perpetuum oculorum morbum mihi objiciat. Hoc enim animi, atque bene-

benevolentiæ, non autem corporis oculis cernitur. Ita tibi quoque tamen ignoſco, ſi, quod in ea re damni tua culpa feci, id mihi præſtandum curabis, hoc eſt, ſi meum mihi volumen remiſeris, aut gratis, aut quanti quanti indicetur. Parenti tuo non ſcribo. Proxime enim is ad me ſcripſit, poſtero earum literarum die iſthinc Brixiam eſſe diſceſſurum. Cum ad eum ſcribes, meo nomine illi ſalutem adſcribes. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Gabrieli Ceſanio S. D.

Gratulatur de Epiſcopatu ei delato, jocaturque, iſtius generis Dignitates podagroſis plerumque demandari, quia optimæ ſunt, & ad eorum dolorem valde deliniendum accommodatæ.

23. TAntum tibi ex iſtius Epiſcopatus tui Dignitatis acceſſione gratulor, quantum dolui ex Cardinalatus amiſſione, ſi noſter Maximus Pontifex factus eſſet. Nulli enim dubium eſt, quin, qui tibi Cardinalis Epiſcopatum ſua ſponte detulit, multo libentius Pontifex Cardinalatum detuliſſet; ſed illud in ſpe, hoc in manu, ac quaſi illius viæ præmunitor. Verum cum hoc gratulor, tum etiam eo doleo, quod mea congratulatio in tuum morbum inciderit. Audio enim, te non ſatis belle habere; ſed tanta Dignitas vel cuique morbo ſaluberrima poſſet eſſe medicina, etiam ſi podagra te acrius torqueret; neque alia ratione factum arbitror, ut plerumque podagroſis iſtius generis dignitates demandentur, niſi quia optimæ ſunt, & ad eorum dolorem valde deliniendum accommodatæ. Sed ſatis de jocis. Dii tibi præſentem Dignitatem fortunent; ſperatam etiam brevi concedant, cui, quanto hac major erit, tanto ego quoque graviorem polliceor congratulationem. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Gabrieli Cesanio S. D.

www.libtool.com.cn

Manutii epistolam mittit, ut ex ea intelligat, quæ caussa ejus adventum retardet, & ut eum apud Cardinalem suum excuset, fateturque, eumdem in quovis scribendi genere omnium ætatis suæ facile principem esse.

24. MAnutii nostri epistolam, quam ad meam rescribit, tibi legendam mitto, ut, quæ caussa nobis ejus adventum retardet, intelligas, ac, si quid postea opus erit, ejus excusationem apud Cardinalem tuum comprobare possis; utrum autem meam, non satis constituo. Vereor enim, ne si cum ea, quæ est elegantissima, parum compta, minus ornata, ac quasi infans conferatur, multum de ea detrahatur; ut ei in scribendo non solum concedam, sed etiam libenter concedam, fateorque meum Manutium in quovis scribendi genere omnium ætatis nostræ facile principem. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Galeatio Gonzagio S. D.

Epistolam mittit, in qua cum Corradio disputaverat, quibus rationibus facile fieri posset, ut Hippolytus Atestinus Cardinalis hoc tempore Summus Pontifex decerneretur.

25. CUm ego quoque cum cæteris nostris mirur
modum cuperem, ut Hippolytus Atestius
dinalis summus Pontifex hoc tempore decerneretur,
bus id rationibus facile fieri posset, satis
ad Corradium nostrum disputavi. Eam longa e
mitto ex iis versibus, quos ipse hodie tibi le
Principem nostrum essemus, in hanc mane.
recitasti, ut videas quam apte sententiar
fer nos

commonefacere, an jure decernere, an pacto mecum convenire malueris. Pactum autem id esse potest, ut aut tuam mihi substructionem vendas, aut eam demoliaris, atque ejus lapides, ligna, ferramenta, cæteraque, quæ ad aliam ædificationem tibi usui evenirent, alio cures transferenda; horum alterutrum si feceris, & æquum feceris, & ego nullam dicam tibi postea dicam; sin aliter animatus sis, ac judicio rem decernere mavis, diem tibi dico Calendas Martias. Solus Princeps Hercules nobis Judex erit, ne causa ullam provocationem habeat, aut in Judicibus rejicendis, si plures deligantur, res longius trahatur. Uterque vero ut causam suam agat, æquius erit, ut omnis prævaricationis suspicio tollatur, ac jure æquissimo decertetur, in quo judicio tibi etiam permitto, ut novo agendę causæ modo agas, quoniam scilicet optimus es Poeta, ut eam tuis etiam grandioribus heroicis pertractes, facile concedo. Sed quid ego imprudens egi? pœne causam meam stultus prodidi, ac mihi insciens etiam prævaricator fui, qui in hac mea liberalitate non animadverti, continuo Judicem tibi benevolentissimum futurum, qui sentiat eo dicendi genere apud se agi, quo ipse quoque maxime delectatur, atque in quo ille etiam non parum profecerit. Quare, quod postremo obtuleram, id revoco, oblatum recipio; sed de more utrinque causa, non autem ex altera parte canendo, ut agatur, volo. Sed quid, si, quæ tua summa est liberalitas, reliquum tuum istud ædificium mihi condones, ut qui locupletissimus sis, hoc est, qui infinitis hujusmodi locis abundes? ego vero illud solum mihi in meo perpusillo solo constituerim? quod si faceres, ego tibi gratiam haberem maximam. Nam si me parem relaturum dicam, tantundem esset, atque si id emissem. Nisi postremam hanc conditionem magis probas, ut ego ad primum tabulatum; quod vero supra illud est, ipse æque possideamus, atque ita in unis ædibus, ut etiam fratres consortes, concorditer habitemus. Expecto scire quam harum conditionem acceperis, ut, quid mihi agendum sit, sciam, an causam meam instituam, meque comparem ad eam Judici comprobandam, an tibi de munere tuo gratiæ magis sint in perpetuum agendæ. Vale.

Meum fundamentum in Principis Herculis Ateſtii tormenti militaris, cognomento terræmoti, laudem.

Hoc

Hoc tonat Alcides, hoc horrida fulmina trudit,
Concutit hoc terram, hoc arcibus excidio eſt.
Tua ſubſtructio.
Bellica ſic inter dignum tormenta fuiſti,
Cui prius ornaret ſacra corona caput.

www.libtool.com.cn

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Bartholomæo Mirolio Prætori S. D.

Conſolatur de patris obitu eas omnes rationes afferens, quæ in tanta calamitate filii dolorem lenire poſſe videntur: hortatur, ut ad prudentiam illam redeat, qua in cæteris conſolandis plurimum valet, quæque eum ad ſummam auctoritatem ipſi a Principe delatam evexit.

28. PIgna noſter mihi retulit, te, ut tibi de patris tui obitu nuntiatum eſt, ita commotum, itaque a te ipſo abalienatum eſſe, ut parum abfuerit, quin ad id nuntii ſubito ipſe quoque occideres, ac, quod reliquum tibi ſpiritus remanſit, id totum in acerbiſſimos queſtus eſſe collatum, neque quicquam aliud ex te audiri, quam hei pater, hei pater, pater mihi rerum omnium chariſſime, nunc me tam longe gentium tam præter omnem expectationem relinquis? in cujus voluptate ego omnes meas voluptates repoſitas habebam? quo uno mihi tam ſubito abrepto, omnis lętitia adempta eſt, vita vero reliqua aceerbiſſima eſt futura? In quo tuo tanto, tamque juſto dolore te equidem non poſſum non magnopere laudare. Major enim plaga nulla accipi poteſt, quam quæ in parentum interitu accipitur, ut unde nos lucem hanc hauſimus, quaque læte perfruimur, eam illis eripi videamus; præſertim cum iis parentibus orbemur, qui in noſtra educatione nihil aut probati ſtudii, aut paternæ pietatis non adhibuerint. Ego quoque adhuc meum lugeo, &, quandiu vixero, lugebo; ſed prudentiam tuam tamen non poſſum non deſiderare, qui cum iſtius jam grandioris ætatis ſis, atque eam totam in iis ſtudiis conſumpſeris, quibus hæc humana non ſolum incerta, manca, fluxa, optime proſpicere, ſed etiam contemnere deberes, ita te nunc opprimi ſinas, ut, ſi nihil unquam de hominum conditione aut ipſe legiſſes, aut de aliis

au-

audiviſſes, nihil in te ipſo alias, aut in tuis propinquis, aut amicis, iis interdum etiam charioribus, aut ſenſiſſes, aut vidiſſes. Quæ res ſi nobis omnino ſolatio eſſe non poſſunt, certe quodammodo iis aſſueſcendo, levior ſuperveniens fit dolor. Jam alter annus eſt, cum mater tibi deceſſit, ſcio tibi tum ex pietate continuo parentem occurriſſe, atque etiam tum de ejus obitu dolore cœpiſſe. Matris igitur dolor, & parentis præſens illa cogitatio recentem iſtum tibi dolorem aliqua ex parte mitiget, atque leniat. Tametſi graviſſimos etiam Viros habes, quos in tuo tanto luctu optime imiteris, qui in chariſſimorum, ac clariſſimorum filiorum obitu [quando in horum morte multo parentes acrius anguntur, quam filii faciunt in parentum obitu] fortiſſimos Viros ſeſe præbuere. Id quod ipſe quoque efficies, ſi ejus perſonæ, quam apud Principem noſtrum, quæ tua virtus eſt, geris, aliquam rationem adhibebis. Id quoque accedit ad tuum tantum iſtum dolorem non parum levandum, quod pater tuus jam ſenex moritur, quæ ætas natura humanæ vitæ finem afferre ſolet; quod quinque filios inter ſe fraterne amantes reliquit, eoſque jam viros omnes, te, ut maximum natu, ita etiam ea authoritate apud Principem noſtrum, quæ maxima eſt, quo poſt multas Præturas æquiſſime geſtas, nunc Conſiliario utitur optimo; alterum, qui rem familiarem domi curat; tertium, & poſtremum milites haud inſtrenuos; inter hos Hectorem adoleſcentem optimum, atque in Philoſophia [de more] inſigni teſtimonio decoratum. At hoc ipſum doleo. Hoc me angit ſolum, quod ea voluptate, quam ex quinque talibus filiis percipiebat, diutius perfrui nequiverit. Quaſi vero neſcias, rerum humanarum conditionem ita ſe habere, ut, quo quis lætius agere cœpit, omnium jam laborum immunis, in ſumma etiam, ut ita dicam, felicitate conſtitutus, eo tempore concedat, atque ex ſummo ſtatu aut præceps dejiciatur, aut etiam intereat. Scio, te recordari me tibi paucis ante diebus, idque de tuis rebus lætiſſimis, cum congratularer, tertiam gratulationem brevi in celeberrimas tuas Nuptias recte eſſe ominatum; eam Diis in hanc conſolationem commutare placuit. Quando iis quoque videbitur, illam etiam tertiam congratulationis cauſſam non negabunt. Redi, redi tandem ad te, Miroli, hoc eſt, ad tuam illam pruden-

dentiam, qua in cæteris consolandis plurimum vales, quæque te ad tantum authoritatis, quanta ea est, quam tibi Princeps noster detulit, evexit. Una illa totus nitere; tibi ipsi tua virtute præsto adsis, atque viriliter consolare, vivasque, quamdiu vivis, neve, quod a te remedii habere potes, id aliunde expecta. Ad tua judicia, ad tuas publicas rogationum subscriptiones redi. Obliviscere desiderium tuum, præsertim ejus rei, quam si tecum etiam aliquot annos habuisses, ea tamen te, aut tu ea eras aliquando carituras; ut, si pater tuus interrogari possit, utrum maluisset, an se tibi, an te sibi superstitem futurum, certe is responderet, se cum naturæ rationi obtemperare, tum ne, quod sibi vel morte ipsa gravius fuisset, pateretur, maluisse. Ut videas, eum quoque in suo obitu hoc tantum malum evitasse, tametsi multo majus est bonum, ad quod perveniisse putatur, quam quod hic ipse eum reliquisse existimas, ad illam scilicet æternam vitam, ubi nihil est, quod alterum interitum metuat; atque ubi te cum reliquis fratribus tuis, filiis suis, cum Deo placuerit, læte expectat. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Bartholomæo Mirolio Prætori S. D.

Orat, ut de Joannis Zaionii causſa jampridem utrinque omnibus rationibus disputata sententiam ferat, neque eam ab adversario diutius cavillationibus trahi patiatur.

29. JOannes Zaionius, qui tibi has literas reddidit, causſam habet cum vitrico suo Puinario, quæ jampridem utrinque omnibus rationibus disputata est. Restat, ut ipse de ea sententiam feras, quæ cum ab ejus adversario diutius cavillationibus traheretur, me rogavit, ut ita tecum agerem, ut hanc sententiam sibi impetrarem. Vides, Miroli, æquissimam amici postulationem, neque te fugit tui officii esse, rem tandem absolvere, bonitatis etiam cavillationibus obviam ire, neque sinere jus ipsum ulla ullius gratia quicquam differri amplius, opprimi vero nullo modo. Quibus rationibus ego quoque id a te contendo, non ut nobis causſam adjudices, ab adversario vero abjudices, quorum neutrum neque

que mea integritas, neque tua æquitas patitur, ſed quod æquiſſimum eſt, ut poſt longiſſimum tempus cauſſam judices, ac de ea ſententiam feras, ita te rogo, ut ſtudioſius rogare non poſſem. Quod ſi a te impetro, erit mihi valde gratum. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Jacobo Grifolio S. D.

Lætitiam ſuam ob ejus literas acceptas, quem jamdiu mortuum putabat, effundit: ſe valere, ſed ab animo non admodum ſibi belle eſſe ſignificat, propterea quod ejus diſcipulus Princeps, patre inſcio, in Galliam ad Regem belli tantum gloria profectus ſit: ſe malle, eum Venetiis Egnatio ſuccedere, aut Bononienſem conditionem accipere, quam Romam abire.

30. O Literas multos mihi annos deſideratas, o diem mihi feliciſſimum, cum a meo Grifolio, de cujus vita ad hunc diem incertus eram, certior factus ſum, eum etiam vivere. Rumor enim apud tuos Venetiis emanarat, quem tuum perpetuum ſilentium comprobat, te diem tuum obiiſſe. Is ut Ferrariam pervenit, me valde perculit. Continuo in Hetruriam ad Aonium noſtrum eas literas ſcribo, quas puto te vidiſſe in eis, quas ille poſtea cum ſuis in vulgum edidit, qui cum te videre, atque valere reſcripſiſſet, vix tamen adduci poteram, ut crederem. Natura enim comparatum eſt, ut, quæ avide cupimus, etiamſi ea videmus, falli quodammodo ſemper dubitemus. Nunc vero omni metu ſum liberatus, cum tu id mihi per tuas literas teſtatus es, quem poſthac Deos omnes, ut incolumem ſervent, rogo, atque oro. Ego, Grifoli [ne mireris, quod potius Grifoli, quam Grifole, te appellem; Latinarum enim familiarum nomina, quarum rationem ſequor, ut ad Herculem Ateſtium Epiſtola mea probavi, quod tu quoque, ſi tibi eſſet integrum, facere deberes, id omnino poſtulant] ego, inquam, Grifoli, valeo cum reliqua familia, etſi Camillus, cum hæc ſcriberem, ex febricula convaluerat. Utinam ab animo tam mihi belle eſſet. Princeps enim meus, in quo uno nunc, cum grandior

dior natu factus eſſet, atque apud patrem majorem authoritatem haberet, omnem meam, hoc eſt, quatuordecim annorum ſpem poſueram, jam quartum menſem, inſcio patre, immo vero cum ejus ſummo dolore, qui mori non potuit, in Galliam ad Regem profectus eſt, neque de ejus reditu ſpes ulla oſtenditur, profectionis autem cauſſa belli tantum gloria fuit. Quæ me res multis de cauſſis angit. Hæc pauca de meo ſtatu. Ut vero ſenſi Urbis tuæ civiles motus excitatos eſſe; continuo tu mihi in mentem veniſti, ac tuorum ſtudiorum aliam rationem, aliam armorum eſſe duxi. Quod vero ſcribis, te Romam cogitare, multæ quidem cauſſæ, eæque honeſtiſſimæ eſſe poſſunt, quamobrem eo te conferas: ego te Venetiis mallem Egnatio ſuccedere, in quam ſpem me Manutius noſter adducere videtur. De Bononienſi etiam conditione ſubaudio, etſi de ea tu ne verbum quidem, quæ eo magis mihi probatur, quod prope una eſſe videremur. Unius enim diei iter diſtaremus, ut aut ego ad te, aut tu ad me, crebro itare, atque tot annorum interruptam, atque etiam intermortuam conſuetudinem quodam modo reſarcire poſſemus. Sed Dii quod melius. Legretio tuo tuæ literæ ut recte perferantur, per Tabellarium noſtrum curabo diligenter. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Jacobo Grifolio S. D.

Rationem reddit, cur ſtatim ejus literis non reſponderit: gratulatur, quod Vincentiæ publicæ ſcholæ cum ſumma Civium benevolentia præſit: ejus Orationes, quæ ſub prælo ſunt, ſe avide expectare ſignificat: de re Corneliana ejus prudentiam laudat, ſeque cum Principe ſedulo acturum pollicetur.

31. NE tibi ſimul, cum ad Cornelium noſtrum reſcripſi, reſcriberem, id effecit, quod tuæ literæ, niſi poſtquam Tabellarius diſceſſerat, mihi ſunt redditæ. At in Cornelii faſciculum conjectæ erant. Ita quidem. Sed cum ego rure in Urbem rediiſſem, uxor, quæ faſciculum diſſolverat, & utraſque legerat, Cornelii, ut quæ majoris negotii erant, mihi in manus dat; eas ut per-

bus blandiuntur, in pluribus vero obſequuntur, haberé non poteſt. Hos igitur, ut accipias, ne expecta, ut te roget. Operam tuam illi ex meis verbis offeres. Ad ejus enim erga te benevolentiam hanc quoque neceſſitudinem adjunxeris, tibique illum multo arctius devinxeris, quorum etiam ſtudio, ſi quid diligentiæ tuæ accedere poterit, ut mea cauſſa accedat, te etiam atque etiam rogo. Vale.

www.libroot.com.cn

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Philippo Ferrio S. D.

Circumforaneum quemdam rabulam ita vivis coloribus, & graphice deſcribit, ut eum videre videaris, & ab eo ſe domi, foriſque obſeſſum ſignificat.

34. ITa bene grati homines, ut iſte Virgiliaſter, de ſe optime meritis gratiam referunt. Venit ad me inops, miſer, ut quem hoſtis nudum reliquiſſet, ſine toga, quæ vero reliqua veſtis, ſciſſa, nedum attrita, ſoleis, ut noſti, abſque ſolea, pileo laneo, eoque, quam vaporarii purgatoris, multo ſordidiori, ore vero macilento, ac quaſi fame enectus, quid multis? centum, qui oſtiatim quærunt, melius veſtitos, atque multo habitiores vidiſti. Continuo Græcas ſe literas optime callere jactat, Latinas qui minus, quas ſuas appellabat? quibus ſatis tamen eruditus mihi inter loquendum eſt viſus. Is conditionem quærit, puta tu, cui ego vel verum Virgilium talem propoſuiſſem filiis ſuis magiſtrum accipiendum. Humane tamen ſum commotus. De meo neſcio quid puſilli primum illi do, atque ita, ut melius poſſum, eum a me dimitto. Poſtridie me domo egredientem adoritur. Cauſſas quaſdam honeſtas mihi fingo, quamobrem cum eo commode eſſe non poſſim. Vix ab eo me avello. Veſperi ad oſtium pultat. Jubeo reſponderi, me foris cœnare. Sed quid verbis opus eſt? Hic jam me domi, foriſque obſidebat, cui moleſtiæ hoc conſilii cepi. A meo Aloyſio duos aureos nummos erogo, quos illi ejus nomine poſtea dono do, illum amice admonens, ne bonis literis hanc injuriam faciat, ut qui iis ad iſtam mendicitatem abutatur. Jam natu grandiorem

rem eum esse ostendo ; ut senectuti consulat, admoneo ; ne in aliquo publico mendicorum hospitio commoriatur, objicio ; quæ, ut a me dicta erant, ita amice accepisse videbatur. Discedens autem, ut se tibi per literas commendarem, instat : vicit : scribo. Sed is eas literas, puto, aperuit, quando eas tibi nullas reddidisse, sed quædam tantum memoriter ex illis recitasse, scribis. In iis fortasse aliquid esse potuit, quo mihi, tibique ab eo prudentius caverem. Sed istum circumforaneum rabulam omittamus. Tibertium nostrum Virum optimum, mihique amicissimum tam graviter pedibus laborare, valde doleo, sed quando *morbus non est*, ut ille, *ad mortem*, æquo animo ferendus est. Illi meo nomine salutem, quam possum, dixeris, quam medici reliquam afferre possint [etsi id morbi ejus generis est, qui medicos irridere solet] ab eis ea petenda est. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Aurelio Tibertio S. D.

Certiorem facit, se de filiis ad Philippum Ferrium scripsisse, additque cujusdam vocis in suo Epitaphio positæ significationem.

35. DE Philippo Ferrio te valde amo. Ad eum scripsi de filiis tuis. Non dubito, quin tibi libenter obsequatur, qui hoc quoque modo suis rationibus multo melius sit consulturus. De voce illa, quæ in amici nostri Epitaphio erat, miror, quid isti dubitarint, quæ planius poni non potuit ; ejus tamen sensus est : quo Consiliario illa utebatur, ac de cujus sententia omnia constituebat. Sed multo graviora sunt consecuta, quæ ad te non scribo, ne majorem dolorem tibi commoveam, quando scribis, te superioribus etiam graviter affectum esse. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Bartholomæo Abioſio S. D.

Bartholomæum Portium ſuum perveterem amicum commendat, ut ei præſto ſit, donec Doctoratus inſignia aſſequatur, deinde in medendo etiam omnia tribuat.

36. BArtholomæus Portius meus pervetus amicus eſt, quique totum illud tempus, quo Ferrariæ Philoſophiæ operam dedit, tam familiariter mea domo uſus eſt, quam ego tua, cum Venetiis agerem, uti ſolebam. Hoc cum dixi, puto etiam dixiſſe, eum eſſe Virum optimis moribus, atque ea integritate, quæ tibi, ac nobis probari ſolet, æque præditum. Sed his accedit Latinarum, ac Græcarum literarum optima inſtitutio. Hic teſtimonium ſuæ doctrinæ, quod Doctoratum vulgo appellant, a veſtro Collegio quærit, quo merito daro, iſthic etiam, ubi artem ſuam poſtea exerceat, permanſurus eſt. Hunc recta ad te mitto; primum ut tanto amico te adaugeam; deinde ut ei meo nomine, & in illo ea dignitate condecorando, & in medendo etiam omnia tribuas; ſed in poſteriori te etiam, atque etiam rogo; videlicet ut eos ægrotos, quibus tu ſuppetere non poſſis, illi curandos attribuas, atque ita optimum adoleſcentem, optima ſpe, iſtis initiis, quaſi tuo ſpiritu foveas, atque in viam dirigas. Pro quo ego iſto tuo tanto officio nihil tibi a me ipſo polliceor. Non enim noſtra amicitia ex eo amicitiarum genere eſt, quæ ex ullo ſuo officio quicquam rémunerationis expectet. Sed quantum ad Portium, fidem meam tibi obſtringo, te tam officioſo Viro, quam quod Portio præſtiteris, officium nullum præſtitiſſe, re ipſa quotidie eſſe comprobaturum. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Jacobo Bonio S. D.

Gratulatur de amore Cardinalis erga ipſum, idque gratulatur non tam ipſi, quam ejus parenti optimo ſeni, qui in eo omnium fortunarum ſuarum columen conſtituit.

37. CUm Pater tuus Madium, Pignam, meque [tres enim, ut fere ſemper ſumus, una offenderat] tuo nomine ſalvere juſſiſſet, ei omnes, ut idem tibi noſtro omnium nomine adſcriberet, rogavimus. Ego vero id nimis exile eſſe amicitiæ noſtræ exiſtimans, has ad te literas exaravi, quibus etiam poſt ſalutem, tibi, quod facio, Cardinalis tui amorem erga te valde gratularer. Refert enim pater ex tuis literis, te apud eum Principem operam tuam ponere, qui omnium gratiſſimus eſt, quique tibi cum præſenti, tum etiam multo majori ſperata utilitate benignitatem ſuam quotidie declarat. Sed hoc non tam tibi, quam parenti tuo optimo ſeni, mihique veteri amico, gratulor, quem ſumma voluptate, cum hæc narrabat, liquefieri videbam, quique in te omnium fortunarum ſuarum columen eſſe conſtituit, atque a quo non ſolum res familiaris amplior fiat cum ad ſororem honeſto Viro collocandam, tum etiam ad reliquam familiam non parum juvandam, ſed etiam ad ſummam aliquam dignitatem extollendam. Quem diem ſi ego [id enim ex annis meis dicendum eſt] videro, me tum aliud congratulationis genus ex ſummo artificio deprompturum, polliceor. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Jacobo Bonio S. D.

Rogat, ut epiſtolam ad Riccium Cardinalem a ſe ſcriptam ipſe manu ſua reddat, & excuſationem afferat, quamobrem tam ſero ſit miſſa: hortatur, ut eam lætitiam patri jampridem ingraveſcenti afferat, ut ipſum quotidie proficere videat, Deumque orat, ut ei omnia feliciter abſolvat.

38. TUas literas accepi, in quibus omnia gratiſſima acciderunt; de Riccio autem Cardinali multo etiam gratius accidit. Scripſeram enim ad eum, cum Cardinalis factus eſt, epiſtolam, qua illi tantam Dignitatem maxime gratulabar, ſed eam non miſi, quoniam omnes poſtea, de quibus ego quæſiviſſem, nullum Riccium Cardinalem eſſe affirmabant. Quare eam gratulationem, quæ non omnium mearum poſtrema videtur, fruſtra feciſſe, quæque, ut interiret, neceſſe erat, graviter, atque iniquo animo perferebam. Sed cum tu, ut res ipſa eſt, & nos optabamus eſſe, nobis ſignificaſti, eam mihi, meque una cum illa illi reſtituiſti. Hæc ea eſt, quam tuæ adjunctam eſſe vides, epiſtola. Per mihi, per, inquam, gratum feceris, ſi ipſi eam tua manu reddideris, atque quamobrem tam ſero ſit miſſa, eam excuſationem afferes, quam ipſe de me audiſti. Ad quod officium tuum, quicquid aliud opus erit, id omne tuæ relinquo prudentiæ. Quod vero ad te attinet, perge, ut cœpiſti, ſuſtine, patere, vince. Nihil enim magnum ſine magno fit labore. Etiam arbores, & ſementes dura hyemis perferunt frigora, ut ad fructus ſuos per æſtatem poſtea perveniant. Pater jampridem ingraveſcens, per quot, ac quanta pericula vitam traxerit, noſti, qui una cum eo partem tuam etiam non parvam ſubiiſti. Nunc gratias Diis agit immortales, qui ſe in hunc diem ſervarunt, ut te in iſta dignitatis ſpe non parva poſitum videat, a quo uno ſperat nomen familiæ ſuæ in aliud nomen, quam ipſe optimis ſtudiis fecit, omnino extollendum. Tu vero, ut facis, a te ipſo, hoc eſt, a bono, ne diſceſſeris. Dii cætera, qui ſe pie, ac vere co-

colentes non deſerunt, tibi feliciter abſolvent. Quod vero ego Tranſpadanus Romana lingua ad te ſcribam, ut vero Romanè Italice mihi reſcribas, id tuis occupationibus facile condono. Quid enim aliter faciam, qui, quam in ea quoque ſcribendi ratione valeas omnium optime, ſciam? De Cornelio meo, ut commodum erit. Neque enim res te ulla cogit, ut officium hoc feſtines. Madio, Braſanlio, Pignæ, ut juſſiſti, tuo nomine ſalutem dixi. Hanc eandem omnes, tibi ut adſcriberem, rogarunt. Has, ſi me amas, Mathiolo, qui iis nuntiis præeſt, qui per diſpoſitos equos quaque verſus mittuntur, recte reddendas curabis. Vale. Cal. Aprilis MDLIV.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Franciſco Siſenio S. D.

Facilius eſſe oſtendit, pueros ore docere, quam libris, majoremque eos ex hac docendi ratione fructum capere, quam ex alia qualibet, miro plane modo perſuadere conatur.

39. QUam varia, ac multiplex ſit, Siſeni, puerorum edocendorum ars, & facultas, facile inde cognoſci poteſt, quod fere quiſque magiſter ſuam habet, quam propriam ſequatur, docendi regulam. Hæc mihi, alia alii magis probatur. Quare etiam ſit, ut in ea deligenda maximo ſit opus judicio. Nam quemadmodum non omnis pileus omni capiti facile accommodatur; ſic non omnis inſtituendi via, & præceptio pueris conveniet omnibus. Magiſtri ea cura eſt, ut qua via quiſque diſcipulus ducatur, facilius prius is pernoſcat, eamque poſtea ſtudioſius in iis inſiſtat inſtituendis, ut nos ab initio in noſtro Principe fecimus, quem cum ingenio valere, nec dum literas una ſimul ad vocem componere didiciſſe viderem, ne ea legendi diſciplina mihi animum auferret, novam rationem inivi, ut prima dicendi rudimenta ei ad digitorum articulos commonſtrarem, ac optime edocerem, ne, ſi ea, quæ erant illi memoriæ mandanda, multa vidiſſet in libro perſcripta, deſperaret, atque animo concideret, librumque iratus abiiceret. Liber ego illi fui, cui quotidie pro puerili captu aliquid ſuppetebam, ut nunc etiam ſit in docendi

ratione, quam cum ſuperioribus diebus Principi noſtro explicarem, neſcio quid ei viſum eſt objicere, cui, quanquam a nobis contra, cum tu quoque adeſſes, ſatis tum abunde eſt reſponſum, placuit tamen tecum hoc quoque modo rationem hanc noſtram aut firmioribus argumentis tueri, aut etiam iiſdem, ſed alio modo, pertractare. Naturam, Siſeni, omnibus rebus ducem ſequi ſemper optime factum eſſe, boni omnes exiſtimarunt. Cum igitur iſta ipſa ex auditu magis, quam ſcriptione, infantem puerum continuo loqui edoceat, recte is quoque Magiſter facere exiſtimabitur, qui in ſermone magis, quam in ſcriptione puerum ſuum ad Latinam dictionem exercebit. Neque nunc, ut omnia, quæ illi uſu veniant, Latine a ſe proferat, intelligo. Nam ad hanc loquendi rationem multo major eſt opus Latini ſermonis uſus, & verborum copia, quam in puero eſſe poſſit, ſed in eo, quod illi tantum erit a Magiſtro ſua lingua propoſitum, atque dictatum ad Latine poſtea faciendum. Nam ſi ſcriptam habeat puer Orationem, quam Latinam ſuo ſtylo conſcribat, aut ea paulo anguſtior ſit, aut multis verbis conſcripta, oportet. Si brevior, parum proficitur; ſi plena agatur pagina, periculum eſt, ne puer animo prius cadat, quam dictatum legendo percurrerit, ac, quicquid agat poſtea, laborioſe atque difficulter agat, verſeturque in re, cujus primus aſpectus laſſitudinem ei afferat. Eſt enim Princeps [ut de meo nunc dicam] puer, quique ab hiſce ſtudiis maxime abhorret. At tempus ei datur ad cogitandum accommodatius. Certe ad ignaviam non parvam excitandam. Charta, calamo, atramento, ac cæteris ejus generis opus eſt ad ſcriptionem. Ea dum parantur, dies abiit. At præſto adſint. Ne ſit calamus obtuſus, ne charta abſorbeat, ne parum atramentum fluat, neve liquidius ſit, æque providendum eſt. Verum antequam hæc in manum ſumat, antequam incipiat, quæ diſtorſiones? qui hiatus? quæ cætera ad ignaviam? Tandem incipit, vel inceptat potius. Scriptio lenta eſt: lituræ officiunt: delet: reponit: mutat. Adde, quod verbum nullum a ſe, omnia a Magiſtro efflagitat. Ecquid hoc? illud autem? non memini verbum. Etſi omnia ſint planiſſima, ſocorde tamen, atque faſtidioſe agitur. Ecce autem tibi aut prius imprudenter in cubitum ſcribentis offendit; aut etiam falſo accuſatur. Iſthæc ſixa vel totum diem poteſt

auferre. Menſa atramento conſpergitur; hunc illum, illum alium accuſare; neminem non præfracte cauſſam ſuam ad ravim agere videres. In altera vero exercendi ratione, quæ ex ore, ut ita dicam, præcipitur, nihil eſt, quod tale quicquam verearis. Nulla inſtrumenti cauſſa impeditur puer. Charta, calamus, atramentum, & reliqua id genus in lingua ſunt poſita; nullum ex omni parte impedimentum. Præſto adeſt Magiſter; inſtat; urget; hortatur; fervet opus: non denique [quod maximum eſt] quam longum id futurum ſit, uſquam apparet. Nam primum dictatum paucioribus verbis comprehenditur, reliquum, quaſi ex perpetuo fonte ad pueri ſatietatem clanculum hauritur. Accedit ad hæc quæ potior ratio eſt, quod ad paratius Latine loquendum, quo uno maxime Principi opus eſſe apud alienas gentes facile intelligis, aut hæc una eſt expeditior via, aut nulla omnino alia. Id autem quemadmodum ego præſtem, te rogo, ut ſemel adeſſe, ac videre velis. Ea enim inſtituendi ratio talis eſt, ut vel ad unum ſenſum puero noſtro Italice dictactum, quod is poſtea nobis Latine reddat, tota facillime percipiatur. Hæc nunc ea ratio eſt, non quin, cum pluſculum & doctrinæ, & uſus Principi acceſſerit meo, ad hanc poſtea quoque ſcribendi rationem, ſim eum traducturus, in qua una ita verſabimur, ut qui ad imitandam veram rationem non minimum cognoverit, ac in eo operæ multum & annorum, & ſtudii, non fortaſſe inepte poſuerit. Sed de illo aliorum erit judicium. Nunc, quod inſtat. Jam aliquot etiam menſes hoc modo meus Princeps mihi ad dicendum exercendus eſt. Cum tempus aderit accommodatius, nos eo non magis, quam hoc præſenti facimus, abutemur. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Marco Gandulfio S. D.

Se Bononiam venturum ſignificat, ut Epiſtolas ſuas per Antonium Manutium imprimat. Orat, ut ibidem cubiculum ſibi commodum provideat, omniaque ad commorandum neceſſaria, quæ ſingula mirifice deſcribit.

40. BOnoniæ totum Septembrem eſſe cogito, quo tempore ab Antonio Manutio meæ Epiſtolæ impri-

mantur. Quare tu mihi de cubiculo cum foro, tum impreſſoribus commodo providebis, apud mulierem ſcilicet Bononienſem, hoc eſt, munditiis, atque humanitate præditam. Nolo ſordidam, incultam, ruſticam, atque inſuavem; neque etiam anum, tuſſi graviter laborantem, atque oſtrea in omnibus ædium angulis evomentem; ſed quæ media ætate ſit, forma integra, atque liberali, veſtitu mundo, læto, atque hilari, vultu, quæ advenientem hoſpitem accipiat, quæque in primis cum ancillis, ac pueris ne de quaque re leviſſima contumelioſe contendat. Nihil enim mihi odioſius offerri poteſt, quam cum domi rixari ſentio. Poſtremo, quæ ipſa non multum garriat, atque odioſa, ſed pauca, eaque læta omnia atque jucunda loquatur. Quod vero ad menſam, eam volo mantiliis, quadris, cyathis, & cæteris ejus inſtrumentis pereleganter apparatam. Lecti vero fulcra honorifica, quæ putidos, atque infeſtiſſimos cimices non gignant; eorum deinde tentoria pernitida. Lectum autem non tam molli lana, qua magis, quam pluma, utor, bene completum, perquam etiam candidis linteis ſtratum, quæque ſæpius commutentur, neque id ex aliis, ut fit, lectis, ſed quæ ex capſa recenter purgata depromantur. Pulvinaria plumea, non ſitum olentia. Nam quo ego ea veſtiam, domo mecum afferam. Cubiculum vero magis latum, quam anguſtum, placet. Id autem an humi, an ad primum tabulatum, non admodum laboro. Ad ſecundum, multo etiam minus ad tertium, [ut ad Annam hoſpitam eſſe audio] annis meis, atque genibus importunum eſt. Id autem in primis curabis, ut fumus, ſi ignis opus erit, per vaporarium commodius exeat, ne aliena culpa oculi mihi doleant. Hos vero cum aut ſurſum, aut deorſum, aut quoquo deflexero, ne in aliquam immunditiam offendant, cupio; quarum ſæpius, me abſente, cum pavimentum, tum etiam parietes erunt reverrendi. De feneſtris nihil dico, quæ ſunt cubiculorum oculi, ea ut vitrea, ut luminoſa, neque pulvere, atque araneis oppleta ſint, ſcis legenti, atque ſcribenti oportere. Locum poſtremo, quo ad naturæ ex inferioribus partibus operam dandam utimur, neque in cubiculo, neque cum cubiculo conjunctum ferre poſſum. Commodius atque nobilius erit, ſi vas ſit fictile, quod, data illa opera, con-

continuo in fornices inferiores evacuetur. Hæc ſunt, quæ mihi in hac mea menſtrua hoſpitalitate per te parari cupio; cætera ego mihi ex meo ære, ut magis libebit, comparabo. Vale. Ferrariæ VI. Cal. Aug. MDLVII.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Marco Cornelio Spalatrenſi Archiepiſcopo Deſignato S. D.

Rationem reddit, cur tacite a nobiliſſimo comitatu ſe ſurripuerit, rogatque, ut honeſtiſſimam ſuam cauſſam cum Carniſiccio, ac Perio, ut æquum eſt, accipiat.

41. VIdeo, te valde miratum eſſe, meque tecum, atque adeo cum doctiſſimo atque humaniſſimo tuo Carniſiccio fortaſſe aliquid ſubaccuſaſſe, hoſpitem ſcilicet elegantiſſimum, qui me tibi, atque tam nobili comitatui tam tacite ſurripuerim, cujus mei facti cauſſam etſi tibi a familiari tuo, qui me ad ultimas ſcalas comitatus eſt, expoſitam eſſe certo ſcio, viſus ſum tamen hoc modo per literas recte facere, ſi eandem ipſe quoque non reticuiſſem. Cum ego te, Marce, ex eo nuntio, quem acceperas de Triulcii Pontificis Legati Cardinalatu, cum Carniſiccio, ac Perio omni lætitia geſtientem viderem, atque a cetero comitatu, atque etiam a Jacheto omnium optimo muſico, cum etiam dum ſuavius Harpicordo ſonaret, cum iis parum ſeceſſiſſe, quaſi qui inter vos ſecreto colloqueremini, mihique negotium inſtaret, nolui tantam veſtram lætitiam ne verbo quidem conturbare. Nam, cum ego interea complura ſpatia in longa porticu cum illo tuo confeciſſem, neque ipſe adhuc Senatum tuum dimitteres, de diſcedendo ita, ut feci, cum eo conſilium cepi, paulo poſt tamen, aut ſaltem poſtridie ad te rediturus, quo ſolo ſolus familiarius perfruerer. Sed neque eo die per meas occupationes mihi ad te redire licuit; poſtridie vero cum iis liber eſſem, comites de reditu in Patriam inter ſe conſtituerant; quos cum ego neque ſine me diſcedere, neque illi diem hunc mihi concedere poſſent, factum eſt, ut ego vobis omnibus parum urbanus videri potuerim. Et profecto, niſi hoc modo erratum meum per veſtram hu-

humanitatem mihi purgare liceret, hoc gravius ferre non poſſem: quam meam honeſtiſſimam cauſſam ut Carniſicius, ac Perius, ut æquum eſt, accipiant, ambos etiam, atque etiam rogo. Nam de te nihil admodum vereor, ut quicquam de mea ingenua, quam tot annos unus omnium optime noſti, natura minus belle ſuſpiceris; ſed quanto magis tibi confido, tanto plus de præſtantiſſimis illis Viris, quibuſque noſtra familiaritas minus nota eſt, cum hoc meum nimis familiare factum viderint, ne me in nimia familiaritate peccaſſe valde accuſent, timere cogor, quibus etiam poſt hanc excuſationem meo nomine plurimam ſalutem dixeris. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Marco Cornelio S. D.

Dolet, ſe illi in petitione ſua apud Principem ſatisfacere nequiviſſe, additque rationem allatam a Principe, cur negarit, ſe, quod petebatur, poſſe concedere, negationemque ipſi profuturam probaſſe.

42. REnatæ tuas literas reddidi. Ea, quæ ejus eſt humanitas, ſe cum Principe filio omnem operam eſſe daturam, ut tibi obſequeretur, mihi recepit. Ego vero ad Principem ſcripſi, rem iſtam diligentiſſime commendans. Is mihi reſcribit, hoc non eſſe in jure belli, ut obſeſſis concedatur, ut quicquam aliunde in Oppidum comportetur; multo vero minus, ut ex ſuo agro percipiant; quin hoc primum, atque ſolum attenditur, ut, quicquid poſſunt, commeatus illis auferant, atque a vicinorum etiam eos intercludant. Si tamen id mihi puſilli concedat, magnum periculum eſſe, ne multo etiam pluribus idem concedere cogatur. Quare ne alius nos ſibi objicere poſſit, id ſi ſua voluntate facturus ſit, negat poſſe concedere; qui id noſtro quoque beneficio ſe negare probat, qui nulla illa ſua permiſſione amico noſtro ſementem hanc, atque operarum ſumptus conſervat. Nam, ſi bellum erit, eadem belli in futurum annum futura eſt ratio, quæ præſentis etiam fuit anni; ut, qui fortior erit, is metat, atque legat. Vides quibus rationibus, non ſolum armis, oppugnemur, at-

atque etiam jure vincamur. Doleo mirum in modum, me tibi in hac re ſatisfacere nequiviſſe; niſi tamen id eſt ſatisfacere, ea, quæ plane videas non eſſe impetranda, ea tamen pro amico perſtudioſe rogare. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Vincentio & Joanni Marco Fantoniis
Fratribus S. P. D.

De patris obitu dolet omnia reputanda proponens, quæ maximo ſolatio eis eſſe poſſint, hortaturque, ut ipſum in omnes benigne agendo imitari pergant.

43. QUod ſubito meo iſthinc diſceſſu coram facere nequivi, id nunc abſens per literas exequar. De obitu patris veſtri valde doleo, tum veſtra primum cauſſa, qui optimum parentem amiſiſtis, tum etiam non parva mea, cui in eo benevolentiſſimus animus deceſſit. Vix ſimplex conſolabilis dolor, duplex multo etiam minus. Vobis enim pater chariſſimus, mihi fideliſſimus, ac multorum annorum amicus, eſt deflendus. Verum ſi tamen rectius conſideremus, atque dolorem noſtrum in rationis gyrum revocemus, multo minus ejus obitum nobis dolendum eſſe videbimus. Hic enim rem ex perexiguis initiis ſuo ſtudio, ſua induſtria, ſuo labore, atque diligentia quam ampliſſimam effecit; filias, quas pudiciſſimas habuit, vos filios, quos maxime ingenuos procreavit, atque aluit, cum honeſtiſſime collocatos, tum etiam multis, ac fideliſſimis amicitiis devinctos reliquit, ex quibus etiam neptes, atque nepotes vidit. Id accedit, quod in tota vita, quam ad octuageſimum quintum annum feliciter produxit, nihil cuiquam injuriæ intulit; in multos vero multa benigne, ac liberaliter contulit. Cum vero in ea Provincia, atque adeo in eo Oppido vixiſſet, quod perpetuis, ac maximis odiis Civilibus laboraret, ita ſe ſemper geſſit, ut æque utrique parti acceptiſſimus exiſteret. Unum ei reliquum ad omnem humanæ conditionis felicitatem deerat, ut, quemadmodum feliciter vixerat, feliciter etiam decederet, id quod felicius facere non potuit. Nam cum ſana mente, corporis viribus ſatis integris uteretur, qui-

et-

etiam poſt multos dies, ex quo febre aſſidua laborare cœpit, ſemper cum ſuis pedibus lectum commutaret, tum etiam apte, atque ad rem loqueretur, cum poſtremo naturæ ex inferioribus partibus operam dediſſet, atque inde ſe in lectum reciperet, tum ſpiritus eum defecit, atque ita feliciſſime cadens ſine ullo doloris ſenſu moritur. Quod genus mortis ſi mihi Deus concedat, nihil amplius ab eo exoptem. Quibus rebus ſi quid etiam de animo, qui homini immortalis datus eſt, cogitemus, hac quoque ratione niſi in æternam gloriam eum commigraſſe putemus, aut imprudentes, aut etiam illi iniqui ſumus. Quæ omnia maximo ſolatio nobis eſſe poſſunt. Nam ſi nobis tanto patre, mihi vero tanto amico carendum eſt, his vobis cum ſummis commodis, mihi vero cum multo ejus beatiori ſtatu carendum eſt. Quod vero ad vos attinet, illud eſt, ut parenti, quod jampridem inſtituiſtis, ſimiles eſſe, huncque ipſum in omnes benigne agendo, pergatis imitari. Valete.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Antonio Angelio S. D.

Sibi potius lætandum, quam mœrendum, de Ravanii uxoris ſuæ fratris diſceſſu ſignificat, non leviter tamen angi, quod filiolos pœne infantes reliquerit. Orat, ut reſcribat, quantum eorum natu maximus in ſtudiis humanioribus profecerit, ut vel ad ſe duci jubeat in primis Juris Civilis rudimentis inſtituendum, vel adhuc Latini ſermonis ignarum ipſe ſeparatim ab aliis paulo attentiori ſtudio informet, ut citius ad ſe mittere poſſit.

44. HIeronymum Ravanium, uxoris meæ fratrem, diem ſuum obiiſſe audio, cujus interitum æque, ut debui, moleſte tuli, ſed, quando cum eo, ut qui integerrime atque Chriſtiane vixerit, optime actum eſſe pro certo auſim affirmare, magis ejus diſceſſum lætitia, quam mœrore proſequi debeo. Id vero me non leviter angit, quod filiolos, quos impuberes, ac pœne etiam infantes reliquit, quo is adoleſcens pervenerat, perducere nequiverit. Quæ cura etſi eorum patruis relicta eſſe videtur, meam ego tamen, non tantum pro ea affi-

affinitate, quæ mihi cum illo intercedebat, ſed pro ſumma noſtra benevolentia, aliquam eſſe volo. Quare mihi reſcribas velim, quantum eorum natu maximus in humanioribus ſtudiis profecerit. Nam, ſi ejus ſermonis Latini cognitionis eſſet, quæ ad prima Juris Civilis rudimenta traduci poſſet, continuo eum ad me duci juberem, mecumque haberem, quamdiu ſatis illi eſſet, ad totam illam in cauſſis defendendis rationem percipiendam; ſin aliquid etiam adhuc ei deſideratur, te rogo per eam amicitiam, quæ tibi cum ejus parente intercedebat, perque tuos liberos, ſi quid eis [quod omen Deus avertat] tale accidiſſet, ut paulo diligentiorem illi operam des, ac ſeparatim ab aliis aliquid paulo attentioris ſtudii impertias, quo eum citius ad me mittas, qui poſtea in parentis locum recurrens, cæteris fratribus pro patre, matri vero, ac reliquæ familiæ voluptati eſſe poſſit. Quod ſi feceris, mihi omnium gratiſſimum feceris, quique tui iſtius officii perpetuo meminerim. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Julio Magnanio univerſæ Franciſcanæ Familiæ Generali S. D.

De morte Philippi Braſchii Viri ſummi, doctiſſimi, ſibique amiciſſimi certiorem facit, & Epitaphium lapidi inſcribendum mittit, malevolorum nonnulla ſubjiciens, hunc illi ſupremum honorem invidentium.

45. PHilippus Braſchius Faventinus unus ex tua Franciſcana Familia, Vir ſumma, ut noſti, doctrina, majori etiam Sacerdos integritate, doctiſſimorum vero Virorum amicitiis, in quibus Vincentius Madius non ultimus erat, florentiſſimus, ſuperioribus diebus deceſſit. Hunc ego vel poſt Madium, vel quantum Madius, amavi; certe ita, ut etiam mortuum non parum diligam, ejuſque memoriam non ſolum amice præſtem, ſimque perpetuo præſtaturus, verum etiam, quantum in me eſt, eam cæteris quoque repræſentare ſtudeam, neque totum interiiſſe ſinam. Id autem de cæterorum more facere cogito, ſi in pariete e regione ejus tumuli lapidem, in quo inciſum ſit ejus Epitaphium, defigendum

dum curabo. Ad quam rem duo a cuſtode tuo tantum poſtulo ; alterum , lapidem ex iis , quos multos fruſtra habet ; alterum , locum in Templo vacuum , cætera mihi ex meo ære comparaturus. Tum homo iſte , miniſtro [ut vos dicitis] qui brevi expectabatur , rem remittit. Paucos poſt dies is venit. Hunc adeo , atque hoc idem ab eo peto, qui non ſolum benigne omnia mihi concedit, ſed gratias etiam agit, quod communi amico tantam memoriam procurem ; quin etiam rogat , ut hanc eandem Epitaphii operam quatuor ejus generis ex veſtris Sacerdotibus , qui Faventiæ ſuperioribus annis deceſſere, dare ne negem. Recipio, me illi omnia libenter facturum. Tum ille mihi ut cuſtos lapidem attribuat , de loco etiam nihil impediat , jubet , atque ita diſceſſit. Redeo poſtridie, ut lapidem mihi deligam. Tum cuſtos negat ullum lapidem adeſſe ; qui vero adſunt , quod inficiari non poteſt , alienos eſſe ait. Ita etiam locum alii jampridem deſtinatum objicit. Quod cum audio, id verum eſſe ſuſpicari cœpi , quod mihi ſecreto dictum erat ; quoſdam ex iis ſua improbitate huic meo Chriſtiano officio maxime eſſe adverſaturos ; immo vero , ſi obtinuiſſem , nullum dubium eſſe , quin etiam inſcriptum lapidem aut ſcalpello delerent, aut ſaltem aliquo modo turpiter fœdarent. Qui malevoli ſi hoc agunt , ut hunc illi ſupremum honorem invideant , moriantur & ipſi quantum cito velint , polliceor in meo etiam lapide pro eorum virtute in hoc genere laudis nihil eis eſſe defuturum. Qua de re tota mihi viſus ſum recte facere , ſi te certiorem facerem , teque id , quod etiam atque etiam facio , rogarem , ut cuſtodi tuo, quid agendum eſſet , ſcriberes. Nam ſi tua voluntas huic meo honeſtiſſimo deſiderio acceſſerit , ego amico meo poſtea non deero ; ſin contra [quod tamen adduci non poſſum , ut credam] hac mihi epiſtola , quæ illi apud omnes gentes Epitaphii loco erit , ſatisfecero , quin etiam ipſum Epitaphium , cujus tibi exemplum mitto , ipſi epiſtolæ adſcribam. Vale.

D. O. M.

Philippo Braſchio Franciſcano Sacerdoti probatiſſimo cum Philoſopho haud imperitiſſimo, tum ſuopte ingenio Viro integerrimo, primum Chriſtiano Concionatori, tum publico Metaphyſicæ in Ferrarienſi Gymnaſio Interpreti, vita, moribus, inſtitutis optime prædito.
V. Ann. XLI. *mor.* III. *Non. Jan.* MDLVII.
Bartholomæus Riccius & amice fecit, & poſuit.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Hieronymo Palanterio S. D.

Conſolatur de Braſchii morte, nihil eſſe affirmans, cur tantopere doleat, ne amico æternam gloriam invidere videatur. Hortatur, ut ad ſe, & ſua ſtudia tandem redeat, ejuſque optimos mores, atque vitæ Sanctitatem in ſe exprimat.

46. CUr tantum, Palanteri, inſano iſti dolori indulges? cur te tantum afflictas? cur tamdiu in iſto mœrore, ac luctu contabeſcis? Braſchius tuus, immo vero noſter, non, ut reris, e vita deceſſit, ſed in vitam, unde prius venerat, a nobis diſceſſit, ubi etiam nos lætus ad noſtrum diem expectat. Noſti quam integre vixerit, vidiſti quam quiete, quam in Chriſto animam egerit. Ecquid igitur iſto tuo perpetuo luctu tanto amico æternam gloriam tantam invidere videris? Redi tandem ad te, atque ad tua ſtudia, atque ita in ea incumbas, ut eum in iis cæteris aliquando referas; in ejus vero vivendi ratione ita inſiſtas, ut ejus optimos mores, atque vitæ Sanctitatem in te exprimas. Me certe eum, qui in te amando nulli concedat, habebis, quin etiam, quoniam ei chariſſimus fuiſti, quem ego unice dilexi, mihi quoque nihilominus acceptus eris, quem etiam poſſum in ejus locum facile reponere. Vale

BAR-

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Alexandro Bruſantinio S. D.

Pro ſumma in filium ſuum humanitate ſe ei plurimum debere fatetur, ſibique eum gratum facturum ſignificat, ſi ſua opera, ubi res tuleris, utatur.

47. CAmillus filius mihi retulit eo ſe a te hoſpitio acceptum fuiſſe, quo ſi veteri hoſpite fuiſſet, neque humanius, neque amicius accipi potuiſſe. Equidem, Bruſantini, patrem tuum ob ejus ſingulares virtutes amavi plurimum, nunc tibi pro tua iſta ſumma in filium meum humanitate multum debere fateor, in qua mihi quidem gratiſſimum feciſti; ſed multo gratius feceris, ſi contra mea opera, quoties, ac quamdiu ea tibi uſui accidat, eo modo uteris, quem tua talis humanitas poſtulat, qua non ſolum eum tibi, ſed me ſimul una cum eo in perpetuum devinxiſti. Vale.





BAR-

BARTHOLOMÆI RICCII

www.libtool.com.cn

EPISTOLARUM

LIBER QUARTUS.

CHRISTOPHORO AMADRISIO CARDINALI

Bartholomæus Riccius S. D.

Ei ne vel de facie quidem notus Petri Pomponatii adoleſcentis in re exigua conſtituti cauſſam commendat, ut ab Hercule Gonzagio obtineat, illum majorum ſuorum bona Mantuæ ſibi relicta poſſidere.

1. TAnta tua eſt in omnes humanitas, atque beneficentia, meæ vero cauſſæ ea cum æquitas, tum etiam facilitas, ut ego, qui ne tibi quidem de facie notus ſum, non ſolum eam tibi quidem commendare non dubitem, ſed etiam, quod peto, ſperem a te facile impetrare. Quanti Hercules Gonzagius Cardinalis te faciat omnes ſciunt, qui nihil habet, quod tua cauſſa & benter nolit, & libentius etiam non faciat, id quod ipſa interdum vel in capite damnato expertus es, [illegible] jure optimo, qui contra nihil umquam ei non liberrime conceſſiſti, atque etiam tua ſponte ſæpius contuliſti. Apud hunc nobis tua opera, ut intelliges, maxime nunc opus eſt. Petrus Pomponatius, qui tibi has [illegible] reddidit, optimus eſt adoleſcens, iis vero literis [illegible] tinis, & Græcis eruditus, ut, ſi ei ex majorum voluntate ſubveniatur, Petrum Philoſophum [illegible] truum ſuum, ut nunc nomine tantum, ſic [illegible] que eruditione, cum ætas acceſſerit, facile [illegible] ſit. Ex [illegible] majoribus, olim Mantuæ, [illegible] lia floruit, ditiſſimus Vir ſine liberis [illegible] in [illegible] Civium [illegible] men [illegible], ut, qui eorum [illegible] conſ[illegible] [illegible] haberent, [illegible] alere [illegible]

quæ teſtatoris voluntas non ſolum in cæteris Pomponatiis ſervata eſt, ſed multis etiam aliis ex eorum bonorum fructibus accommodatum eſt. Hic vero, qui ejus ſanguinis eſt, qui nomen, ac prænomen refert, qui miſere ex alieno victitat, qui alios docet, ut habeat unde diſcere queat, ne minimum quidem inde accepit adjumenti. Quamobrem autem, ac quomodo vir ex Itala gente in Græcia [vides enim Græcum eſſe] naſceretur, &, qui ſe ex Pomponatiis probet, quo denique reliqua res loco poſita ſit, de eo ipſo facile intelliges. Hoc a me tantum habebis, duram cuique eſſe egeſtatem; optimo ingenio multo duriorem; longe vero duriſſimam, ſi quod ex majoribus ſuis cum ad ſatis commode agendum, tum ad optimas artes percipiendas relictum eſt, id etiam alienis impertiri, ſibi vero negari, prorſus videat. Quare, Princeps ampliſſime, te etiam, atque etiam rogo, ut in quo tu quotidie aliis de tuo largiſſimus es, huic id officii in eo, quod ab ejus majoribus relictum eſt, obtinendo, quod cauſſæ æquitate, & animi tui altitudine dignum eſt, ne graveris concedere, videlicet, ut Herculi Gonzagio Cardinali hanc cauſſam ea de nota commendes, qua facere ſoles, cum amiciſſime, ac diligentiſſime commendas. Vereor, ne ſummæ humanitati, atque etiam ad omne benigne faciendi genus naturæ tuæ natæ injuriam facere videar, qui tam multis rem tam æquam, tamque facilem impetrare contendam. Quare finem faciam rogandi, ſi hoc unum tantum addidero, idque magis, quia ita mos eſt faciendi, quam, quod quicquam opus eſſe putem, tibi perſuadeas velim, ſi hoc a te adoleſcens impetrabit, fore, quicquid in ſuis ſtudiis, ut cætera ejus commoda nunc omittam, quicquid in fratre parvulo, quem ſecum habet, cum alendo, tum etiam edocendo profecerit, id omne uni tibi acceptum ut referat. Ego vero mihi mirum in modum gaudeam, qui tibi prius debere cœperim, quam me vel de facie noveris, unuſque hic mihi ſit latiſſimus aditus ad hujuſmodi officia & tua ſumma humanitate perdigna, & mea cum aliqua laude abs te eodem impetranda. Vale.

BAR-

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Vincentio Madio S. D.

Ejus Commentaria in Ariſtotelis Poeticam Principibus ſuis Fratribus a ſe exhibita fuiſſe ſignificat; orationem ſuam in iis offerendis, Majoriſque reſponſionem perſcribit; Principis liberalitatem laudat, qui præſentem pecuniam in manum dari ſervo, qui libros attulerat, juſſit: addit, omnes eum videndi deſiderio maximo teneri, ejuſque reditum anxie expectare.

2. TRia operis tui exemplaccepi, mihi unum dono miſſum, duo reliqua, quæ Principibus meis tuo nomine redderem. Quod ad meum, tibi gratias ago ingentes, aliquam etiam relaturus, cum par facultas dabitur; quod ad reliqua duo, nihil eis deſui. Continuo ſub prandium [ventum enim erat ad ſecundam menſam] ad Fratres Principes accedo, munuſque tuum his verbis coornatum illis offero. Heri, Princeps, tibi [ad majorem natu orationem meam convertens] a Principe ampliſſimo [caſu enim in eum diem ea inciderant, quæ a Brandimburgo illi venerant] munera ſunt miſſa, hodie quaſi a ſervo ad Dominum mittuntur. Heri nobiliſſimi equi, atque armaturæ cum ſolidæ, tum ex minutiſſimis maculis optime contextæ, eæque ad omnem ictum rejiciendum tinctæ, ac probatæ, hodie libri & optime conſcripti, & Regie colligati veniunt. Heſterna munera ad corporis ſalutem, hodierna ad animi dignitatem accommodantur. Vincentius Madius Civis Brixienſis, qui in tuo Gymnaſio jam multos annos Philoſophiæ ſenſa abſtruſa publice depromit, cum in Ariſtotelis Poeticam doctiſſima Commentaria ſcripſiſſet, idque opus nunc ederet, tibi Tuum, Fratrique tuo ſuum librum in primis mittendum duxit, meque, qui vobis illos redderem, delegit. Quibus paucis dictis utrique ſuum reddidi. Statim major ſuum aperit, ac etiam paſſim, ut fit, lectitat. Hæc poſtea pauca mihi reſpondit. Heſterna munera nobis [ut pro Fratre etiam meo reſpondeam] multis quidem de cauſſis gratiſſima acciderunt, ſed Madii noſtri liber tanto iis eſt gratior, quanto corpore animus eſt nobilior. Quare noſtro

ſtro illi nomine gratias ages ſingulares, atque omnem operam noſtram, ac ſtudium, quoties id ei opus erit, benigne offeres; tuoque ſervo, qui libros attulerat, præſentem pecuniam de more ſuo, pro illo officio in manum dari juſſit. Cui ego contra tuo nomine reſpondi; ſatis tibi eſſe, ſi te in numerum ſuorum addictorum haberent. Sed redeo ad nos, hoc eſt, ad tuos. Omnes equidem, Madi, tui deſiderio maxime tenemur, ego autem in primis diem illum non video, quo tibi gratuler de rhediculis, quam partem [mea quidem ſententia] optime es perſequutus. Quare nos tandem reviſe. Venies tu quidem omnibus expectatus, mihi vero maxime. Si me amas, Julio Portulachio, Herculique ex fratre ejus nepoti optimo adoleſcentulo, mihique cariſſimo meis verbis ſalutem impertito. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Vincentio Madio S. D.

Bernardini morbum, mortemque deſcribit: certiorem facit de univerſa familiæ cura veteri amico ab eo commendata, clavibuſque capſulæ ei concreditis, ubi cum reliqua pecunia rationum libri cuſtodiuntur: admonet, ut, ſi quid ſeparatim a ſe curari velit, id tantum indicet, cætera a ſe amantiſſime confectum iri.

3. BErnardinus a IX. ad VI. Cal. Octobris ſemimortuus jacuit. Reliquum corpus frigore contorpuerat, frons, ac os totum & colorem, & calorem ſuum retinebat, ſeque etiam haud languide commovebat; loquebatur autem, ut valens faciebat. Tangas eum, nullus venæ pulſus. Jus, ac gallinaceam carnem piſtillo attritam cum jure ad potum admiſtam ſuis certis temporibus datam abſorbebat, in lecto ea cruda reddebat. Tandem V. Cal. obſtructo gutture, ſpiritu intercluſo, moritur: cujus mors quam tibi incommoda acciderit, haud ignoro, quando is ſolus erat, qui familiam tuam aleret. Res tamen frumentaria, vinaria, lignaria optime curata eſt. Tantum mulierculæ deſtitutæ videntur. Is tamen, cum ſe graviter laborare ſenſit, quemdam veterem amicum ſuum, tibique etiam, ut is dicebat, per-

no-

notum, ad ſe accerſi jubet, eique univerſam familiæ curam commendat: dat deinde capſulæ claves, ubi cum reliqua pecunia ſuarum rationum libri cuſtodiuntur. Huic ego familiam uſque ad tuum adventum commendavi, ac, ſi quid illi mea opera opus eſſet, ut ea, ut ipſe faceres, uteretur, juſſi. Tu vero, ſi quid ſeparatim a me curari voles, id tantum indicabis, cætera ego tibi amantiſſime conficiam. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Vincentio Madio S. D.

Dolorem ſuum ſignificat de publicis ſtudiis ſublatis, ejuſque præſentia, prudentiſſimiſque conſiliis propterea ſibi ademptis: dolorem hunc graviſſimum etiam majorem effici Sylvii Antonianii dolore, qui nullum finem facit iſtius diſceſſus lugendi, ſeque ita dupliciter ejus iſto perpetuo deſiderio angi, miſereque ſolicitari.

4. NIhil eſt opus, Madi, ut de conducenda domo quicquam amplius labores. Sublata enim ſunt publica, ut dicunt, ſtudia. Nam ea pecunia, quæ Doctoribus impendebatur, in alios uſus, ut convertatur, oportet. Qui nuntius ut ad aures meas pervenit, puta tu pro noſtra veteri, ac jucundiſſima conſuetudine quo ego illum dolore accepi, qui mihi viſus eſt dicere: abi domum, & ibi te in perpetuum conde, quando quicum, ut conſueveras, aut familiariter ſis, aut fideliter colloquaris, nullus tibi reliquus eſt, uno Madio adempto. Quæ plaga, etſi mihi altius adhæſit, multo tamen interius, atque acerbius urſiſſet, ſi inexpectata acceſſiſſet. Scio enim, te recordari, quæ poſtremo hac eadem de re tecum ſub longa illa porticu ad hortos tuos egi; ut verum illud ſit, quod vulgo circumfertur, ſi, quicquid adverſi accidat, ante prævisum ſit venturum, multo id omnino levius offendere. Sed cum ego tamen conſidero, me tuis fideliſſimis, ac prudentiſſimis conſiliis perpetuo eſſe carituruum, neque in meis adverſis rebus ad quem confugiam, quicum omnia mea conſilia communicem, te eumdem eſſe habiturum, nullus eſſe videor: quæque mihi reliqua vita reſtat, magis ſolitudo, quam vita, futura

eſſe videtur. Quem meum graviſſimum dolorem Sylvii Antonianii dolor etiam majorem efficit, qui nullum finem facit tui iſtius diſceſſus lugendi. Me miſerum, inquit, qui nulla alia cauſſa huc me veniſſe lætabar, neque Diis ipſis alio beneficio tantum debebam, quam quod ſub uno Madio, hoc eſt, ſub doctiſſimo ac ætatis noſtræ Principe Philoſopho, ac mei amantiſſimo Philoſophiæ ſtudiis operam darem. Nunc vero cum ejus prudentiſſima doctrina paternus etiam amor mihi ereptus eſt, qui ego poſſum non eſſe miſer? cujus honeſtiſſima querimonia meum mœrorem cumulat, ſi quis tamen novus locus novo dolori in meo tanto dolore dari poteſt. Atque ita dupliciter tui iſto perpetuo deſiderio angor, miſereque ſolicitor. Sed quid faciendum? Ferendum æquo, iniquo aniquo animo? Poſteriore feram, quando priore non poſſe me ſperem. Vale.


BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Vincentio Madio S. D.

Reſpondet ejus literis honeſtiſſimæ querimoniæ plenis; menſtruas literas cum quotidianis locutionibus nihil habere; in ſcribendo ſolum loqui, in colloquendo utrumque partes ſuas viciſſim agere; vultum, oculos, riſum, quæ ſunt ſermonis condimenta, verba conſequi, in literis nihil hujuſmodi eſſe, aut ſi quid omnino, id alterius eſſe tantum, certe ſemper abſentis. Alia addit, quæ potius dolorem commovere, & renovare poſſunt, quam leviorem reddere, vel eripere.

5. TUas literas accepi honeſtiſſimæ querimoniæ plenas, quod nulla noſtra culpa, ſed temporum iniquitate ſuaviſſima, ac vetuſtiſſima conſuetudo noſtra nobis erepta ſit, cujus deſiderium tu poſthac literis levandum eſſe dicis. Scio equidem, Madi, literarum præſidium nobis eripi non poſſe. Sed parva admodum, atque rara erit hæc doloris noſtri levatio. Quid enim habent menſtruæ literæ cum quotidianis collocutionibus? Unus noſter ſermo centum folia compleviſſet. Deinde in ſcribendo ſolus loquitur, in colloquendo uterque partes ſuas viciſſim agit; vultus, oculi, riſus, quæ ſermonis condimenta ſunt, verba conſequuntur. Literæ vero nihil

hil horum, aut ſi quid omnino, id alterius eſt tantum, certe ſemper abſentis. Quid vero, quod multa omittenda ſunt in literis, aut quia ea ſunt graviora, ac propterea quæ non ſatis tuto iis committantur? aut leviora, quæque ſcribentis perſona indigna videantur? in ſermone vero etiam quicquid in buccam? Huc accedit, quod nulli Fabii, nulli Sylvii, Franciſci, Pancii, Pignæ, innumerabiles alii in literis, ut in ſermonibus, adhiberi poterunt. Sed, cum ego rectius conſidero, non ſolum tuum iſtud remedium graviſſimo dolori meo quicquam prodeſſe poterit, verum etiam, ne magis noceat, magnum eſt periculum. Quid enim erit aliud hæc ſcribendi viciſſitudo, quam nova doloris noſtri commotio, atque renovatio? Equidem nunquam ad te ſine lacrymis ſcribam. Succurret enim ſemper id coram libentius, atque liberius agi potuiſſe, ſi per quorumdam injuriam nobis licuiſſet, quam ego tacendo mallem obliviſci, quam ita operam dare, ut ea quotidie recentior fieret. At de rebus lætis agetur. At quo lætiora erunt, eo meum animum gravius offendent, quando ea, ut conſueveramus, coram tractari non poſſe videro. Hucuſque ſcribendo perveneram, cum Camillus filius tuarum literarum faſciculum mihi attulit. Continuo Sylvio ſuas, Mirolio ſuas miſi. Ita reliquas, quibus inſcriptæ ſunt, cras [has enim cum lumine ſcribebam] reddendas curabo. De filio faciam, ut ſuades, immo vero mecum etiam hoc ipſum ante conſtitueram: quem mecum Bononiam perendie ſum ducturus, atque ibi ſi videbitur, hoc anno relicturus, ſi forte ſolus ſibi, ac foris rectius, quam ſub patre, ac domi conſulere norit. Vale. Ferrariæ Non. Octobr. MDLVII.


www.libtool.com.cn

quam omnium minima erat, cæteræ tamen ſua magnitudine aſſurgere videbantur: ut quæ ſuum initium, ac quicquid eſſent, illi omne acceptum referrent, eam ego his verbis reverenter ſalutavi. *Salve magnæ parva parens Urbis, quæ ex te tantum partum edidiſti, quæ Deum illum texiſti, a quo totius Orbis terrarum exortum eſt imperium.* Ex ampliſſimis autem nobis ædificiis ad præſtantiſſimos Viros, qui & in iis habitarunt, & tantum imperium rexerunt, animus mihi transfertur. Continuo enim poſt Romulum, Pompilii nuntii occurrunt, Hoſtilii, Ancii, Tarquinii, Tullii, Martii, Coſſii, Bruti, Publicolæ, Dentati, Camilli, Fabricii, Fabii, Curtii, Decii, Marcelli, Scipiones, Horatii, Torquati, Attilii, Scævolæ, Coriolani, Catones, Pompeji, alii Bruti, Caſſii, Cæſares, Octavii, Craſſi, Antonii, Hortenſii, Cicerones, cæterique, qui cum domi, tum foris ſive in regendo, ſive in imperando, ſive in dicendo præſtitere, quibus clariſſimis Viris clariſſimæ quoque Mulieres accedunt, Cloeliæ, Portiæ, Lucretiæ, Corneliæ, Hortenſiæ. Sed quid ego in parvum ſimpulum Oceanum includere conor? Hic, ut audis, magna diei parte conſumpta, cum domum redeuntes ad ampliſſimas illas Ædes adamantinas, ut dicunt, perveniſſemus, tum ego, ex propinquitate loci admonitus; quid ſi Ludovici Areoſtii Mauſoleum, quod Virginius *filius* in hortis ſuis illi extruit, hac una parva declinatione viſimus? ut tantum Virum Roma di*num cum Roma* conjungamus? Tum una voce omnes: *ctiſſime Riccius*. Atque ita divertimus. Vix autem de*n paſſus confe*ceramus, cum ego ſuſpiciens perpetuum *adamantina*rum Ædium parietem in feneſtellam Syl*iculi* [ſcis enim, Sylvium partem illam habitare] *Tum* ad eum, inquam, qui ſcis, Sylvi, an o*alis* hac poſtea tranſiens Legatus ad Cæſarem, *um* oculos attollens, eum hoſpitaliter ſalu*ie* dicat. Quot ego carmina in eo cubicu= conſcripſi? quotque noctes Philoſophiæ ſtu= dedi? Et cætera ejus generis. Quibus di*mo*, o Madi, ubi nunc es? cur autem no= ? ut Dii illos male perdant, qui te a nobis *rim* xere. Atque ita partim ridentes, partim *ci* Areoſtium pervenimus. Januam paten= — E regione ſterili proſpectu ad alterum hor-

hortorum caput Mauſoleum ſeſe ingredientibus offert. Ingredimur ad illud: pervenimus: circumſpicimus: opus laudatur; filii pietas commendatur, qui domi, quam foris, parentem etiam mortuum habere maluerit. Tandem hoc ego. Indignum erit, Sylvi, atque Frizoli, ſi hinc a duobus egregiis Poetis diſcedatur, niſi prius tantus Poeta Poetice ſalvere jubeatur. Tum Sylvius in hunc verſum erupit.

Salvete æternum Cineres, maneſque beati.

Tum Frizolius Diſtichon abſolvit addens:

Florebit ſemper queis Areoſta domus.

Quos verſus Sylvius ſtilo ferreo in eo lapide, quem ego continuo alterius lapidis expoliveram, in pariete attritu incidit, ambo illi promittentes, cum opus abſolutum erit, ac ejus corpus eo illatum fuerit, ſe melioribus carminibus illi eſſe ſatisfacturos. Atque ita diſceſſimus, cum Sol in noctem inclinaret; Sylviumque cum ſuo Tonanio domi relinquo. Frizolius ut me domum comitatus eſt, ſe ipſe quoque ſuam recepit. Ego vero, ut domum ingreſſus ſum, calamum ſumpſi, hæc ad te ut vides, jucunde ſcripſi. Vale. Ferrariæ III. Non. Feb. MDLVII.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Vincentio Madio S. D.

Violantis mortem dolens eam miro plane modo laudat non ſolum ſuæ Urbis, ſed omnis etiam Orbis ſplendorem appellans, cauſſamque ejus mortis ruri Cenzalino tribuit, cujus domini omnes eo ruſticatum commigrantes paulo poſt in Urbem morbo laborantes referebantur. Claudit epiſtolam inquiens, nihil propterea humanæ conditioni fidendum eſſe.

7. O Factum, an fatum? indignum. Violantis illa, illa Violantis, Madi, cui omnes Veneres Venus afflarat, quæ ore, vultu, facie Venerem ipſam, oratione Mercurium referebat, quæ, quicquid ageret, gratias agebat, quicquid loqueretur, violas, unde nomen habebat, loquebatur, quæ Civibus, quæ Principibus gratiſſima fuit, quæ ſola non ſolum Urbem noſtram, ſed omnem etiam Orbem ſuo ſplendore illuſtrare poterat, quæ

quæ ſua præſentia quemvis mœrorem, quamvis moleſtiam, quemvis cruciatum levaſſet, quæ hactenus utrum Dea, an mortalis eſſet, in dubio eſt habita, ſummo cum totius Civitatis dolore, cum publico ingenti luctu deceſſit, noſque relinquens in denſiſſimis tenebris, Cœleſtem lucem aſcendit, atque eam lucem ſua luce non parum adauxit. Sed hoc funus cum per ſe maxime lacrymabile eſt, tum vero etiam ex mortis cauſſa multo eſt lacrymabilius. O rus Cenzalinum, o villa iniqua, atque ſcelere plena, quæ tantum ſcelus admiſiſti! Utinam numquam ad novum dominum tranſiſſes; cum vetere tuo manſiſſes; viveret illa, atque etiam diu vixiſſet. Inde enim mors huic illata eſt. Omnes enim ut ejus domini facti ſunt, eo ruſticatum commigrarunt, iidem paulo poſt in Urbem morbo laborantes referuntur. Ex quibus illa tandem, cum morbum ſuperare non poſſet, in diem illum, quem mortui expectamus, lumina clauſit. Ut hinc quoque, ſi quid humanæ conditioni confidimus, quam nulla hæc noſtra fiducia ſit habenda, planius perſpicere poſſimus. Vale. Ferrariæ Id. Jan. MDLVIII.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Vincentio Madio S. D.

Rem ſatis ridiculam narrat, & graphice ob oculos ponit de quibuſdam adoleſcentibus, qui pullaria loca in Urbe depopulabantur, pulcrumque inventum ſubjicit, quo eleganſiſſimus Virginius Areoſtius Ludovici Poetæ filius eos noctu exceperat.

8. MUlta quotidie, Madi, ſilentio prætereo, quæ, ſi adeſſes, familiariter, ut ſolebamus, inter nos colloquentes ſumma voluptate, atque haud mediocri riſu nos afficerent, hoc autem, ut de illo, atque de illa feci, omittere non poſſum. In hac noſtra Urbe ſunt quidam boni adoleſcentes, qui Vulpes agunt. Pullaria enim loca tam belle tergent, quam unquam pavimentum vidiſti Venetum; ſed ejus generis hæ ſunt, ut pavones etiam cum noſtrates, tum Indianos facile aggrediantur. Virginius Areoſtius Ludovici Poetæ filius, Vir optimus, atque urbaniſſimus pavonum utriuſque

que generis, atque gallinarum ſatis amplum numerum paſcebat. Noſti ejus ædes in extrema Urbis parte poſitas, ac quam ampliſſimi tantum horti ſint, hoc eſt, ad hoc avium genus optime alendum accommodati. Hic veſperi certior fit, ſuas aves in noctem illam ab iſtis Vulpibus notatas fuiſſe. Is tum gallinas in tutiorem locum ædium recondit, pavones vero longe in angulum hortorum inter arbores adigit; poſtea, ut erat elegantiſſimus, hoc pulchrum inventum ſibi excogitavit. Cubiculum habet ſejunctum ab ædibus in hortis ædificatum, quo ſe per æſtatem in ſummis æſtibus recipit. Illud apparari, deinde menſas cum ſuis luminibus extrui, atque in iis, quæ ſatis pro cœna eſſe poſſent, apponi jubet. Collocat deinde ſervum in tabulato, qui ex rimis notet, ſi quem eorum cognoſcat, ac quid egiſſent, poſtea ex ordine referret. In menſa item ſchedam in hanc ſententiam ſcriptam relinquit. *Mulier, quæ in curſum* [alludens ad Striges] *de nocte vadis male cuſtoditas gallinas, capones, pavoneſque ſuctum, atque depaſtum, maliſque unguibus diſcerptum, his contenta eris epulis coctis, atque conditis, meis vivis ignoſcens pullis gallinaceis, pavonibuſque, atque alio ad avarum genus hominum ungues tuos gryphios, tuas nocturnas manus exacue.* Sub octavam noctis horam adſunt Harpyiæ cum harpagonibus; lumen longe vident; mirantur; ſenſim tamen ad illud accedunt. Propius facti menſam dapibus extructam vident; obſtupeſcunt; ſchedam ſumunt; legunt; hac riſus maximus omnibus commovetur. Elegantem hominem eſſe prædicant; diſcumbunt; comedunt commode; bibunt; rident. Interea vero alii quaque verſus iverant, gallinas, ac pavones venantes. Illas non reperiunt; in pavones incidunt; eos capiunt; captos ſtrangulant. Interea ſenior Vulpes jubet, ne quid aliud damni huic fiat; bellum eſſe hominem, qui ſe tam nobili hoſpitio acceperit; injurium eſſe ullam ei facere injuriam. Sed cum hæc iis mandat, jam pavones colla, ubi caudam alias, extenderant. Atque ita cœnati, atque bene poti eos in poſterum prandium ſecum auferunt, hanc gratiam illi referentes, quod gallinas, quas non repererant, incolumes ad unam plumam relinquerent. Ita puer, qui in ſpeculis poſitus fuerat, narrabat, hoc addens; eorum ſe neminem cognoviſſe, quia lupino veſtitu induti erant. Ex ore vero longiſſimæ equinæ ſetæ in barbam compoſitæ, ſed

male

male pexę pendebant. Res ſtatim mane per totam Urbem divulgatur. Quot riſus omnibus commoti ſint, tu tibi conjicito; quia Virginius ipſe quoque cum cæteris ſuavius ridens rem, ut geſta eſt, omnibus narrat. Utinam quæ cætera habeo vel his multo nobiliora, atque majori riſu digna, hoc modo ad te ſcribere poſſim; ſed fortaſſe aliquando facultas dabitur, ut una ſimus, atque de iis plenius & agamus, & rideamus. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Vincentio Madio S. D.

Certiorem facit de pace confecta, & Nuptiis Principis ſui cum Filia Florentiæ Principis, cui annulus datus. Ejuſdem ſui Principis in Urbem adventum per diſpoſitos equos ſignificat.

9. DUpliciter tibi gaude, tantundemque nobis gratulare, Madi. Pax confecta eſt, & Princeps meus Florentiæ Principis filiam uxorem ducit. Sponſalia fient VIII. Cal. Jun. qui dies Divo Joanni Baptiſtæ dicatus eſt. Interea Princeps Mutina, ubi nunc eſt, ad exercitum cum ſuum dimittendum, tum ad hoſtium, qui in præſidiis erat, providendum, ne quid calamitatis in ſuo diſceſſu agro afferret, domum redibit, ſeque cum nobiliſſimo comitatu ad eum diem comparabit. III. Id. Maji, qui tuæ gentis eſt menſis, Alexander Flachius Divi Michaelis inſigni ornatus Sponſæ annulum de more Principis nomine Florentiæ in digitum induit, quæ ei poſtea aureo torque Hs. LX. ad noſtram rationem M. & D. aureorum collum involvit, quo honore, atque onere huc expectatur, ut videas nullum Orationi meæ locum relictum, quin etiam ſi ullus fuiſſet omnino, eorum eſſe dicunt, qui uxorem dant, non autem, qui ducunt. Sed eam tamen cum cæteris videbis. Nuptiæ vero in Octobrem differuntur, cum Princeps ex Gallia, quo non ſolum cogitat, ſed etiam ſe comparat, ad quas te non invito. Tuo enim loco, quo tot annos nobiſcum fuiſti, certo ſcio te futurum. Vides enim eas in illud tempus incidere, quo tu docendi initium facies. Mirolius, Antonianius, Antimachus te ſalutant. Dum hæc ſcribebam, ecce tibi curren-

rentum equorum pedum ſtrepitus ad aures maximus. Quæro quid ſit? accurre, accurre, inquit uxor. Princeps eſt, qui per diſpoſitos equos advenit. Accurro, ad feneſtram accedo. Una ſimul & ipſe adeſt, meque lætiſſime in curſu ſalutat, cui ego tandem etiam lætius ſalutem reddo, reditumque gratulor. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Joanni Baptiſtæ Nicolutio Pignæ S. D.

Gratulatur de Epiſtolis & elegantiſſime, & prudentiſſime ad ſe ſcriptis, ſuadetque, ut moderatius in literarum ſtudiis agat, ne brevi ea prorſus propter ſtomachi cruditatem intermittere cogatur.

10. HEri veſperi, cum jam accubuiſſem, ac prope dormitarem, tuæ mihi redditæ ſunt literæ elegantiſſime medius fidius, & prudentiſſime ſcriptæ, mihique propterea jucundiſſimæ, niſi quod in meis laudibus noſtro amori nimis obſecutus es. Sed, ſi iſta ætate tam prudenter, tam Latine, tam ornate ſcribis, quid facies, cum ætas acceſſerit grandior? Nam adoleſcentiæ multa deſunt, quæ cum annis afferuntur, certe & prudentiæ, & eloquentiæ finem tuæ video nullum. Quare tibi, parentique tuo Viro optimo, Patriæ, literiſque ipſis vehementer gratulor, quorum aliis ſummæ cum voluptati, tum etiam utilitati, omnibus autem maximo futurus es ornamento. Hoc loco te hortarer, ut in hæc ſtudia ardentius iſta ætate incumberes, eaque vehementius urgeres, ſed id eſſet currentem impellere. Audio enim, te ita ea tua ſponte urgere, ut, ſi in iis habitares, magis urgere non poſſes, ut magis tibi fræno opus ſit, quam ſtimulo, præſertim, qui tam crudo utaris ſtomacho, ut vix, quicquid eſt leviſſimum, facile concoquas, literarum vero ſtudia, quæ ſunt duriſſimæ concoctionis, devorare non ceſſes. Quare magis, te ut in iis moderatius agas, ſuadeo, moneoque, ne ſi plus æquo & ſtudii, & laboris iis impertias, brevi ea prorſus intermittere cogaris. Vale.

BAR-

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Joanni Baptiſtæ Nicolutio Pignæ S. D.

Ob Flaminii mortem ſe jure optimo dolere oſtendit tum ob multas alias cauſſas, tum quia ejus hortatu, ac pene impulſu APPARATUM LATINÆ LOCUTIONIS *in vulgum ediderat: in ejus laudes deinde excurrens iis lacrymis ſemper eum coheneſtandum ait, quæ hujuſmodi celeberrimos Viros conſequi ſolent.*

11. LUgebat Solon filii obitum, ac nullo fine dolorem ſuum lamentabatur. Amici omnes alius aliam ei conſolationem afferebant; in his quidam eum etiam accuſabat, quid tantum, inquiens, lacrymis indulges, cum iis nihil proficias? cui Solon inquit, immo hoc uno lamentor, querorque, quod nihil proficio. Ego eo modo tibi reſpondere poſſum, Nicoluti. Nam, ſi tot meis lacrymis Flaminium meum ab Inferis aliquando excitaſſem, lugendi finem jampridem feciſſem; quoniam vero id non aſſequor, moleſte fero, huncque cum vitæ meæ fine lugendi finem faciam. Amavi illum mutuo quadraginta annos, eaque noſtra amicitia fuit, quæ nullum fucum, nihil ficti, nullamque amandi aliam cauſſam haberet, quam quæ pares conjungit. Ad id accedebat, quod communibus ejus generis uſi ſumus amicis, in quibus Julius Camillus, Priulius, Hector Cochius, Auguſtinus Abioſius. Separatim autem [ne in meas lacrymas jacturam, quam bona ſtudia in hujus obitu fecere, huc quoque revocem] quantum ego huic debeam, omnes multis abhinc annis ſcire poſſunt, cujus hortatu, ac pene impulſu APPARATUM LATINÆ LOCUTIONIS in vulgum edidi. Hoc addidi, quia inde aliquid nominis videor adeptus eſſe, certa nihil infamiæ ſum conſecutus, ut, ſi tantum meum erga illum amorem tot lacrymis proſequor, mirum nemini videri debeat. Quin ego fateor, quoties mihi in mentem, qui prope in ea inhæret, Flaminius redibit, me toties ei ſuas lacrymas, ſuaque ſuſpiria largiter eſſe redditurum, non quin conſolatio tua mihi fuerit gratiſſima, quæ iis rationibus conſcri-

ſcripta erat, quæ plurimum ad conſolandum valent, quæque ab eo in me animo, qui mihi amiciſſimus eſt, proficiſcuntur; ſed ego ita ſum in tales meos, ut eos vivos cupiam, mortuos tum mea, tum omnium etiam utilitate valde doleam, atque lamenter, ac nobiſcum mirum in modum deſiderem. In quibus unus Flaminius nunquam ſatis mihi eſt lugendus, nunquam ſatis deſiderandus, qui ſuis Muſis omnes Principes oblectare, qui juventuti, qua recta via in Parnaſum aſcenditur, qui cum optimis ſcriptis, tum integerrimæ vitæ exemplo, ut Deus colitur, omnibus oſtendere poſſet; & hic perpetuo a cunctis populis non jure optimo erit deflendus? & qui hæc norint, aut nunc a me audiunt, non continuo mecum exclamabunt, o Flamini, o Flamini, quo nobis ereptus es? At in Cœlum ſublatus eſt. Deus enim unde prius venerat, ad ſe illum revocavit. Is eo tandem pervenit, quo ſancta vivendi ratione ſemper aſpiravit, ubi nunc, quam Deus in ſuum Filium credentibus pollicetur, æterna gloria perfruitur. Quid tu illi quaſi tantam felicitatem, quam in Deo ſemper ſperavit, ex tot, ac tantis miſeriis elapſo invidere videris? quid tuis queſtibus illi quietem eam interturbas? quo enim eum repoſcis, aut deſideras? Num fortaſſe ut ſuo optimo ſtomacho redeat? ut Chriſti honori gratuletur aliquando? ut bonis hominum animis fruatur? ut fidem eorum probet? ut cætera his multo graviora & perferat, & patiatur? Quin ego arbitror, qui ei amici fuerunt, omnibus optandum eſſe, ſi viveret, ut ex his miſeriis excederet, ne hæc, & ejus generis cætera complura videret. Recte quidem, unaque mihi hæc omnium conſolatio adhibetur maxima, quod ex tot malis in ſempiternam gloriam evolarit: quod cum divinis, ac veris Muſis verſatur: quod alios cantus, alios verſus, alios hymnos cum ſuis Poetis cantat, atque ſcribit; ubi Davidis citharam illam, quam hic tam ſplendide æmulatus eſt, in Dei ſummi laudibus videt, atque reveretur. Quem contra Vates divinus complexum tenens, gratias illi agit immortales, quod ſuos verſus melioribus numeris adſtrinxerit, Latinaque dictione illuſtrarit: atque ita in Deum ambo converſi ad novam citharam, ad nova plectra præſentes ejus laudes concinunt. Sed hæc mihi aliqua ex parte levant, non tollunt dolorem univerſum, cui reliquo

ſuæ

ſuæ lacrymæ æquo jure, quod facio, dandæ ſunt. Tu vero lætè age, ac vale.

www.libtool.com.cn

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Joanni Baptiſtæ Pignæ S. D.

Valde ſe metuere ſignificat, ne ejus ſtudiorum ratio nimis laborioſa ei vitam eripiat, ſuadetque, ut naturæ ſuæ, quæ non admodum firma eſt, mitius conſulat: a re familiari, & gloria optime eum paratum eſſe oſtendit, cum ſolus in re bene ampla ſit, & utriuſque generis ſcriptis, iiſque optimis famam ingentem ſibi compararit. Hortatur itaque, ut villas tum ſuas, tum amicorum adeat, quarum delicias, & oblectamenta ſingula ob oculos ponit, & cum in Urbem ſe receperit, per hyemem cum Viris doctiſſimis in jucundiſſimis congreſſibus vitam traducat; tum demum ad intermiſſa graviora ſtudia revertatur.

12. PRo ea benevolentia, qua ego te proſequor maxima, proque tua erga me ſumma, quam utriuſque ætati rectè tribuis, obſervantia, quæ coram tecum ſæpius egi de tua ſalute, hoc quoque modo & copioſius, & planius agere ſtatui, non equidem, ut nunc amorem meum tibi ſignificem, quem quidem jampridem maxime perſpectum habes, ſed ut, ſi quid meis verbis aliquid olim profeci, [profeci enim neſcio quid] his denique literis, quod ſupereſſet operis, id prorſus abſolverem. De vita tua agitur, Pigna, quam utrum perdas, an ſerves, in tua manu eſt, cujus tu ſolus optimus medicus, tu parum pius hoſtis eſſe potes; utrum autem malis, non dubito. Etſi contra quod minime debes, facere te video, qui propere, quantum in te eſt, eam is perditum. Ecquid hoc eſt, inquies, quod me in me tam ſevere agere accuſas? Num fortaſſe ego ex libidine omnia luſtra obeo? Num vini, aut crapulæ ſum omnium intemperantiſſimus? Num noctu per ſumma frigora, die per ardentiſſimos æſtus quaque oberro? Num poſtremo nudus inter hoſtes armatos, eoſque mihi infenſiſſimos, verſor, quæ omnia in primis hanc, quam tu mihi times, ademptionem vitæ hominibus afferre ſolent? Nihil horum, Pigna, vitæ tuæ nocet, nihil obſtat, nihil

www.libtool.com.cn

cunt, atque omni periculo vitam ſuam objiciunt; alterum gloriæ ſpes, atque cupiditas; alterum honeſta rei familiaris amplificatio. Ab horum utroque optime ipſe paratus es. Nam quantum ad rem familiarem [etſi ſcio hac te minime commoveri] ſolus es filius, qui quanquam fratrem habes, cum is tamen quotidie animam agat, neque quicquam miſerius ſit, quam eum quoque vivere, perinde eſt tamen, atque ſi eum non haberes. Solus igitur es in re bene ampla. Prædia enim tibi non deſunt, villæ, atque ædes in Urbe, ſupellex nobiliſſima; pater præterea eſt, qui tibi pro centum prædiis eſſe poteſt, qui vel uno cæruleo colore, quod noſtri ultramarinum appellant, conficiendo [ut in pharmacis componendis ejus ſcientiam, atque uberrimum fructum omittam] ſolus eſt, qui perfectam ſcientiam habeat, ingentes copias comparare poteſt, atque adeo quotidie non parvas comparat. Ut, quod ad rem [non enim nunc te ex eorum numero facio, quibus nihil ſatis eſt] ex ea tu magis cæteris ſubvenire, quam aliena ope indigere videaris. Quod neque in liberis tuis eſt, quod quicquam metuas, ſi, a qua iſta tua haud ſatis firma corporis valetudine abhorrere videris, in maritorum numerum unquam veneris. Eos enim ſatis ab omni re paratos reliqueris, ſi paternis fortunis paterna etiam ſtudia acceſſerint; ut cauſſa rei comparandæ in hæc ſtudia tam vehementer, tam anxie incumbas, cauſſam habeas nullam. Reſtat, ut gloriæ cupiditati, ad quam quiſque natura incenſi trahimur, ſuos quoque terminos circumſcribam. Habes, Nicoluti, pro iſta tua ætate, quod pauci grandiores natu vix ſunt conſequuti. Vigeſimo ætatis tuæ anno ab ampliſſimo Philoſophorum Collegio dignus es judicatus, quem in ſuum numerum referrent, publicoque virtutis inſigni, quem Doctoratum appellant, cohoneſtarent. Duos annos jam publice profiteris optimos Auctores Græcos, & Latinos, atque ita, ut nihil auditori relinquatur, quod a te in tuis interpretationibus deſideretur. Hæc publica. Cum privata non nihil & ipſa nomini tuo lucis afferre poſſint, ad quem domum optimi adoleſcentes cum Cives, tum hoſpites quotidie ad audiendum accedunt. Sed una ea tua [ut vitæ tuæ nunc integritatem, ut modeſtiam tuam, ut prudentiam in iſta ætate ſenilem omittam] ampliſſima mihi laus videtur, ac gloria, quam tibi ex

tuis utriuſque generis ſcriptis, iiſque optimis compara-ſti. Sive enim ſoluta oratione ſcribis, ea nullo ſuo ornatu, nulla elegantia, nullo artificio carent. In verſibus vero quid dicam aliud, niſi te ad illud ſcribendi genus & natum, & factum eſſe? præſertim in eo genere verſuum, quos Lyricos appellant? in quo Horatium noſtrum omnium optime imitaris, ac, quantum ipſe veteribus, tu tantum cæteris ejus imitatoribus excellis. In quibus facilioribus ſtudiis [ne vitam a te prorſus inertem, atque deſidioſam quærere videar] facile patior, ut Muſas tuas exerceas, atque in eis te te oblectes, quemadmodum Flaminius noſter faciebat, qui & ipſe iſta ſtomachi cruditate laborans, graviora Philoſophiæ ſtudia prorſus ſeponere coactus eſt. Tantum aliquid in facilioribus Muſis ludebat, in iiſque ſolis ſeſe continebat, etſi id quoque modice, atque etiam intra modum faciebat. Tu quoque, quantum poteris, ſeveriora ſtudia ſi non abjeceris, certe in fortiorem valetudinem rejeceris; aut in iis leviſſime, hoc eſt, pro viribus tuis verſabere. Cum vero illæ cum ætate ſimul accreverint, tu quoque ad ea vehementius reverteris. Interea vitæ magis, quam ſtudiorum rationem habere debebis: quod ſi feceris, & ipſe iis, & te amici diutius fruentur, cum quibus læte agens, modo villas tuas, modo illorum per æſtatem, aut in equo, aut ciſio obibitis, quibuſcum in jucundiſſimis ſermonibus, in conviviis honeſtiſſimis, in ambulationibus moderatis te te continebis, te te oblectabere. Habes in hoc genere Renatum Braſaulium, qui te amat plurimum, cujuſque conſuetudine maxime delectaris. Non deeſt Lollius, qui & ſuaviſſimis villis & ſuavioribus ſtudiis te accipere poteſt. Riccii tui præterea, quæ etſi cum horum minime eſt conferenda, ea quoque tamen minime inſuavis, ac ruſtica eſt villula. Neque tua in primis contemnenda eſt. In quibus omnibus locis nihil eorum, quæ in agro fiunt, deſiderabis, ſive ex areis, ſive ex arboribus. Avium præterea venationes [ut leporum canibus interea relinquam] præſto tibi aderunt, ſive retibus, ſive viſco eas capere malueris; piſcationes non deerunt, ſive levibus hamis, ſive ex minutis maculis retibus contextis, ſive malis fuſcina piſciculos figere; ut juvabit paſtas oves domum redeuntes videre. Noſti cætera. Cum vero te in Urbem receperis, Braſauliis, Ricciis, Lolliis accedent

Gy-

Gyraldii, Madii, Spulverinii, Ferrantii, Ambroſii læta hominum manus, ſi ulla unquam fuit. Cum his per hyemem in cœnulis mutuis, in conſuetudine quotidiana, in congreſſibus amabiliſſimis, in ſermonibus jucundiſſimis, cantilenis etiam jucundioribus, in muſicis, in omni honeſta voluptate eam quoque anni partem hilari animo traduces; quibus continuo vultus exhilarabitur, pallor excidet, ſtomachus optime officium ſuum faciet, omnis capitis gravitas diſcedet, totus validior fies athleta, pugilque firmiſſimus. Tum permitto, ut ad intermiſſa tua graviora ſtudia revertaris, eaque tanto ardentiori ſtudio recipias, quanto moleſtius ea ſepoſueris, ſitimque illam ut pleniore ore extinguas tibi licebit. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Joanni Baptiſtæ Pignæ S. D.

Hortatur, ut propter morbum ſua ſtudia, ſi non prorſus ſeponat, ſaltem ad meliorem vitæ conditionem interponat.

13. DOleo tuo iſto morbo multis de cauſſis magnopere, & quia ego careo fructu jucundiſſimæ conſuetudinis tuæ, & quod Auditores tui interea magnum in ſuis ſtudiis damnum faciunt. Et quoniam ego quoque pater ſum, vicem etiam patris tui doleo, cui quo uno in te ſolatio tot, ac tantas familiares calamitates ſuſtinebat, id ſi non ereptum, ſaltem graviter affectum eſſe videt; ſed mihi crede, mi Pigna, hoc eſt, meis præceptis, quæ ad te longiori epiſtola ſcripſi, obtempera, atque pare, tuaque iſta ſtudia, ſi non prorſus ſeponas, ſaltem ad meliorem vitæ conditionem interponas. Brevis ſum. Perendie, cum rure rediero, tecum ero, ac coram hac tota de re pluribus agetur. Valetudinem tuam cura.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Joanni Baptiſtæ Pignæ S. D.

Suadet, ut patri in ducenda uxore obtemperet, dilutque, quæ contra afferre poterat. Oſtendit, literatos Viros uxorem ſemper duxiſſe, neque propterea a ſtudiis excluſos; vires autem corporis non ſatis firmas in cauſſa eſſe non debere, ut cælebs vivat, cum ſibi ſimilem uxorem parare poſſit; denique commoda ab uxore in virum proficiſcentia ob oculos ponit, aliaque ſubjicit, quæ eum adducant, ut parenti in hoc æquiſſimo ejus deſiderio libenter obſequatur, & familiæ ac poſteritati ſuæ conſulat.

14. DE obitu fratris tui an tua cauſſa doleam, an magis illi gratuler, incertus ſum. In id enim morbi miſer puer tandem venerat, ut magis atroci ſupplicio liberatus, quam tibi chariſſimo fratri ereptus eſſe videatur. Et re vera, qui ita torquentur [quid enim dicam, ita vivunt?] cum iis beatiſſime actum eſſe dicendum eſt, cum ex illis miſeriis per mortem liberantur; tamen, quia frater erat, & ſemper in adoleſcentia ſpes aliqua ſalutis eſt, ac poſſe aliquo modo eſſe melius, doleo tua cauſſa ejus interitum. Sed non tam id doleo omnino, quam te hortor, atque moneo, ut parenti tuo in uxore ducenda obſequi velis. Audio enim illum ſenem, quod omnes homines natura deſiderant, ſui memoriam in poſteris aliquam relinquere mirum in modum cupere, eamque unam a te uno, qui unicus ei reliquus es filius, jure æquiſſimo expetere. Te vero contra ſive naturæ tuæ debilitate, ſive ſtudiorum tuorum ardore ductum, pari contentione id illi pernegare; quod quam non ſatis pie facias, placuit tecum amice, ac familiariter diſputare. Duo ſunt, Pigna, quibus tantopere ab re uxoria abhorrere videris; tua ſtudia, & virium infirmitas, utrumque graviſſimum. Siquidem ita ſe res habet, ut tu reris; ut ſcilicet a ſtudiorum ſumma voluptate, quam omnibus voluptatibus facile anteponis, aut a vita ipſa hac una conjugii devinctione brevi ſis abducendus. Certe in iſto, quo nunc agis, ſtatu liberius tuis ſtudiis vacare, atque omni eorum voluptate frui, valetudi-

tudinique tuæ melius conſulere potes. Verum, ſi rem diligentius ponderamus, fortaſſe non tam tibi de utraque re detractum erit, quantum exiſtimas. Ac quod ad ſtudia. Primum ea quidem jam non ſunt, quæ totum hominem die, noctuque poſtulent, nullam ſui partem alii rei impertiant. Eos enim in iis progreſſus jam feciſti, quorum te minime pęniteat; ut (quaſi, qui in re quærenda multis annis inſudarit, quam ut ſatis grandem ſibi compararit, paulo poſtea quietus, ac remiſſius agit] lente, atque otioſe in iis verſari poſſis. Siquid tamen in iis adhuc tibi incognitum ſit, nihilo tibi minus marito in eo indagando, quam nunc cęlebs facis, conceſſum erit. Quaſi vero, qui literati Viri uxorem ducunt, continuo omnes a ſuis ſtudiis excludantur, in re una uxoria toti concludantur. Id quod ſi ita eſſet, omnes Philoſophi, in primis autem Socrates eorum facile Princeps inique feciſſet, qui non ſolum uxorem duxit, ſed ejus etiam generis uxorem, quæ cum eo quotidie litigaret, cujus tamen odioſiſſimis moribus, atque cum ſuis minime convenientibus nihil de ſuis ſtudiis detraxit. Nam ut ei, quantum res uxoria poſtulabat, conceſſiſſet, reliquum in ſua ſtudia libere conferebat. Quid Juriſconſulti? quid Medici? quid cæterarum facultatum ſtudioſi? Nonne omnes hac conjugii copula & ſunt, & fuerunt conjuncti? & tamen hi in conſulendo, ii in medendo, alii in aliis ſtudiis ſuis optime ſunt verſati. Quid vero ſi iſta tua ratione in procreando gravius peccari non poſſet? Nam, ſi prudentes prudentibus creantur, ipſe vero prudentiſſimis Viris conjugium adimis, omnia plebs ignara ut fiant, ut ſtultitia, atque ſocordia propagetur, neceſſe eſt. Nam, quæ ſequitur progenies, ſui ſemper ſimillima deterior ſequitur. Equidem, ſi id in mea ſit poſitum manu, tantum hanc procreandi rationem ingenuis, atque optimis Viris, tuique ſimillimis communicarem, ignavos, inertes, vinolentos perpetuo ſomno addicerem, ne monſtra, ac tot beſtiæ in hominum figura procrearentur; ut, quod ad tua ſtudia attinet, tantum abſit, ut ea non Matrimonio tantopere impediantur, ut tu, tuique ſimiles in hanc procreandorum liberorum curam maxime incumbere debeatis. Quod vero ad non ſatis corporis firmas vires pertinet: hoc quidem aliquid eſt omnino, cum valentiſſimos viros hoc opus poſtulet. Modus tamen omni-

mnibus in rebus & probatur, & adhibetur. Non eſt enim hominis, qui liberis operam det, ad libidinem ea cauſſa abuti, noctu, dieque uni illi voluptati ſtudere; cumque uxorem utero gerentem ſenſerit, in id etiam validius incumbere; ſed magis in hoc beſtiarum morem ſequi debet, quæ, ut fœminas ſuas concepiſſe ſentiunt, ab iis ſe ſe abſtinent. At beſtiæ ſunt, inquit illa. Magis apparuit, illam belluam, quæ id protulit, quam Principem fœminam fuiſſe, cujus qui ſunt ſimiles, pari vitio laborare exiſtimari poſſunt. In qua una continendæ libidinis tuæ ratione id tibi commodum accidit, quod frigeſcis, neque admodum in Venerem naturæ ardoribus incitaris, magiſque is es, qui uxorios complexus, qui amatoria oſcula, qui furta cætera verſibus tuis ita deſcribas, ut legentibus res ante oculos geri videatur, quam aliis ſcribenda facias. A qua immodica libidine te optime temperabis, ſi tui ſimilem uxorem [id, quod maxime ſtudere debes] duxeris. Quid vero, quæ innumerabilia ſunt commoda, quæ ab uxore in virum proficiſcuntur? Parentes quidem, quantum quis quem poteſt, liberos amant, ab iis in adverſis omnis eis conſolatio, in ſecundis omnis congratulatio adhibetur, omnibus in rebus, quæ illis uſui ſint, præſto adſunt. Hi quicquid agunt, quicquid ſtudent, quicquid ſpirant, id illis agunt, illis ſtudent, illis ſpirant. Quædam tamen ſunt officia, quæ magis ab uxore vir expectet, quam a parentibus ipſis. Ægrotas? illa a te nunquam diſcedit; ſi quid opus eſt, ad nutum præſto adeſt. Parentes interdum ſenio impediuntur, quo minus noctes, vigiliaſque ferant; uxor & pari, ne dicam majori, ſtudio, certe validiori ætate in viri curam incumbit. Quædam ſunt in filio, quæ parentibus ne videre quidem honeſte licet, ea ab uxore, cum res cogit, etiam honeſte tractantur. His tot, ac tantis bonis uxoriis liberi accedunt, qui parentes omnibus lætitiis cumulant. Cave enim putes quicquam homini jucundius in vita accidere poſſe, quam quod in liberis evenit, idque jure optimo, quando nos ipſi in iis & ſumus, & cernimur. Quin etiam tertia adjungitur, neque ea mediocris voluptas, ex nepotibus, quaſi enim quibus altero gradu noſtri memoriam propagatam eſſe videamus. Id quod te maxime movere debet, qui ſolus relictus es, in quem tota domus tua recum-

cumbit, a quo uno ſuam reparationem repoſcit. Cui honeſtiſſimo deſiderio parentum quoque accedit deſiderium, qui te propterea procrearunt, ut ipſe quoque tuos liberos ſibi procreares, ac quaſi, quod ab illis accepiſti, eorum ipſe nepotibus amanter præſtares. Parenti igitur in hoc æquiſſimo ejus deſiderio libenter obſequere; familiæ, ac poſteritati tuæ conſule; in maritorum numerum ut adſcribaris, patere. Para, qui te mox parentem, parenteſque tuos avos, atque avias appellent, quos tuas literas doceas, ac, qua ratione in optimis ſtudiis verſatus es, eos ea quoque ipſe ducas. Divinis præceptis naturæque legibus obtempera, idque primo quoque tempore, ut ſenes parentes tuos filios, ſuos nepotes videant atque viciſſim foveant, atque tollant. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Joanni Baptiſtæ Pignæ S. D.

Diſputandi cauſſa oſtendit, nihil eſſe, cur Græca lingua labore improbo addiſcatur, cum in Latina ſatis ſuperque habeamus tum ad ſolutam, tum ad numeris adſtrictam Orationem comparandam, tum ad alias artes, & diſciplinas acquirendas; ſe tamen probare, ut Itali Latinæ linguæ prius ſtudeant, ne quaſi in Patria peregrini, & hoſpites, atque adeo infantes ſint; poſtea vero per ſe quidem eis licere, ut cum ſua, quam velint, etiam linguam conjungant.

15. EGo jamdiu, multumque mecum, Pigna, quæro, quidnam id ſit, cur præſentis ætatis homines majorem prope operam in Græcis, quam in Latinis, literis ponant perdiſcendis. Quoquo enim te vertas, eam linguam altius radices egiſſe videbis. Hæc enim jampridem in Germaniam, in Galliam, atque uſque ad ultimas Gades penetravit, in Italia vero ita dominatur, ut pene Latinam linguam inde quoque dejeciſſe videatur. Siquidem in ea complures reperiuntur, qui ne verbum quidem Latinum proferre ſciunt, cum Græce optime ſcire exiſtimentur. Quam meam non levem admirationem id in primis efficiebat, quod neque Græca lingua tam ne-

neceſſaria, neque Latina tam inops eſſe videretur, ut hanc Itali [ut nunc de noſtris agam] quaſi ſuam deſererent, Græcam prorſus alienam ſequerentur. Nam cum duo ſint, quibus homines ad alicujus linguæ notionem ſtudium ſuum applicent; unum, ut eam aut in loquendo, aut in ſcribendo exerceant; alterum, ut, quæ in ea ſcripta continentur, fidelius percipiant, continuo in Græca prior ratio nobis nihil opus eſt. Nemo enim [loquor etiam de iis, qui optime Græce intelligunt] Græca lingua aut in ſermone, aut etiam in ſcriptura quicquam utitur; quin etiam ex Græcia Græci ipſi illam excluſerunt, atque abjecerunt. Cave enim verbum ullum Græcum in tota Græcia proferri ſentias. At leve hoc damnum eſt, atque nullius momenti. Nam & Latini noſtri, iique doctiſſimi Viri idem in Latina facere non dubitant, qui omnia Italice, quam Latine, loqui malunt; in Latinis tamen Scriptoribus non parum ſtudii ponunt. Argute quidem, & vere de locutione, ſed non ita de ſcriptione, in qua ad Latinam dictionem maximi, mediocres, infimi ſtilum ſuum occupant, & jure quidem optimo. Siquidem hæc una omnium rerum memoriam fideliſſime conſervat, ſuiſque præceptis hominum prudentiam adauget, monimentis vitam etiam immortalitati commendat, ut ex duobus, quibus homines ad Græcarum literarum ſtudia maxime adducuntur, alterum prorſus exploſum, atque ab uſu quotidiano rejectum eſſe conſtet. Quod vero ad ſcientiarum cognitionem ex iſta ipſa lingua percipiendam profitentur, nunc quidem aliquid dicunt, atque adeo non minimum, verum id iis temporibus, quibus ea lingua ſuas opes in ſuo ærario concluſas habebat, neque cornicis oculos [quod dicunt] adhuc quiſquam confixerat; totaque illa in ſe cohærens in nullas aliorum linguas tranſiverat, facere neceſſe fuit. Nunc vero, cum prope nihil apud Græcos ſit tam reconditum, tamque retruſum, quod aut translatione, aut etiam notatione, non plane Latinum factum, atque probe obſervatum habeamus, non ita elaborandum eſſe videtur, ut ex ea idem quæramus, quod multo facilius a Latinis habere poſſumus: niſi perinde facimus, atque, qui Padi noſtri aquam velit, qui cum a proximis ejus ripis haurire poſſit, eam tamen a fluminis fonte longiſſime exhauſtum eat. At ſæpe Interpretes, quod transferunt,

runt, aut non recte perceptum habent, aut id alia lingua non facile patitur, aut certe de venuſtate ſua multum amittit in transferendo. Quare fit, ut aut perperam, aut non plane, atque ſuaviter id referant, indeque magnus poſtea labor legenti affertur ad explicandum, & ſuavitas ad legendum aufertur. Quare nihil mirum, atque alienum videri debet, ſi plures in ea lingua quotidie magis verſentur, ut aut in dubiis rebus ſibi ipſi ſatisfaciant, aut etiam aliis, ſi quid prudentius, quam alii, animadverterint. Neque hoc quidem haud multum, ſed non tamen tantum eſt, quod omnium ſtudia tam rapide a Latinis literis abducere, atque in aliena ſtudia tam ardenter inflammare debeat. Nam, quod ad difficillimam translationem, atque propriam venuſtatem attinet, nihil eſt tam cuique linguæ proprium, tamque in ea natum, atque ingenitum, quod in quamque velis, transferri, atque explicari non poſſit. Quod vero aliam venuſtatem in ſua, quam in aliena habeat lingua, neque ipſe inficior, ſed cum ea non utamur, neque propterea magni facienda eſt. Quod autem ad obſcuriſſima, atque perceptu difficillima ſenſa, primum ea pauciora eſſe poſſunt, ut in quibus explicandis multi doctiſſimi inſudarint Viri, ut locus unus, ad ſummum duo tanti eſſe non debeant, ut homines ætatem in ſummum, ac perpetuum laborem accerſant; quæ quando etiam deprehenderint, non tamen propterea Theſaurum reperiſſe videri poſſint. Tametſi horum locorum involucra non ad omnes facultates pertinent. Fortaſſe Madio concedam, ut in ſuis abſtruſis in Philoſophia ſenſis ex Græco Ariſtotele, non autem ex male inverſo ea deprehendat, quæ tamen in eo quoque niſi optimo ingenii acumine, atque prudentiſſimis inveſtigationibus adjutus ſit, tam feliciter, ut facit, deprehendere poſſet. Non ita fortaſſe in cæteris facultatibus. Sed fac ita ſit; ut in alienis ſcilicet linguis, niſi nobis ipſis fidamus, ac propterea recte earum cognitionem perſequamur, hoc continuo ſequetur, ut quod iſti in Græca faciendum cenſent, in cæteris aliis linguis idem ſit nobis faciendum. Nam, ut Chriſtiani rem noſtram prudentius agamus, quemque noſtrum, ut linguam Judæorum optime calleat, oportebit: qui tamen paucis primis, qui eam in Latinum converterunt, totius rei ſummam fideliter permittimus, ut ma-

magis magnam gratiam iis habere debeamus, qui nobis in Latinum ſermonem aliorum facultates tranſtulerunt, quam longum, ac novum laborem Latino adjungere. At Latina oratio, ut aliena, tamen nobis eſt prædiſcenda. Recte quidem. Sed multum tamen differt, multoque facilius eſt, in poſſeſſionem quaſi majorum, quam in alieniſſimorum, venire. Nam Latina dictio, ſi non cum noſtra, qua nunc utimur Italica, prorſus conſentit, certe ejus voces innumerabiles prope idem ſunt cum noſtris: in quo vero noſtra diſcordat, nihil facilius eſt doctu atque perceptu. Primum enim unica lingua omnia docemur; deinde ſuis quæque in ea certiſſimis, ac breviſſimis regulis continentur. In Græcis vero omnia contra. Quando vix quinque linguæ ſatis ſunt ad eorum rationem complectendam, quarum ſingularum ſi quid nos effugerit, nihil agitur. In quibus præter accentus, neque & ipſos cum ad pronuntiandum ſatis aptos, tum etiam ad vocis ſignificationem commutandam varios, quis aut labyrinthus implicatior, quam aut Nominum per caſus, ac multiplicatos numeros, aut Verborum per modos, ac tempora incerta inflexio? quæ recta cum addideris, prope infinita accedunt, anomala appellant; quos, ſi Proteos appellaſſent, multo rectius feciſſent, quando numquam deprehendi poſſunt. Præterea vero quæ rabies eſt in verbis in *Imi* terminatis? aut quis homo in iis deprehendendis non inſaniet? Quid in Theodori quarto? nonne eſt extremi laboris, ſummæque difficultatis? Figuras item quis numerabit, cum nihil ſ apud eos dicatur, quod figuræ nomen non habeat? Sed ad Latinam redeo, in qua omnia faciliora habemus. Neque Scriptores deſunt, qui fere de unaquaque re abunde perſcribant. Nam, ſi dicendi quis artem deſideret [etſi mea quidem ſententia is citius, ac probatior fiet Orator, qui in Ciceronis Orationibus perlegendis verſabitur, quam qui in omnibus Rhetoricis ætatem conſumpſerit] unus ei idem Cicero multis modis præſto adeſſe poterit; cui tamen ſi mancus videatur, qui ad Herennium ſcribit, reliqua ei abunde ſuppeditabit. Qui quoque ſi parum minute rem pertractare videbitur, is ad unum Quintilianum confugere poterit, qui vel a teneris, ut dicunt, unguiculis Oratorem nobis informavit. In ea vero ſcribendi ratione, quæ paulo numeris adſtrictior tenetur, Horatius quoque

que in Poetica facultate non pauca illi attulit adjumenta. Hiſtoria vero ſi magis delectetur, hanc quoque multiplicem a Latinis habere poterit. Nam, ſi purus eſſe velit, Cæſarem habet puritatis parentem; ſi vero ei magis brevitas placeat, tum ad unius Salluſtii dictionem ſuam ſcriptionem accommodabit; ſi vero laxiore ſtilo, neque eo obſcuro, magis delectabitur, Livium in ſcribendo, quem imitetur, habebit. Unius vero Ciceronis elegantia, ac copia in omni dicendi genere ei copioſe, quæ opus erunt, ſubminiſtrabit. In eo enim fideliter verſando, humilia ſubtiliter, magna graviter, mediocria temperate facile dixerit. In Poetis vero ab uno Marone ea ſumemus, quæ a tribus Græcis, ſi noſtro careremus, nobis eſſent petenda. In ſermonibus autem, atque in Epiſtolis, quo ſcribendi genere Græcos carere conſtat; multo vero clarius in Lyricis, in quibus principatum obtinet, Horatius nobis optimum præbebit exemplar. Catullus, quique obſcœno carmine luſere, Tibullus, Seneca, cæterique Latini boni ad hunc dicendi ornatum præſto nobis adeſſe poterunt. Quin etiam in una imitandi ratione, quam multiplicem a Græcis mutuari poſſumus, ſi recte conſideremus, neque a Latinis quicquam deſiderabimus, ad cujus rationem noſtra ſcripta conferamus. De qua nunc plura non dicam, quam quod in tribus libris ad Alphonſum Ateſtium Principem meum ſum perſecutus. Ut prorſus Græca lingua quantum aut ad ſcribendum, aut loquendum, ſit etiam contemnenda, neque quantum ad doctrinam ex ea percipiendam, tam neceſſaria, ut ei Latinam iſti tam facile poſtponant. Quando ſuperior nulli uſui veniat, poſterior etiam partim a Latinis ipſis, partim ex iis, quæ ipſi ex Græcis in ſuam linguam converterunt, large nobis accommodetur. Quam meam admirationem nollem tamen cuiquam magis invidentia, quam quod ita re vera ſit, videri; quia ego ſcilicet Græcas literas ne attigiſſem quidem, eas propterea cæteris magis inviderem, quam quod earum utilitatem non probarem. Nam cum me natura ad id parum, quod norim, & loquendum, & ſcribendum, quam ad abſtruſa, atque recondita rerum ſecreta cæteris eruenda aptiorem eſſe cognoſcerem, neque in eo ullum a Græcis adjumentum haberem, contra vero a Latinis plurimum adjuvarer; his unis jure optimo me totum addixi, in hiſque

que elaboravi, omneſque meos conatus adhibui, ſi quid homine dignum edere poſſem, maluique naturam meam ducem ſequens, quaſi domi, atque in meis verſari, quam adverſis ventis ad alienas regiones fruſtra contendere. In quibus meis ſtudiis ſi quid mihi tamen a Græcis opus fuit, aut exemplis, aut rei alicujus cognitione, ut primum in libris de Imitatione, deinde in multo pluribus de Gloria feci, non deerat, unde id aut a veteribus ipſis, qui eadem ſcripſiſſent, aut a recentioribus, qui ea ex Græcis tranſtuliſſent, facile mutuari poſſem, faceremque, quod Craſſus Oratori faciendum eſſe volebat, cum præciperet, ſi quid ei dicendum accideret, cujus rei ſcientiam non teneret, tum is de illa viros eos conſuleret, qui eam optime callerent. At multo copioſius, multoque commodius utrumque feciſſes, ſi a te ex Græcis quoque tibi præſto affuiſſes. At, cui ſatis eſt ad eam rem, quam agit, ex ſuis rebus, nihil aliunde aut optandum, aut quærendum eſt amplius. Sed, quod ſuperius actum eſt, diſputandi cauſſa actum eſſe volo. Nunc quod ſentio, planius dicam. In Italia, in Germania, in Gallia, apud omnes gentes Græca lingua vigeat, valeat, in pretioque ſit magno, modo Latinæ, ut par eſt, nuſquam præferatur, hæcque priorem ſemper locum obtineat, Græca ſecundo contenta quieſcat. Itali denique homines ut priori ſtudeant, ne quaſi in Patria peregrini, atque hoſpites, atque adeo infantes ſint, probo, voloque: id quod cum effecerint, tum poſtea per me quidem eis licebit, ut cum ſua, quam velint, etiam linguam conjungant. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Joanni Baptiſtæ Pignæ S. D.

Significat, multum quidem eſſe laudari a laudatiſſimis Viris; ſed ejus generis verſibus, atque ſcriptis, quæ non vulgaria ſint, laudari, multum ad laudis dignitatem adjungere; hortaturque, ut ſuorum verſuum deſcriptionem maturet, eoſque primo quoque tempore edendos curet.

16. ETſi novi nihil de Bembo, ac Flaminio mihi nuntiaſti; probe enim utrumque antea ſciebam ea de

de me ſcripſiſſe ; gratiſſimum tamen fuit , cum te ſenſi tanto gaudio affici , quod tantum officii a tantis Viris mihi tributum eſſet. Multum enim eſt laudari a laudatiſſimis Viris , ſed ejus generis verſibus , atque ſcriptis , quæ non vulgaria ſint , laudari , multum ad laudis dignitatem adjungit. Id quod etiam in tuis efficitur , quibus his nihilo inferior es , neque benevolentia , qua me ſumma proſequeris , vel a quoquam meorum vinceris. Unus enim es , in quem illud minime congruat , *tamquam oſurus ama*. Quod hominum genus , quoniam amicitiam ex utilitate , non autem ex honeſto dimetiuntur , cum ea illis adempta eſt , benevolentiam in odium , quid enim dicam alio? transferunt , ut ille noſter , cui quamdiu. Sed nolo amara recordatione tibi ſtomachum movere. Matura , mi Pigna , tuorum verſuum deſcriptionem , eoſque primo quoque tempore ſub præla mitte , quibus ipſe tibi non parvam gloriam , tuis vero amicis non parum dignitatis compares , mihi vero ſeparatim amoris erga me tui non obſcuram ſignificationem omnibus teſteris. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Joanni Baptiſtæ Pignæ S. D.

Gaudium ſuum de conciliatis Nuptiis effundit , ſummamque Sponſæ pulchritudinem extollit. Ipſi tantum gratulatur , quantum ſummus in ipſum amor facere cogit ; Sponſæ vero , ipſiuſque parentibus , quantum rei felicitas poſtulat.

17. O Deo , a quo ſolo conciliatæ ſunt , dignas Nuptias! Muſa meum Pignam generum ſibi delegit? Pigna Muſam ſocerum habebit? O prudentem Muſam , qui virtuti omnes opes , nobilitates ſummas [ſi qua tamen præter , quæ a virtute proficiſcitur , ulla eſt nobilitas] tam facile poſthabuit. O te contra , Pigna , undique Deo optime probatum , quem Principis filio primum gratiſſimum fecit , nunc vero cui , atque adeo omnia alia agenti , honeſtiſſimas Nuptias confecit. Quid autem de Sponſa dicam , quæ cum honeſtate pulchritudinem adæquavit? Caſu enim illam memini me vidiſſe , cave putes Ticianum penicillo pulchriorem effingere potuiſſe ,

tuiſſe, quam etiam ſpero te optima prole parentem facturam. Ejus enim generis eſt, quod facile domum liberis impleat, neque Pigna pater parvos ex ſuo pinu fructus edidit. Quibus omnibus rebus tantum tibi gratulor, quantum meus in te ſummus amor me facere cogit; Sponſæ vero, ac utriuſque parentibus, quantum rei felicitas poſtulat; reliqua vero, quæ multa ſunt, coram. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Joanni Baptiſtæ Pignæ S. D.

Jocatur cum ipſo de opere, quod ardentius incœperat, neque adhuc abſolverat: ait, Apollinem non ſemper arcum tendere, animumque relaxandum eſſe, ejuſque recreandi cauſſa ad Cœlum interdum exeundum, ut eo poſtea ardentiori ad ſtudia revertamur.

18. ITa ne, Pigna, in tuo de ſingulari certamine properas? ita ne opus urges? cui etiam ſæpe de tuis optimis ſtudiis non parum detrahis? ut brevi abſolutum edas? qui nunc illud tanta, ac tam bona hora defraudas? Nam etſi puſillo temporis interpoſito ſpatio hominum ingenia in ſua ſtudia inflammata non ita deferveſcunt, ut prorſus obdureſcant, neque unius remi brevis admodum ſuſpenſio navis ſuſceptam fugam multum retardat, eo tamen temporis momento nonnihil aut ex calore remittitur, aut ex incitatione detrahitur. At nihil ſit hujus. Retineat impetum ſuum navis, neque in ſua ſtudia animus minus æque concaleſcat. Certe id temporis vacuum effugit, ac, quod in eo conficeretur, nunquam poſtea reſartietur. Equidem non vereor, quin, cum ex iſta venatione prope ad alteram noctis horam domum redieris, ac ut in Bibliothecam pedem intuleris, continuo ita ingemiſcas, ut frontem ferias, ac cum in manum volumen ſumpſeris, hæc in ejus album proferas; hoc jam totum completum eſſet, ſi, ut par erat, domi manſiſſem, ac Heroas ad pugnas inſtituere, quam timidiſſimos lepores canibus inſectari maluiſſem, tuique iſtius facti valde pœnituerit, quod non ſolum heſternum penſum, ut tu dicis, tibi conſtitutum non abſolveris, ſed ne colum quidem attigeris. Sed quid facerem? Aloyſio Principi noſtro,

ac

ac reliquo nobiliſſimo comitatui parendum fuit; *neque* præterea *arcum ſemper tendit Apollo*. Noſti cætera. Poſtremo animi quoque ſunt relaxandi, atque ejus recreandi cauſſa ad Cœlum interdum eſt exeundum, ut eo poſtea ardentiori ad ſtudia revertamur. Recte equidem. Sed ne id ſæpius facias, ac in feris capiendis ne tanta ejus ſtudii voluptate capiaris, ut horum optimorum obliviſcaris, idque in primis videas, ut laborem ferre poſſis, qui nondum ſatis ex repentino, ac graviſſimo ſuperiori morbo convaluiſti. Sed heus tu, prædæ participem tuum Riccium ut facias, memento, quando delectationis facere non potes, quæ pro medici mercede eſſe poterit. Sed ſatis jocati ſumus. Ecce tibi Bononienſes, qui pulſant, ut me interrogent de boni illius adoleſcentis integritate, cujus pietas tanta fuit, ut etiam ſorori nulla in re defuerit. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Joanni Baptiſtæ Pignæ S. D.

Significat, ſe diem Solſtitialem, hoc eſt, longiſſimum, lætiſſime cum amicis peregiſſe, omnibus tamen eum viſum eſſe breviſſimum; reliquos amicos ciſio ſub veſperam in Urbem revectos, ſe vero adhuc ruri manere ad ſuam reliquam meſſem curandam.

19. QUas tu Principis noſtri nomine ſcripſiſti, ruri redditæ mihi ſunt literæ. Quod ad eum attinet, valde lætor. Nam quod noſtro optimo peditatu nihil ei opus fuerit, aut enim is ab eo optime paratus eſt, aut pacis ſpecula aliqua oſtentatur, quam ego tamen adduci non poſſum, ut ſperem; quod vero ad nos, atque ad eos, quibus tuo nomine ſalutem ut dicerem, juſſiſti, eos ſcito, quo die tuæ ſcriptæ ſunt, eodem me cum Fuſchinio ad Ricciolam meam in Quartiſano fuiſſe, ubi omnia lætiſſima, niſi quod ipſe deſiderabaris. Noſti Madii urbanitatem; quicquid habuit in eo genere, totum eo die deprompſit. Sylvius poſt prandium ad lyram cecinit primum; ut ſe de amicitia dicturum non paucioribus verſibus propoſuit, convertit cantum in meum villicum, quem ab optima agri colendi

ratione maxime commendavit. Forte meus Architriclinus Sponſæ deſiderio tractus, quæ eum non longe ad ſuam villam expectabat, mire properabat. Hujus deſiderii Sylvium clanculum in aurem certiorem ut feci, tum is, noſti quam promptus ſit, in hujus diſceſſum verſus ſuos convertit, atque amatorium ejus deſiderium ita expreſſit, ut nihil melius. Diſceſſit Sponſus. Quievit parumper Sylvius. Sermones interjecti ſunt quaque de re lætiſſimi. Madius incipit. Sequitur Sylvius. Neque Sylvii Franciſcus, atque Fuſchinius muti ſunt. Ego vero omnibus frigidior eo die ferventiſſimus fui. Quibus ut ſatis datum eſt, Sylvius inquit: jam amicitiæ ſatis eſt faciendum; atque ita ſecundo lyram ſumit, eique, ut dixit, optime ſatisfecit. Ex diſcordia primum omnia conſtare oſtendens, neque ea ratione concordiæ, atque amicitiæ quicquam opus eſſe, probans, tum contra in virtutem ipſius amicitiæ ingreſſus, omnia tam prudenter ab ea vidit, quam etiam eleganter cecinit. Sed rem miram audi. Dum canit Sylvius, advolat Philumena avicula; in propiori ædibus moro conſtitit, cœpit & ipſa illo ſuo vario gutture ad lyræ ſonum reſpondere, atque ita varie, itaque artificioſe, ut diceres, eam dedita opera in certamen cum Sylvio veniſſe. Animadvertit ille, atque ad eam aviculam aliquot verſus, ut cæteros omnes, optime compegit, atque ita Urbanæ Sylveſtris quoque Muſa conjuncta eſt. Credo, aviculam illam Sylvium unum ex ſuis Sylvis cum ex cantu, tum etiam nomine ratam eſſe, atque ita illi cantu ſuo ſub eſſe blanditam. Hic dies ita, ut audis, nobis lætæ peractus eſt, ut putem nullum Regibus lætiorem peragi poſſe. Solſtitialis is fuit, hoc eſt, longiſſimus, & tamen omnibus breviſſimus eſt viſus. Sub veſperum tuo ciſio in Urbem revecti ſunt. Ego vero ruri manſi ad reliquam meſſem meam curandam, ubi etiam adhuc contineor. Vale

BAR-

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Alberto Lollio S. D.

Ejus epiſtolam ſatis juſtam, & elegantem laudat, cum tamen nihil eſſet omnino, quod ſcriberet. Hortatur, ut ad ſe veniat ad Orationem Ferrinii audiendam numeris omnibus abſolutiſſimam, antequam ille cum Hercule Principe ad Carolum Imperatorem ſe in viam det.

20. QUieſcebam, an languebam potius ex febricula? cum tuæ mihi literæ ſunt redditæ; eas tamen avide perlegi. Quæ ita mihi jucundæ fuerunt, ut in eis legendis acquieſcere, languere mihi antea, ſim viſus. Erant enim ſuaviſſime, atque amantiſſime ſcriptæ. Sed mirus es ſcriptor, qui, cum nihil eſſet omnino, quod ſcriberes, id tamen ipſum ſcribens epiſtolam tibi confeciſti ſatis juſtam, nec eam quidem minus elegantem. Ego, mi Lolli, me a te tantum antea diligi ſum ratus; nihil enim acciderat, quamobrem amplius expectarem; nunc vero etiam amari me ſenſi, qui in iſto tuo ſuaviſſimo ruſticatu noſtri tam ſuavem memoriam præſtiteris; pro quo ego, tibi quod referam, habeo nihil. Nam, quod nunc facio, non meum eſt, ſed tuarum literarum, quæ me ad ſcribendum provocarunt. Utinam haberem, qui Gypſianam epiſtolam illam bene longam tibi deſcriberet, fortaſſe in ea aliquid tibi, quando ita tu ſcribis, gratum facerem. Sed id quoque mihi per meam ſcribendi negligentiam, vel laborem potius, minime licet. Sed, cum veneris, aut in Academia, aut in noſtro Ciſpadano [ut Romani loquuntur, non autem ut nunc ſumus] eam commodius legere poteris. Huic Ferrinii noſtri accedet illa Oratio abſolutiſſima, quam tu pœne inchoatam legiſti, qua ſi ita, ut erat, primis lineamentis adumbrata tantopere admirabaris, nunc næ, mihi crede, clamores tolles, cum ſuis omnibus partibus, ſuo omni ornatu Fœminam illam Regiam a vobis Academicis deſcriptam, expreſſam, atque ante oculos propoſitam quaſi loquentem videbis. Mirum enim ejus Viri ingenium eſt, atque ad omnia optima natum. Sed niſi advolaris, tota iſthæc tua dele-

ctatio in ejus reditum reſervanda eſt. Inſtat enim, quin adeſt potius dies, quo una cum Hercule Principe noſtro ad Carolum Imperatorem ſe in viam det. Sed, ſi me audies, cum venerit, veneris. Interea, quod facis, iſto tuo otio perfrueris. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Alberto Lollio S. D.

Poſtquam de cognomenti loco apud antiquos uſitato nonnulla dixit, interrogat, quid tam triſti tempore agat, & ubi ſit: ſubjicit vero, ſe cum univerſa familia in Beriguardo belliſſime habere, donec Pater Princeps Ferrariam eos accerſi juſſerit.

21. DUm ſum in Beriguardo per hanc peſtilentiam cum meis Principibus, forte, ita ut fit, in deambulando locum ambiens, incidi in tuum nomen in columna quadam picta deſcriptum. Continuo manum tuam agnoſco. In FL. vero hæſitabam. Non enim id cognomenti tibi eſſe memineram. Dum in eo ſum explicando, Renatus Braſaulius optimæ ſpei adoleſcens, qui nobis a Principe patre medicus eſt datus, ſupervenit. Ac continuo [ante enim & ipſe in id inciderat] is eſt, inquit, Lollius tuus; id autem Fl. inquam, Flavium, inquit, ſignificat. Tum illi acquievi. Nunc vero tibi non acquieſco. Unde tu autem, Lolli, cognomentum prænomini in veteribus nominum ſcriptionibus præponi umquam legiſti? non autem ſemper tertio in loco? num fortaſſe Cæſar ſcriptum de ſe reliquit: *Cæſar Cajus Julius*? Cicero item, *Cicero Marcus Tullius*? aut in Hiſtoriis uſquam legitur, *Africanus Publius Cornelius*? Certe tuus ſcribendi uſus inverſus eſt. Rectius vero eſt, ut cognomentum tertio in loco ponatur, ut C. Julius Cæſar, ita & in cæteris, ut tu quoque rectius poſthac facias, ſi ad antiquorum rationem ita ſcribas: *Albertus Lollius Flavius*; quando id tu cognomenti loco tibi confeciſti. At hæc inverſio aliquando etiam in veteribus ſervata eſt, ut in Paulo Æmilio, item in Criſpo Salluſtio. Recte quidem cum nomine tantum; cum prænomine vero non ita; ut ſiquis dicat, Criſpus Cajus Sal-

lu-

luſtius; item Paulus Lucius Æmilius, ineptiſſime dixerit. At Lilius noſter ita ſe quoque inſcribit; ut Lilium & prænomini, & nomini præponat hoc modo: Lilius Gregorius Gyraldius. At ille tecum in cognomento in pari errore verſatur, in nomine vero ſolus errat, qui Gyraldium ad Latinam rationem, non autem Gyraldum ſe inſcribere deberet. Sed hactenus de cognomenti tui loco. Ecquid autem hoc triſti tempore agis? aut ubi es? Nam te quoque arbitror tibi, ac familiæ tuæ conſuluiſſe, Urbeque exceſſiſſe. Nos cum univerſa familia in Beriguardo belliſſime habemus, hoc eſt, multo melius, quam aliquando ſumus veriti; ego in primis, & uxor, & filioſus Camillus, ubi tamdiu ſumus futuri, quoad peſtilentia ex Urbe abiverit, ac Princeps Pater nos Ferrariam accerſi juſſerit. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Alberto Lollio S. D.

De rebus multis hac epiſtola certiorem facit, ſed præcipue de peſtilentia, quam nondum abiiſſe prorſus ſignificat: Beatricis Lunæ pecunioſiſſimæ fœminæ liberalitatem laudat, Viroſque optimos Regia auctoritate curandæ Urbi præfectos commendat.

22. MI Lolli, quando ad Urbem redibis? quando Lilium, ac Riccium tuum reviſes? cur non, quo die tu rus tuum, ego in Beriguardum diſceſſimus, non item eodem die in Urbem reverſi ſumus? Redii equidem, VII. Id. Octob. cum omni familia incolumi; ſed, quoniam tu hinc abes, atque, ut video, diu es abſuturus, mallem equidem in Beriguardo etiam hyemaſſe. Continuo ad Lilium accedo. Miratur, cum me videt, lætatur, gratulatio fit maxima, ac mutua, ſuaviſſimi ſermones, neque de te non multa. Fortaſſe quæris, qui ſtatus Urbis, utrum peſtilentia prorſus abierit? ac quid ſpei oſtentetur, melius fore? Scito igitur, quas primum ædes occluſæ ſunt, eaſdem aut nondum eſſe reſeratas, aut vacuas novis factas habitatoribus, quæ tamen multo ſunt pauciores, quam homines ſuſpicantur. Omnes Mauri, paucioribus quibuſdam exceptis, in qui-

bus Pyrrhitis eſt Didacus noſter, partim ad mare abierunt, partim in Pado ſunt in anchoris. Quidam ad Padanam inſulam appulerunt ad Gabannam turrim. Rumor eſt, reditum eis in Urbem iri conceſſum, qui Chriſtianam vitam agere velint, cæteris nullus apud nos locus eſt futurus. Sus ille obeſiſſimus, ac numeratæ pecuniæ ditiſſimus, domi cum familia concluſus continetur. Beatrix Luna pecuniоſiſſima fœmina, neque & ipſa hac calamitate immunis remanſit; ſed animi ea mulier ſumma eſt altitudine, de qua ego vel in Principes id commode uſurpare poſſum: vos etenim, Principes, animos geritis muliebres, illa vero mulier Principum. Hæc, inquam, in ſingula eorum, qui Urbe ejecti fuerunt, capita quinque aureos pro viatico diſtribuit; quæ ſumma ad noſtram rationem, ad XX. M. Scutatorum aureorum pervenit. Et non hic ego item exclamabo, o Virgo digna viro? Curandæ. Urbis præfecti ſunt Viri optimi Regia auctoritate, qui etiam quoſdam virgis cædi, atque alios ſuſpendio necari juſſerunt, in quibus mirus eſt Alphonſinus Trottius eques, ut noſtri dicunt, Rhodianus. Princeps Pater Mutinam heri diſceſſit. Nos ad noſtras horas in arce cum Principibus filiis ſumus; reliquum domi in noſtris ſtudiis tranſigimus. Ego, & Lilius te cupide expectamus, qui ſi tertius acceſſeris, tum aliquid eſſe videbimur; cura tamen, quamdiu ruſticaberis, æque belle ut valeas. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Alberto Lollio S. D.

Gratias agit de viſio, iterque ſuum feliciter confectum deſcribens miram aurigæ peritiam laudat.

23. CIſio tuo ſum uſus, multo quidem meo commodiore. Cum enim equos, tum aurigam habes prudentiſſimum. Noſti, quoties via ruſticis curribus danda, atque ex trita orbita excedendum eſt, idque tam in Urbe, quam etiam extra Urbem, cave quicquam uſquam ſuccuſſerit. Lectica non quietius vectus eſſem. Ubi vero via aut terræ defectu caveam fecit, aut paulo acclivior deprimitur, hac leniſſime deſcende-

bat,

bat, illac vero aptiſſime declinabat. Credo, ſub diſtentis funibus vel longum iter ciſium tutiſſimum duceret. Cœlo vero uſus ſum ſubnubilo, hoc eſt, perquam temperato; via minime pulverulenta. Is enim, qui altior erat, pulvis, ſuperioris noctis minuto imbre ita depreſſus jacebat, ut vix ad multarum rotarum tritum tam cito ſe tollere poſſet. Quid quæris? Totum iter, vel potius brevis excurſus felix, niſi ad id diei horam impranſum aurigam habuiſſem, qui, ut poſtea audivi, neque apud te cibum ceperat, neque a me, ut qui merendæ potius, quam prandii, tempus viderem, quicquam invitatus eſt. Sed, cum ad villam ventum eſt, omnia correcta ſunt; ut, ſi jejunus tam mirus ſit auriga, neque hunc tenorem ſervet plenus, te hortor, ut bellam aliquam cauſſam reperias, qua eo vacuo ſemper utaris. Sed ſatis de via, atque de jocis. De ciſio gratias tibi ago. Si, ut eam quoque referam aliquam, voles, meum tu quoque, cum opus erit, tibi adduci jubebis. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Alberto Lollio S. D.

De hominum conditione queritur, nihilque eſſe ait, quod vitam magis beatam efficiat, quam prorſus ignorare, ſibi moriendum eſſe. Rus, & Muſeum ipſi jucundiſſimum ideo eſſe ait, quod proximo vicino utitur, cujus ſuaviſſima conſuetudine fruitur.

24. DIi meliora faxint; hodie mane rumor exiverat, Bivilaquium tuum graviſſime laborare, parumque abeſſe, quin animam ageret. O hominis conditionem! Adoleſcentem tertium ac vigeſimum annum agentem, nullo corporis labore exercitum, nulla animi ſolicitudine affectum, in omni honeſto otio conſtitutum, qui vix ægrotare cœpit, tam cito in mortuis adnumerari! Dii boni! quid homo vel a muſcis ipſis diſtat? quid, inquam, inter hominem, & cætera intereſt animalia? Ratio, inquiunt, ſcilicet. Quaſi vero aut ii non ſint plures, qui, ea ſpreta, uni appetitui obediant, ac belluarum more agant, aut etiam nihil rationis, quam beſtiæ ipſæ, habeant amplius. At in vita hæc ratio homi-

minem juvet plurimum; conferat maxime ad vitæ rationem hæc ratio; certe in morte quid profit, expecto, qui mihi id dicat. Continuo enim ſatius eſt, quid ſit mors, neſcire, neque quicquam eſt, quod vitam efficiat magis beatam, quam, ſibi moriendum eſſe, prorſus ignorare. Qui enim Dionyſii enſem in caput ſibi caſurum ſuſpicit, qui quieto, qui ſecuro animo ſpiritum unum ducere poteſt? Ea enim ratione homo ſe habet cum morte, quæ multo illi etiam undique propior adeſt, qua ſe ex una ſeta equina appenſo gladio Tyrannus habebat, ut niſi expectem cum Chriſto ad Superos aſcenſum, cum me iterum in hanc vitam revocarit, ac in æternam illam ſuam gloriam me ut perducat, malim vel lapis eſſe, etiam in quem omnes omnium cælatorum ſcalpelli, ac mallei exercerentur, ad columnam vel ſtriatam conformandam. Sed redeo ad te. Rus iſtud tuum, tuum Muſeum non tibi tam placebat, quod Urbi propinquum eſſet, quod ſitu, quod habitatione, quod cæteris commodis peropportunum illud haberes, quam quod hoc proximo vicino utereris, atque hujus ſuaviſſima conſuetudine jucunde fruereris, quem niſi Deus ſua benignitate incolumem tibi præſtet, nulla vis alia medica eum in vitam reſtituere poteſt. Qui ſi ſecus ipſe ſentiat, ac ſecum eum velit, tu te, Lolli, colliges, ac tuam cum ejus ſententia libenter conjunxeris, tuamque iſtam ſolitudinem tuis libris conſolabere, ſcribeſque, quæ cum ad iſtum dolorem levandum, tum ad tui memoriam aliquam, ſi modo id quicquam eſt, quod mortuos honoris ſequitur, longiorem efficiendam, plurimum valeant. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Alberto Lollio S. D.

Aonii ſcripta valde commendat, quod is Scriptor ſit, qui in utroque ſcribendi genere & Poetico, & Oratorio excellat, eumque Navagerio, & Bembo anteponit, cum multo graviora, & difficiliora perſecutus ſit, atque etiam tam feliciter abſolverit, quam ipſa rei materia, quæ eſt de Immortalitate Animæ, poſtulat. Certiorem facit, Pignam a Principe adeo aſſidue modo huc, modo illuc duci, ut etiam uxori novæ nuptæ gratum non faciat; ſe vero ſolum in Urbe eſſe, nec habere, quid agat, niſi ut cum eo ita familiariter loquatur.

25. LÆtor, Aonii ſcripta tibi tantopere probari, cum ut meum judicium ex tuo magis ipſe comprobem, tum ut is a bonis omnibus bene audiat; tametſi, vel omnibus tacentibus, nihil de ejus laude detrahitur, ut qui etiamſi a nemine laudetur, ſatis ſua ſponte laudabilis ſit. Omnino mirificus Scriptor eſt, atque eo magis mirus, quod in utroque ſcribendi genere & Poetico, & Oratorio excellit. Quod adhuc, qui æque præſtiterint, cum etiam innumerabiles conati ſint, neque ex veteribus, neque ex recentioribus reperiantur. Cicero id quidem expertus eſt; ſed aut ſolutæ orationis dignitas, & ſplendor, quo uno maxime lucet, alterius lumen quaſi obſtruxit, aut in eo multo fuit inferior, quam ut Poeta dici poſſet. Ex recentioribus Pontanus in Poetica facultate etiam cum antiquis contendit; in ſolutiori vero oratione, qua una ſcriptione complura conſcripſit volumina, ſæpe etiam impolite ſcribit. Navagerius mea quidem ſententia egregie in utroque ſcribendi genere laudem magnam tulit; cum neque Bembus utrumque inepte faciat. Quibus duobus Aonius ſi non antecellit, certe in altero ſcribendi genere multo graviora, atque etiam difficiliora perſecutus eſt, quod etiam tam feliciter abſolvit, quam ipſa rei materia, quæ eſt de Immortalitate Animæ, poſtulat. Sed non eſt hic locus, ut pluribus de tanto Viro nunc agam, quam quod ipſe cum cæteris omnibus ex ejus ſcriptis cum copioſe, tum luculen-

lenter conſcriptis perceptum habes. Quare ad Pignam venio. Is jam, mihi crede, nos faſtidit, ac pro nihilo habet. Princeps iterum eum ſecum ad Caput aureum ducit; deinde ad Beriguardum; poſtea Comaclium; alio alias, ut etiam uxori novæ nuptæ gratum non faciat. Sed quid plura? Is in tanta ejus gratia eſt, ut pauci in pari; nullus in majori ſit; ut jam ſpem eam deponere poſſis, ſi quam unquam habuiſti, ut tecum vel dieculam unam in tuo Muſeo ponere poſſit. Ego hic ſolus ſum, nec, quid agam, eſt, niſi ita tecum familiariter loquar. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Alberto Lollio S. D.

Gratulatur de villæ amœnitate, otio, animique tranquillitate, qua ibi cum cariſſima familia lætiſſime fruitur; ſe vero undique in Urbe rumoribus, & ſuſpicionibus angi ſignificat. Gratias agit, quod ſuam imaginem inter alios doctiſſimos Viros collocandam ad Muſeum exornandum a ſe petat, ſatiſque ſibi eſſe reſpondet, ſi eam habeat, quam in ſuis ſcriptis tum ad ipſum, tum ad cæteros amicos quaſi ſpirantem miſſam aſſidue videre poteſt.

26. VIllæ tuæ amœnitatem valde tibi gratulor; ſed multo magis iſtud otium, atque animi tranquillitatem, qua te cum cariſſima familia lætiſſime frui ſignificas. Dii faciant, ut utrunque ſit perpetuum. Nos in Urbe ſumus; hoc eſt, non in bonis rumoribus, qui undique nos angunt, in cædibus, quæ quotidie fiunt, atque in iis ſuſpicionibus, quibus Urbis portas octo continuos dies clauſas habuimus. Cætera Dii boni, ut quiſque metum auget? ut mira prædicat? ut rumoribus de ſuo etiam multo acerbiora addit? tu vero felix, qui hæc ignoras, atque ad cujus aures iſta non perveniant, ut etiam doctiſſimorum Virorum imagines, quibus Muſeum tuum exornes, undique ſtudioſe conquiras, in quibus cum meam quoque ponere deſideres, me, ut aliquid eſſe putem, cogis, cum a prudentiſſimo Viro inter doctiſſimos Viros me recenſeri video. Sed, niſi ego iſthuc veniam, atque ſeptuagenarius quaſi ſtatua iſthic me ſta-

tuam,

tuam, quam mei aliam imaginem tibi mittam, non habeo. Tanti enim me nunquam putavi, ut quovis alio, quam naturali artificio, me exprimendum curarem. Utinam, quod vivo, quietius viverem. Sed quid amici formam aliam quæris, quam eam, quam in ejus ſcriptis, cum ad te, tum ad cæteros amicos quaſi ſpirantem miſſam, aſſidue videre potes, poteriſque propediem melius in Epiſtolarum ad familiares libris decem? Interea viva, ac vera amici imagine fruere, ut ego tua, ita Madii noſtri dicere poſſem. Sed omnes Dii omnia eis male vertant, qui tantum Virum a nobis tam iniique averterunt. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Alberto Lollio S. D.

Sellam remittens gratias agit, ſeque utrique plurimum debere fatetur; ſellæ quidem, quod vel lectuli molliorem quietem ſibi præbuerit; ei autem, quod eam miſerit.

27. QUando nunc dolor meus ſe totum remiſit, ego quoque ea ratione tuam ſellam tibi remitto, qui ſi tam longe a me abierit, quam ea a domo mea remittitur, neque is prius redierit, quam ego ſellam iſtam repetam, perpetuo ſum iſto cruciatu carituſ. Ne credas tamen, hoc modo me illi, atque adeo tibi gratias agere, qui me quam molliſſime accepiſtis; immo vero utrique fateor me plurimum debere; illi, quæ mihi vel lectuli molliorem quietem præbuit; tibi, qui eam miſiſti; quorum utrunque hoc meo ſcripto teſtatum volo: ac pro eo tibi ejus uſum vel magis probe poto, quam quicquam podagroſo, valde cupio; pro illa vero, ut Dii, quicquid eſt felium, qui eam fœde urina conſpurcant, diſperdant, etiam, atque etiam precor. Vale.

BAR-

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Antonio Luſitano S. D.

Conſolatur de morte uxoris longo ſpatio a rhedariis equis tractæ, atque ita capite illiſæ, ut inde paucos poſt dies mortua ſit, pollicetur que operam ſuam in ejus filiis relictis inſtituendis.

28. CUm tertio die ab elata uxore tua te adiſſem, Antoni compater, cum ut amici officium præſtarem, tum ut, quam poſſem, etiam tibi in tanto tuo dolore conſolationem aliquam afferrem, ita meæ voci tui queſtus, tua lamentatio viam omnem occluſerunt, atque tuæ lacrymæ tantam mihi vim lacrymarum commoverunt, ut [quod ipſe plane ſcis] vix verbum ullum eloqui, ne dum te quicquam conſolari potuerim; ut vere dictum ſit, maxime dolorem oculos augere. Nunc autem cum abſens ſum, ac meus dolor eo remiſſior factus eſt, neque tuo præſenti quicquam incitatur, partem alteram, quæ ad conſolationem pertinet, conabor, ſi poſſim præſtare. Amiſiſti, Antoni, uxorem, atque eam quidem uxorem, quam tu tibi tuo prudentiſſimo judicio [quid enim dicam amplius?] delegiſti. Amiſiſti adoleſcentem, ea tamen prudentia, quæ ſane multos homines multorum annorum facile ſuperaſſet. Amiſiſti matrem quinque filiorum, quorum major vix annum complerat octavum; atque in ea etiam terra [quando hoc quoque graviſſime ferebas] quæ multorum menſium itinere a tua diſtat. Quæ ſingula quanquam maxima ſunt, maximeque dolenda, te multo tamen mortis infelix genus excruciare videbatur. Quid enim crudelius? quid acerbius? quid a Diis omnibus alienius? Mane domi incolumem uxorem lætam cum ſuis filiis agentem relinquere, brevem autem poſt horam audire foris eam nulla ſua culpa, ſed ejus, qui id potuit, caſus, longo ſpatio a rhedariis equis tractam, atque ita capite illiſam, ut inde paucos poſt dies miſere moreretur? Quæ omnia etſi graviſſima tibi acciderunt, non tanta tamen ſunt, aut tam ab humana conditione aliena, quæ nullam prorſus habeant conſolationem. Nam, quod uxorem ex animi

nimi tui ſententia, tibique longe cariſſimam, ſummaque prudentiæ ereptam, nullum querendi modum facis, eo pertinere videtur, ut non tam ejus mortem, quam deſiderium queri videaris. Id, quod ſi ita eſt, qui iſtum tuum dolorem non modo levari, ſed etiam probari poſſit, non video. Nam, qui ſua commoda in amico quærit amiſſo, is vere eum non amabat, ſed ſuam in eo utilitatem ſectabatur. Quod vero timeas [quod quidem magis amoris eſt] ne quid ei in morte acciderit mali, fides, qua Deum Optimum Maximum, ac ejus Filium maxime coluit, me ſuſpicari vetat. Neque vero ex immaturo ejus diſceſſu quicquam eſt, quamobrem acerbior ſit iſte luctus tuus. Quid enim te quæſo, quod nos amemus, tam nobis diuturnum eſſe poteſt, quin, cum nobis eripitur, non ſemper immature eripi videatur? Uxor tua, etſi maxime anus deceſſiſſet, tibi tamen ſemper immature deceſſiſſet, quia eam æque ſemper adamaſſes. Multo vero minus eſt, quod filiorum ratione queraris. Relictus enim eis es pater, qui cum tua induſtria, tum tuis etiam optimis ſtudiis eos in eum dignitatis gradum perduces, quo tu es conſtitutus. Tametſi Principem habeas, quæ illis nunquam ſit defutura, & quia ſuapte natura clementiſſima eſt, & quia ex ejus gremio tibi uxor, illis vero mater erepta eſt. Quod vero in alieno ſolo eam te deſeruiſſe tam graviter queraris, quid hoc eſt, Antoni, quod tantum moleſtiæ tibi afferre poſſit? Num propterea tibi luctus eſt duplicandus? querelæ geminandæ? lacrymæ fuſius emittendæ, quoniam in alieno potius ſolo, quam in quo nata eſt, deceſſerit? Quaſi vero neſcias, omne ſolum omnibus hominibus ad habitandum eſſe conceſſum. Niſi forte, qui in Patria decedunt, non deceſſiſſe, aut recta in Cœlum evolaſſe videantur; qui vero peregre, & toti moriantur, & ad damnatos dimittantur. Neque denique ejus caſus, quem ipſe tam miſerabiliter lamentaris, ſic prudentiam tuam de ſuo loco deturbare debet, ut non recorderis, te & audiſſe, & legiſſe ſæpius, humanam conditionem omnibus fortunæ telis eſſe propoſitam, atque nos homines ea lege eſſe natos, ut ei parere cogamur. Tantum autem abeſt [vide quid ego dicam] ut fortunam improbe homines accuſemus, ut ei maximas gratias agere debeamus, quod ab ea una in ſuis calamitatibus maxima

ma nobis consolatio afferatur ; ea autem est, nos scire ejus culpa, nostra nulla imprudentia, calamitatem illam nobis esse allatam. Siquidem abesse a culpa maximum in adversis rebus est solatium. Quod cum ita sit, nihil cuique homini tam grave accidere posse videtur, quod non æquo animo ferre possit. Homini vero istorum studiorum, atque istius prudentiæ tantum abest, ut quicquam opus sit aliena consolatione, ut is amicos suos casum suum querentes his, atque multis aliis rationibus consolari maxime valeat. Lugeat imperita multitudo filios amissos, uxores, parentes, fortunæ casus, in quibus multa, ac maxima commoda illis adempta sunt ; carissimarum rerum desiderio vulgus soliciteur ; sapiens autem hæc omnia tanti faciat, quanti, quæ caduca, incerta, aliena sunt, facienda. Patriam is desideret, cui nullus apud alienas nationes honestus sit locus, nulla satis laudabilis conditio, qua uxor tua, dum vixit, honestissima apud Renatam Principem nostram est usa, apud quam tu quoque medici locum tenes. Postremo vero, quod te filiorum solicitudo graviter angat, quos infantes reliquit, cujus quidem ætatis cura maxime ad eam pertinebat, hoc te facile consolari potest, quod, si eis omnino ex parentibus alter fuit curandum, matre potius, vel de ejus quoque sententia, carerent, te autem incolumem parentem retinerent, a quo eo & studiorum, & dignitatis perduci possent, quo tu felicissime pervenisti. Ego vero, quod ad institutionem eorum rationem spectat, cum studii, tum patrii amoris, quod Camillo filio præstaturus sum, id eis omne polliceor. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Joanni Roberteilio S. D.

Ejus librum a pravis recentiorum se legisse significat ; mittit epistolam suam de Romanorum renunciis Herculi Gonzagæ Principi inscriptam, orat que, ut eam legat, & perscribat, si quid in ea minus probatum invenerit.

29. CUm mihi quæsti a pravis ipse liber tuus a meo librario allatus esset, in quo multa multorum locorum difficillima explicares, continuo ad eam partem accurro.

ro, quam tu de nominibus Romanorum inſcribis, idque ea ratione, quia in eam ſententiam ego anno ante epiſtolam ad Herculem Ateſtium Principem meum bene longam ediderам; quam totam partem avide primum devoravi, deinde etiam ſæpius ſumma cum voluptate perlegi. Quoniam vero in multis convenimus, non potui non ad te primo quoque tempore eam epiſtolam mittere, quam te antea non vidiſſe permoleſte tuli. Certe mihi tua illa parte nihil opportunius accidere potuit. Nam, cum quidam in meam illam epiſtolam ſcripſiſſet, in omnibus quidem inſulſiſſime, in eo vero, quod ad Romanorum familiæ in *jus* terminationem attinet, etiam ignaviſſime, qui & Privernates, & Larinates, & Arpinates, etiam [ſi Diis placet] Familiarum nomina eſſe contendit, is nunc palam, atque etiam multi cum eo ejus generis hominum videre poterunt, meæ ſententiæ doctiſſimos Viros ſubſcribere, ſuam vero nihil niſi meram eſſe inanitatem. Hanc igitur habe, mi Robertelli, legeque, & ſi quid in ea minus probatum offenderis, mihi longe gratiſſimum erit, ſi de tua ſententia me certiorem feceris. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Joanni Baptiſtæ Fuſchinio S. D.

Gratulatur, quod & belliſſime valeat, & optime confirmatus ſit: Cœlo illi maximas gratias agendas, ait, quod ei tam ſalubre extiterit; ejuſque adventum ſe anxie expectare ſignificat.

30. ETſi nihil ad te poſtea de Frigimelio, tamen ex iis literis, quarum exemplum Camilli filii manu deſcriptum habes, & me ab officio meo interea non diſceſſiſſe, & valetudini tuæ, quantum in me fuit, non defuiſſe, facile intelliges. Tibi tamen eas literas miſi, quas ad me Abioſius, qui noſtras ei reddidit, proxime reſcripſit, ut ejus quoque & amorem erga nos, & diligentiam in officio præſtando cognoſcere poſſes. Sed quod nobis maxime opus erat, id maxime obſuit, præſtantia medici, qui unus & Mirandulam, & Mantuam & [ne quid de Venetiis dicam] Mediolanum, & Romam uſque inter-

interdum accerſitur; ut, quos etiam Patavii interea præſentes curat, aliis medicis commendare cogatur. Sed illud tuum frigere in Frigimelio valde mihi arriſit. Certe magnum frigus eſt in operis, atque adeo ſomnus, cum in iis nulla præſens verſatur pecunia. Verum noſtra magis abſentia nobis obfuit, quam non præſens pecunia. Nam ſi ipſe affuiſſes, & morbum tuum facilius, quam ex epiſtola tua, cognoviſſet, & fidelius, ac magis memor ei remedium adhibuiſſet. Sed ego mihi gaudeo, tibi gratulor, quod, qui iſthinc veniunt, idem omnes uno ore nuntiant, te quam belliſſime & valere, & optime eſſe confirmatum; ut iſti Cœlo gratias agam maximas, quod tibi tam ſalubre extitit. Nolim tamen uſque eo te allicere, ut locum iſtum ad diuturniorem commorationem tibi conſtitueres, ubi multo magis ſicæ, quam quævis peſtis, ſunt devitandæ. Quare ut aliquid ſuſpicionis [quid enim dicam tumultus?] increpuerit, talaria induas licebit, præſertim tibi homini & vitæ integritate, & moribus optimis prædito. Te equidem hic cupio, ſed minime imbecillum. Cura igitur, ut quam optime confirmatus ad nos revertaris. Vale. Ferrariæ III. Cal. Decemb.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Joanni Baptiſtæ Fuſchinio S. D.

Guidum Balbum commendat antiquæ virtutis hominem, ſibique quinquaginta annorum amicitia conjunctiſſimum, ut nurus dotis nomine ab omnibus Judicibus ei adjudicatæ præſens aliqua pecunia dinumeretur, qua ejus filius eum ſenio confectum alere poſſit.

31. MUltos equidem quotidie cujuſque generis homines amicis, atque aliorum gratiæ diligentiſſime commendare cogor, nunc autem Guidum Balbum hominem antiquæ virtutis, Civem noſtrum ac quinquaginta annorum amicitia mihi conjunctiſſimum, mea ſponte, eoque ipſo inſcio, tibi unice commendo. Huic poſt ſextum annum de nurus dote ab omnibus Judicibus, ſcis eſſe adjudicatum, neque aliud reſtare, niſi ut ad dotem perveniat. Quot, ac quantos ſumptus, qui omnes amiſ-

ſi

ſi ſunt, in ea lite agitanda fecerit, non commemoro. Quas moleſtias, quæ incommoda miſer ſenex in ea ipſa perpeſſus ſit, non recenſeo; ſed, ut res cum ejus fratre, qui dotem eam dinumerare debet, componatur, valde laboro; ne, quod puſillæ rei, & ſpiritus ei reliquum eſt, in ea exigenda inſumatur, atque conſumatur. Quare te rogo, qui plurimum cum ejus pueri tutoribus potes, ita agas, ut Balbus noſter uno illo poſtremo judicio omni ſe & ſumptu, & moleſtia liberatum eſſe ſentiat. Quam iſti honeſtam conditionem illi afferent, eam eum tibi accepturum polliceor, modo præſentem aliquam pecuniam illi dinumerent, quam Carolus ejus filius in ſerico & purgando, & texendo exercens, parentem optimum, jam, ut vides, ſenio confectum alere poſſit. Si me, mi Fuſchini, amas, ut vere facis, cura, ut Balbus non ut ſciat, ſe a me plurimum diligi, ſed ut hoſce quatuor reliquos vitæ ſuæ dies cum ſine lite, hoc eſt, ſine omni cruciatu, tum cum Deo Optimo Maximo illam ei tranſigere liceat, ut ſi magnam ejus partem inquietam egit, ſaltem ex ea tranquille diſcedat. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Franciſco Portio S. D.

Ciceronis locum ad Herennium exponit, ſuamque de eo ſententiam ſignificat, petens, ut, ſi quid ipſe accuratius viderit, ſe de eo certiorem faciat.

32. CUm ad Pignam noſtrum eſſemus, atque ille quæreret in Horatio locum quemdam, tu interea ex poſtremo primo libro ad Herennium alium attuliſti. Ejus autem verba hæc erant. *Ergo, ut oſtendi, ea ratio eſt, quæ continet defenſionem, ſine qua nec parva quidem dubitatio poteſt remorari damnationem.* Quo in loco duo te offendebant. Alterum erat *nec* particula cum *quidem*, pro *ne* & *quidem*; alterum, *parva dubitatio*. Prius enim non ex uſu dictum; poſterius cum ſententia non ſatis apte convenire videbatur. Ego, ut veſperi domum redii, locum adii; ubi offendi in meo Codice illi *nec* literam *c* abraſam, atque ita *ne* relictum. Quoniam vero tibi affirmavi apud probatos Auctores interdum eo quoque mo-

do per *nec*, quo etiam per *ne* & *quidem*, & ſcribi, & legi, ut id præſtarem, viſum eſt. Cicero igitur ad Appium: *hoc totum nihil eſſe poſſum intelligere, ſed, cum ſit nihil, nec quid dicatur quidem*. Item ad Atticum: *nec rectum quidem*. Etſi Manutius emendavit, *ne rectum quidem*. Item de Amicitia ait: *At non eſt voluptatum tanta quaſi titillatio in ſenibus. Credo, ſed nec deſideratio quidem*. Cæſar autem 122. inquit: *quarum rerum illo tempore nihil factum, nec cogitatum quidem*, ut videas dicendi modum non inuſitatum, neque prorſus repudiatum. Quin etiam cum *non* offendo *quidem* conjunxiſſe Ciceronem, quod idem efficit, quod *ne* cum *quidem*; ut in Oratore 170. ubi ait; *hanc in Catone non noverunt quidem*. Sed redeo ad, *parva dubitatio*. Senſus eſt: ea cauſſa, quæ defenſione caret, nullum dubium eſt, quin continuo damnetur, quod is dixit, *nec parva quidem dubitatio eſt*, hoc eſt, parum dubitari poteſt, quin damnandus ſit. Sed tu loco *parva* reponas *nulla*, atque ita facias: *nulla dubitatio damnationem remorari poteſt*, quod perinde erit, atque ſi dixiſſes, *nullum dubium eſt, quin damnandus ſit*; atque ita locus mihi exponendus eſſe videtur. Tu tamen, ſi quid accuratius videris, ſi me contra hoc quoque modo certiorem feceris, mihi gratiſſimum feceris. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Antonio Commendunio S. D.

Gratulatur de mirifico filii ingenio, Deumque orat, ut illi incolumis ſit, viam, quam cœpit, inſiſtere pergat, ſpemque, quam maximam in teneris annis oſtendit, ad ſuum fructum, atque maturitatem perducat.

33. ANtonius Hiſpanus, Vir, ut mihi quidem eſt viſus, apprime doctus hac Romam tranſiens, me convenit, atque, ita ut fit, in ſermone, quem bene longum de literis, atque de literatis Viris habuimus, in Joannis Franciſci filii tui, cui ſe magiſtrum in humanioribus ſtudiis fuiſſe dicebat, mentionem incidit, cum fortaſſe, ut ſuum opus commendaret, tum ut ejus ingenium mirum in modum extolleret; in quo commendando Commen-

menduni nullum finem faciebat, quem iſtorum annorum cum in ſoluta oratione plurimum valere, tum etiam ad verſus cujuſque generis pangendos natum eſſe, ſumma cum ſua voluptate prædicabat. Tum ego: quid tam mirum, inquam, ſi qui eo parente natus ſit, qui poſt propria medicinæ ſtudia, in his etiam noſtris humanioribus non parum profecerit; matre vero, quæ Barbadiciorum avorum Principum virtutem, atque ingenium referret? cuique ipſe poſtea, quaſi optimi agri, optimus agricola acceſſeris, etiam cum duodecimo efferat? Hoc ego tum illi dedi collaudans ejus in eo ſtudium, atque etiam gratias egi maximas, qui in amici mei filio inſtituendo illius ingenio par artificium adhibuiſſet. Nunc vero pro noſtra illa veteri amicitia, quæ ab Antonio Abioſio noſtro uſque inſtituta eſt, tanto iſto tibi tui filii bono mirifice gratulor, Deumque rogo, ut is tibi incolumis ſit; ſolent enim præcocia ingenia cito concidere; ac quam cepit, eam pergat inſiſtere viam, atque hanc ſpem, quam iſtis ab annis maximam oſtendit, ad ſuum fructum, atque maturitatem perducat; tu autem, ut facis, illi diutius vivas, ut is in te tanto patre, tu vero in tanto filio longius oblectemini. Vale. Abioſio juniori, ac Sylvio Portio ſalutem. Ravennæ Id. Jul. MDXXXVII.

BARTHOLOMÆI RICCII

www.libtool.com.cn

LUGIENSIS

EPISTOLARUM

LIBER QUINTUS.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Marco Antonio Flaminio S. D.

Tota hæc epiſtola faceta eſt. Primum enim jocatur de duobus enſibus ad ſe miſſis multo longioribus iis, qui in uſu ſunt; deinde de iis rebus, quæ contra mittere pro gladiis ipſe poſſit: hortatur denique, ut æſtus fugientes Venetias abeant, ibique genio pro ſuis ſtomachis indulgeant.

1. LNſes accepi, quos Saravallo mihi ex ipſis officinis probe conflatos miſiſti, quorum alterum Grifolio noſtro dedi, alterum mihi retinui, utrumque probatiſſimum. Sed in eo plurimum vidiſti, quod, quam ceteri ſunt, multo eos longiores faciendos curaſti, ſcilicet, ut audentior, atque valentior, ut dicimus, eſſem in pugna, ac hoc modo longius a me hoſtem propulſarem, auderemque magis ea longitudine illum punctim adpetere; qui ſi brevior eſſet, meticuloſe me ſemper reciperem, ac ſatis haberem, ſi hoſtis ictus arte excíperem, quod mei ſimilis non eſt pugnatoris, qui hoſtem fundere, ac proterere valenter ſoleo. Sed ſatis de jocis. Pro utroque Hector noſter habet, quod diſſolvat. At ſi [videor enim te audire, fortaſſe etiam commotum, dicere: Ricci, quam hanc injuriam amicitiæ noſtræ facis?] negabis accipere, ſaltem quantum hominum ſuperſtitio jubet, accipies. Scis enim omnibus perſuaſum eſſe, ne amicis arma dono mittantur. Nam qui ego hinc vobis contra mittam, recte eſt. Sed qui ego ſcio quæ veſtris crudiſſimis ſtomachis conveniant? Hoc mitto, ut iſtis ſuaviſſimis receſſibus tamdiu perfruamini, quamdiu æſtus iſti ſe confregerint,

Ve-

Venetiaſque in primis fugiatis, ubi aquæ ipſæ æſtuant; genio vero pro veſtris ſtomachis indulgete. Nos hic, qui concoqueremus, quantum iſthic ferri eſt, die, noctuque lætiſſimis compotationibus operam damus. Ecce iterum ut ad riſus relapſus ſum. Curate æque uterque, ut valeatis, atque ad nos incolumes bene & ipſi valentes redeatis. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Marco Antonio Flaminio S. D.

Queritur, ex toto ſumptu facto ejus hortatu in excudendo APPARATU LATINÆ LOCUTIONIS, *vix adhuc ex libris divenditis decimam partem redemptam eſſe, idque librariorum culpa accidere, qui vafre ab emptoribus tertio pluris, quam mandatum eſt, petunt, ut libri relinquantur, poſſintque, commutatione aliqua facta, iis potiri, lucrumque inde ipſi ex arbitrio percipere. Orat itaque, ut illic, aut alibi eorum venditionem adjuvet, &, quod ſuo conſilio ſibi comprobavit, id quoque ſingulari officio apud alios comprobet.*

2. TUo hortatu, ut plane ſcis, LATINÆ LOCUTIONIS APPARATUM edidimus. Utinam quidvis aliud mihi perſuaſiſſes. Numquam enim tanta rei noſtræ calamitas accidiſſet. Nam ex toto ſumptu, quem in excudendis libris fecimus, vix adhuc ex divenditis decima pars redempta eſt. Quod eo factum eſt, quoniam librarii, quibus illi venum dati ſunt, cum quis rogat, quanti volumen indicent? tertio pluris, quam a nobis eis mandatum eſt, petunt. Tum docti Viri opus laudant, pretium pro libri magnitudine refugiunt. Hoc autem iſti id faciunt, ut ſibi tandem, quanti ipſi ea velint, idque in tempus, atque etiam commutatione aliqua facta, noſtro cum ſummo detrimento, libri ipſi relinquantur. Id accedit, quod Gryphius opus noſtrum præ lis ſuis continuo ſubjecit, atque ad tria millia probe deſcripſit; ut, niſi Julius Camillus noſter, qui ad Regem cum ſuo Theatro profectus eſt, aliquid ab ipſo Gryphio extorqueat, ut qui contra Regis Diploma fecerit, etiam de ſorte ne parum detrahatur, magnum ſit periculum.

At ſatis tibi ſit, quod nominis ex ea editione conſecutus es. Recte, Flamini; neque enim ego id minoris æſtimo: ſi modo ita ſit: ſed ſi ad id nominis aliquid etiam utilitatis acceſſiſſet, multo commodior ea nobis accidiſſet. Sperabam equidem ex hujus operis honeſtiſſimo lucro inopiam meam, quæ me in alieno victu jam multos annos continuit, ac obſtinate continere pergit, nonnihil levare, ut ſi querar, id jure optimo facere poſſim. Utinam id inique facerem. Commodius enim rationibus meis conſultum eſſet. Sed cum id mihi Dei optimi voluntate eveniſſe, ut cætera omnia, certo ſciam, cum ejus voluntate mea quoque conjungenda eſt voluntas. Id quod etiam pro ea, quam ipſe mihi dilargitur, in ſe & fide, & ſpe, libenter facio. Tu tamen aut iſthic, aut etiam alibi, ſi eorum venditionem quicquam adjuvare poteris, cura, ne quid eis defueris, &, quod tuo conſilio nobis comprobaſti, id quoque ſingulari officio apud alios comproba. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Marco Antonio Flaminio S. D.

Significat, ſe vereri, ne paucis nova puerorum inſtituendorum ratio probetur; ſibi tamen ſatis eſſe perpaucorum probatiſſimorum Virorum judicium, quibus ea placeat, quam innumerabilium ignariſſimorum inſcitiam, quibus diſpliceat.

3. COmmodius mihi nihil accidere potuit, quam ut tuæ illæ literæ, quibus, Calinius qua ratione filium ſuum in hiſce ſtudiis inſtituere debeat, pereleganter demonſtras, hoc tempore ederentur. Nam cum ego eam viam in meo Principe inſtituendo ſequerer, continuo hic omnes veteres frontem contraxere, atque monſtrum eſſe clamare cepere. Rationem meam profero: non audiunt: averſantur: novam inſtituendi rationem irridenr. Genus hominum, qui, quod ipſi non viderint, alios vidiſſe indignantur, digni, qui a glandibus nunquam abducerentur. Ut vero literæ tuæ lectæ ſunt, iſti ſe non prorſus quidem repreſſere, ſed tuo judicio, quem in hiſce ſtudiis valde profeciſſe ſciunt, plurimum tribuere. Sed ut ego id a me, utinam alii a te, cum

iſtas

iſtas tuas literas legerint, eam viam in docendo, quam tu illis monſtras, inſiſtant, atque a pervulgata ea, ac etiam longiſſima, ne dicam barbara, ſeſe ſenſim abducant. Multo enim rectius cum Latina oratione, cum adoleſcentulis vero multo etiam commodius ageretur. Sed vereor, ne ſecus accidat, atque in hac quoque breviori, ac faciliori docendi ratione id eveniat, quod in cæteris doctrinis evenire ſolet, ne pauci ſint, quibus hæc noſtra inſtitutio comprobetur. Tanta eſt enim animorum perverſitas, ut malint in ſua ſententia pertinaciter errare, quam in probatiſſima aliena fideliter emendari. Sed nobis ſatis ſit te ſcribendo, me vero & ſcribendo, & docendo quibus ea placuerit, non defuiſſe, nobiſque perpaucorum judicium, ut probatiſſimorum; quam innumerabilium, ut ignariſſimorum, inſcitia pluris ſit. Equidem, ſi mihi accidat, ut imperita multitudo meam ſententiam comprobet, tantum abeſt, ut id probem, ut pejus odiſſe non poſſim. Sed ecquid tuæ Muſæ agunt? ſilent ne perpetuo? exaruit ne jugis illa pangendi verſus tua vena? an ita ſtomacho etiam laboras, ut id te non ſolum palati, ſed etiam animi ſumma hac delectatione intercludat? Sed vive tamen, atque ita, ut quicquid inde ſubtrahere potes, in communem utilitatem conferas, modo ut Deus Opt. Max. laudetur, modo ut ingenuæ artes facilius percipiantur, demonſtrans. Maſejo, Priulio, Zanchio meo nomine ſalutem dicito. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Marco Antonio Flaminio S. D.

Gratias agit quam maximas, quod ſe verſibus ſuis celebrarit, laudeſque ſibi ab eo tributas elevare conatur: ſe ab adoleſcentia in Latina lingua perdiſcenda ſtudium, & operam collocaſſe ſignificat, recenſetque opera a ſe lingua eadem conſcripta, in quam barbare conjuraſſe plurimos non ſolum ex ultimis, & alieniſſimis Nationibus, ſed ex Italis ipſis plane perſpicitur.

4. TUos verſus accepi, an potius meos? qui quidem ad me, atque adeo de me ſcribuntur, quaſi, qui ſe aut a pictore, aut a cælatore expreſſum acceperit, non

tam ejus opus, quam se ipsum, ab eo accepisse dicere possit. Sed tui sunt versus, meæ vero laudes, quibus me tua Musa in iis immortaliter ornat, atque celebrat. Utinam vero, Flamini, meus color, atque is sanguis esset, quibus tu me tuis coloribus in describendo effinxisti; possem ego tum ad istam tantam laudem vere gloriari, ut nunc ad eandem ingenue verecundor; tamen, quicquid sum, si modo quicquam sum, id omne Deo acceptum refero, tibi vero tuo isto tanto mutui amoris testimonio gratias ago quam maximas. In eo vero, quod me a scribendo cessatorem, atque ex jocoso severum factum vocas, jocose tu quidem, atque argute magis, quam vere, facis. Nam quod ad literarum scribendarum intermissionem, hoc fortasse tuo earum desiderio condonare possum. Certe ego, quoties opus fuit, aut per quem id facere possem, ab eo officio nunquam destiti: quin etiam interdum, cum deesset, quod scriberem, mihi argumentum effinxi, ac quicquid in buccam, ut facimus, cum coram colloquimur, in Epistolam mihi conjeci. Quam vero meam severitatem significes, prorsus ignoro; nisi meam humanitatem damnas, quod cum ipse nunc primum, ex quo una esse desivimns, ad me scripseris, ego nihil id tibi tamen objiciam, immo vero fatear, te isto tuo elegantissimo Hendecasyllabo omnes meas literas facile superasse. Ubi vero me rogas, ut omnem barbariem a Latino sermone pergam expellere, nisi in hoc quoque, ut ubique facis, amice jocareris, haberem, quibus te commonefacerem, ut te in amicorum laudibus modestius ageres, neque mihi tantum tribueres, quod mihi summo magis oneri, quam ulli honori esset futurum, quem omnes sciunt hoc minime esse præstaturum. Curavi equidem, quantum in me fuit, adolescens, primum ut in Latina dictione perdiscenda ne mihi usquam deessem. Nam cum ea lingua maxime delectarer, in ejus studio stylum meum assidue exercebam, quem ne aliqua barbarie imprudens inficerem, primum meam lectionem a bonis Auctoribus ne verbum quidem abducebam; ut vero etiam magis expedite scriberem, ex iis ipsis mihi maximam Latini sermonis elegantiæ supellectilem confeci, quem librum LATINÆ LOCUTIONIS APPARATUM inscripsi, quem tuo postea [ut ipse plane scis] impulsu, quid enim dicam hortatu? cum cæteris communica-

vi,

vi, qui, ut ejus multiplices, ac publicæ editiones teſtantur, omnibus gratiſſimus exiſſe eſt viſus. Tres deinde libros de Imitatione ad Alphonſum Ateſtium Principem meum ſcripſi, atque edidi, opus plenum, atque abſolutum. Poſtremo vero de Familiarum, ſive Gentis nomine ad Romanorum rationem longiſſimam Epiſtolam ad Herculem Ateſtium conſcripſi, qua primus omnium Familiarum, ſive Gentis nomen in *ius* terminari, ut Julius, Tullius, Fabius, Cornelius, Lælius, & in cæteris reliquis facile comprobavi, atque ad ejus rationem Italicarum quoque Familiarum nomina corrigenda eſſe docui; quam meam ſententiam multi literatiſſimi Viri poſtea ſunt ſecuti, qui veterem Familiæ ſuæ ſcriptionem in hanc noſtram commutarunt; ut alii ex Zancho Zanchium, alii ex Ruffino Ruffinium, partim ex Sigono Sigonium, ex Calcagnino Calcagninium, ex Paſeto Paſetium, ex Gypſo Gypſium, ſeſe fecerint. Quo meo ſtudio ſi quid ei profui, valde gaudeo; certe non is ego ſum, qui mihi tantum arrogem, atque perſuadeam, ut veram Latini ſermonis rationem ab iſto barbariæ impetu vel omnibus Latinis aggeribus tueri poſſe ſperem; quando in hanc non ſolum ex ultimis, atque alieniſſimis nationibus innumerabilibus voluminibus inſolentius irruitur; ſed in ipſa etiam Italia multis partibus ii plures ſunt, qui in eam barbare conjurarunt, quam qui vel uno digitulo eam tueri ſtudeant, ut ſi Terentius cum ſuis Læliis, atque Scipionibus, ac Cæſar cum ſuis legionibus, quid enim dicam Commentariis? ſi Cicero denique cum ſua illa divina dicendi ratione huic adſit, fruſtra omnes agant, nihil opis afferant, nihil eam in ſua integritate retinere poſſint. Sed ad nos redeo. Ego, mi Flamini, quoties in mentem venit, quod in ipſa prorſus inhæret, quo tempore tu ad Saulium tuum Patavii cum Cochio utriuſque noſtro, ego Venetiis agerem, quam crebro una eſſe ſolebamus, cum ego modo ad vos, modo vos contra ad me ventitaremus; poſtea vero cum ego Civitatulæ docerem, ille vero cum Abioſio ad Arſaci pontem ruſticaretur, quo ſæpius ad conſtitutum diem conveniebamus, ac qui ſuaviſſimi ſermones haberentur, quaque mutua voluptate eos dies tranſigeremus, omnia naturæ conditione evanuiſſe, ita afficior, ut prope a mente aberrem; cum vero Cochium nobis deceſſiſſe ſuccurrit, præ dolo-

dolore mori non poſſum; neque interim tuus iſte ſtomachus me parum ſolicitat. Quare vide, quæſo, quod tamen probe facis, ne ei vim ullam afferas: illi obtempera, ac, niſi quod facile concoquere poſſit, id ei manſi prębe. Nos hic apud Principes noſtros rectiſſime habemus, operamque dabimus, ut etiam rectius habeamus. Camillus, cujus tu cum tuo Priulio indolem maxime laudaſtis, creſcit, ac probe docetur, neque minime ſpei puer eſt. Dii illum mihi, meque illi ſalvum aliquot etiam annos velint, qui duo de ſexaginta annos confeci; is vero nondum decimum complevit, quique in me omnia ſua, ut ille ſecum, habebat, habet bona. Mafejo Cardinali, ac Priulio ſalutem, Vale. Ferrariæ.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Aonio Paleario S. D.

Poſtquam de excuſatione, vel potius accuſatione literarum nonnulla dixit, nihilo amplius ſe eum laudando de ipſo meritum eſſe ait, quam qui de virtute virtutem laudans mereri poſſit: ſubjicit, Principes ſuas nobiliſſimas Fœminas egregie eruditas eſſe, ſuumque locum in ſuis de Gloria libris habere, aliaque addit ad publicæ præceptionis rationem pertinentia.

5. EQuidem, Aoni, excuſationem, quam affers, quo minus crebro ad me ſcribas, libenter accipio, ne ſi te de literarum intermiſſione accuſare velim, eodem ipſe me crimine condemnare videar, qui nihilo crebrius a te, quam tu ad me, literas dare conſueverim. Sed quid tu te, contra item ego me, quod minus frequentes in hoc fungendo munere fuerimus, tam inique accuſamus, cum uterque huic officio abunde ſatisfecerimus? Neque enim ego quemquam unquam nactus ſum, qui iſthuc veniret, cui meas ad te literas non dederim, neque tu contra quicquam a te mihi ad eas deſiderari permiſeris. Sed arbitror, quia id ea lingua fecimus, qua omnes Itali vulgo loquimur, qui magis Latina ex noſtris ſtudiis uti debuimus, nobis propterea nos a ſcribendo ceſſaſſe quodam modo, atque etiam prope merito accuſari poſſe, viſum iri. Ac ſi mihi dicendum eſt, quod

ego

ego ſentio, parum prudenter, atque nulla cum ratione ab utroque noſtrum eſt factum, qui eo modo primum Latinum ſtylum non mediocri exercitatione defraudavimus; deinde quod amicitiæ noſtræ vel ſempiternam teſtificationem, quam literæ Latine ſcriptæ in omnium ætatum memoriam producere potuiſſent, improbe detraximus. Sed ſatis de excuſatione, vel de accuſatione potius; ſi poſthac tamen curabimus, ut hoc modo frequentiores ſimus in ſcribendo, quam alio committere, ut nos excuſando, magis accuſandi eſſe videamur. Atque ad tuas literas redeo. Eas igitur ſcito mihi jucundiſſimas accidiſſe, cum quoniam eo modo, qui mihi magis probatur, erant conſcriptæ, tum quia iis certior fiebam, meum Grifolium vivere, quem ego jam triennium fraterne luxeram. Quo uno optatiſſimo nuntio nihil eſt, quod a me auferre non poſſis. Sed tua illa epiſtolæ pars, in qua de meis erga te meritis, atque officiis extollendis quaſi finem non facis, meam hanc tantam lætitiam non nihil moleſtiæ aſperſit. Nam etſi te quidem gratiſſimo animo, atque optime inſtituto facere certo ſcio, id tamen quodam modo ægre tuli. Nam præterquam quod magnam injuriam amicitiæ noſtræ facis, qui tantopere queraris, te parem ei gratiam referre non poſſe, cui ne ullas quidem agere debuiſti, quaſi ego in tuis ſcriptis, amice, & jure optimo laudandis plus laudis non ſim aſſecutus, quam aut ſtudii, aut officii in eo ipſo poſuerim præſtando. Quid enim mihi tam faciendum fuit, cum ad noſtræ ætatis Poetas veni, quam ut prudenter viderem, ne quis ex eis, qui in aliquem bonorum numerum veniſſent, me præteriret? in iis vero, qui ſuo ſplendore cæteris quaſi lumen prælucerent, ne aut cæcus, ſi non advertiſſem, aut iniquus, ſi non iis ſuam quoque laudem impertiſſem, viderer omnino? in quibus cum tu non ultimum locum obtineres, hunc ego ſi tibi cum cæteris bonis conceſſi, aut adverſus improbos tutatus ſum, nihilo ſim amplius de te meritus, quam, qui de virtute virtutem laudans, mereri poſſet; niſi ea quoque tibi gratiſſima videri, quæ ſine maxima culpa in te omitti non poſſent, omnibus ſignificare voluiſti. Quod vero de Principibus meis tam doctiſſimis, quam etiam nobiliſſimis Fœminis ſcribis, ſcito, filias illas egregie eruditas eſſe, & una cum ætate ſua omnium etiam opinionem ſuperare, eaſque

ſuum

ſuum locum hoc quoque nomine in noſtris de Gloria libris habere. Nam quod me mones, ut in ejus operis exemplis minus ambitioſe agam, neque etiam quaſi de Principum fæce hauriam, tu recte quidem, & ſapienter mones, neque id ego tecum non ſentio; ſed tamen ſi pauciores quoſdam offenderis minus hac mea laude dignos, id a me in eam partem factum accipias velim, me eos ſcilicet non tam hac mea commendatione cohoneſtaſſe, ut ea inaniter geſtirent, quam ut, quid ſibi ad veram gloriam faciendum eſſet, inde plane perſpicerent. Quod vero ad præcipiendi rationem pertinet, ita quidem eſt, ut dixiſti, cum ſummi res negotii, tum ſummæ etiam difficultatis. Sed his quoque id accedit; quod ea dicendi ratio [ut ſummam indignitatem, quæ in docendo eo modo verſatur, omittam] quamvis politiorem dictionem facile corrumpere poſſet. Quare ego cum publicam iſtam præceptionem exercerem, plerumque ea lingua utebar, qua omnes nunc loquimur. At quis hoc te præter unum probabit? At mihi magis in recte ſcribendo, quam in inepte loquendo ex tempore, conſultum volui, meque omnes Latine ſcribere, ut viderent, quam auditores impolite ſemper, improprie interdum, ſi minus barbare loqui, malui audirent. Sardonium, ut tu dicis, atque Sardonianos omnes ita fregimus, itaque contrivimus, atque confecimus, ut mutos diceres. Coaxant quidem neſcio quid, ſed ſubter aquam ranarum more. Nullum enim, quo ſuam ignorantiam defendant, adhuc verbum faciunt. Sed iſti, atque adeo iſtis Dii meliorem dent mentem. Si me diligis, ſi te a me amari ſcis, cum primum occaſio dabitur, ut uſquam in Grifolium meum incidas, ut meo eum nomine complectaris, nimis enim parum eſt, atque exile, ut ſalutes, te etiam, atque etiam rogo. Vale. Ferrariæ Cal. Octob.

BAR-

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Aonio Paleario S. D.

Humanitate Nicolai Alienii ad Herculem Principem Legati factum admonet, ut illi inanes has epiſtolas perferendas dederit; & facete addit, ſibi gratiorem ſalutem futuram, ſi eam, ut ipſe, ſcripſerit, videlicet, quidquid in buccam.

6. NIcolaus Alienius veſtræ Reipublicæ ad Herculem Principem noſtrum Legatus mihi tuis verbis perbenigne ſalutem dixit, quem ego contra humaniſſime accepi, eique tua cauſſa omnia pollicitus ſum. Iſte ipſe, vel ſuapte humanitate, vel ut meæ par referret, pridie quam a nobis diſcederet, domum uſque mihi nuntiari juſſit, ſi quid iſthuc ſibi mandarem? qui cum nihil haberem omnino tanto Viro dignum, ne me tamen aut ſuperbum, ſi nihil ſcripſiſſem, aut ineptum, ſi non mandaſſem, has illi inanes literas tibi perferendas dedi. Sed heus tu nimis lautus factus videris, qui tam præſtanti Viro loco tuarum literarum utaris; mihi quidem longe gratiſſimum fuit, vel a quovis homine de te intelligere. Sed ſi a te ipſo id intellexiſſem, multo medius fidius id mihi gratius, ac jucundius accidiſſet. Quare poſthac tu me, hoc eſt, tui amantiſſimum, in hoc ſalutandi genere imitabere, qui etiamſi nihil habeam, quod ſcribam, ſcribo tamen, ut vides, quicquid in buccam. Vale. Ferrariæ pridie Cal. Decembris.

ro, quod tu in Murænam, ego in Archiam adverſus Ciceronem egimus, qui magis ſimiles eſſe poteramus? Sed miror cum ipſe meam Orationem in Archiam habuiſti, de tua iſta in Murænam, quemadmodum ego nunc tecum facio, nihil a te mihi eſſe ſignificatum. Certe quidem in ſcriptis noſtris edendis negari non poteſt, quin iidem ſimus, qui improbiſſimis prælis in eis excudendis æque uſi ſemper ſumus. Ita iis omnibus Dii mala dent omnia, qui nos in ſcriptis noſtris tam impie dilacerant. Quod vero ad tua volumina; ſuum Manutio miſi. De Benedicto Rambertio miror, qui neſcias, optimum adoleſcentem, atque ſanctiſſimis moribus præditum, jam quintum annum, atque adeo amplius, deceſſiſſe, niſi tamen alius eſt eo prænomine, & nomine iſte tuus adoleſcens. Quare Manutio ejus quoque volumen miſi, eique ſcripſi, ut ipſe videret, ſi quis alius Benedictus Rambertius Venetiis eſſet, atque ille noſter, qui multos ante annos diem ſuum obiit, eique volumen curaret reddendum. Barbario non mitto, quia mihi nullum ad eum eſt redditum; puto te oblitum, illud in faſcem conjicere. Interea ſi quid aliud eſt, quod a me curatum velis, aut in quo mea opera tibi opus ſit, ea ut tuorum intimorum, atque adeo tua ipſa utitor. Vale. Pridie Cal. Auguſti MDLII.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Aonio Paleario S. D.

Admonet, Albertum Lollium decreviſſe, ut ſub ejus nomine exiret Laudatio Linguæ Hetruſcæ *a ſe jampridem ſcripta: certiorem facit, Amaſejum, ac Bonamicium duo optimarum artium ſplendidiſſima lumina nuper extincta eſſe, rogatque, ut propterea omnem operam det, ut ipſe egregie valeat.*

9. ALbertus Lollius Vir cum honeſto loco natus, tum iis etiam moribus, qui maxime probantur, ornatus, in veſtra vero Hetruſca ſcribendi ratione quantum omnes ex ejus multis ſcriptis, iiſque probatiſſimis ſciunt, in Latina etiam, ut ipſe odorari potes, non peſſime verſatus, cum a me nuper opus tuum utrumque perlegiſſet, tanto in iſtam ingenii tui felicitatem amore exarſit, ut

cum

cum jampridem Hetruſcæ linguæ laudationem ſcripſiſſet, eamque in vulgum edere ſtatuiſſet, ac complures haberet, quibus eam inſcriberet, ſub tuo tamen nomine, ut exiret, prorſus decrevit. Scilicet magna virtutis vis eſt, quæ homines etiam tam longe gentium, ac de quo non alias audierint, tam ſubito tanta vi ad ſe amandum rapiat, atque attrahat. Hic hac amoris ſignificatione, alius alia, omnes una voce te ex tua virtute colunt, atque admirantur, optantque, ut diutius in terris ſecum agas, ut cum ſcribendo, tum docendo multos tui ſimiles efficias. Amaſejus, ac Bonamicius duo optimarum artium ſplendidiſſima lumina nuper extincta ſunt; pauci ejus generis relicti eſtis, qui iſtam dicendi facultatem propagetis. Quare tu quoque, quantum in te erit, omnem operam dabis, ut egregie valeas. Pigna opus ſuum, ac ſimul una Cœlii, atque Areoſtii, quibuſcum illud edidit, haud ingrata carmina, tibi dono mittit. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Aonio Paleario S. D.

Significat, epiſtolas de Lollio ab eo ſcriptas, & a ſe ad eum miſſas, jucundiſſimas ei accidiſſe, Lolliique ingenuam naturam laudat.

10. QUas ad me de Lollio noſtro literas ſcripſiſti, continuo illas ei legendas miſi, quæ quam illi jucundæ acciderint, ex ejus ad te literis facile perſpicies. Hoc ego tibi perſuadeas velim, Lollium bonum [ut eum Romane laudem] eſſe Virum, ac quod tecum tam gratis verbis agit, id ex intimo animo, atque medio [ut ajunt] corde peringenue agere. Pigna ſalutem tibi dicit quamplurimam. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Aonio Paleario S. D.

Gratulatur, eum Mediolanenſi publicæ Scholæ delectum eſſe; magnopere triſtatur ob Majoragii amici tam cito ſibi erepti obitum; ſed magis lætatur, eum potius, quam quemvis alium, in ejus locum ſuffectum; mittitque Orationem a ſe pro Milone ſcriptam, atque editam.

01. EOdem tempore eſt, quod tibi gratuler, mihique doleam. Nam quod Mediolanenſi publicæ Scholæ delectus ſis, non vulgarem a me gratulationem amicitia noſtra poſtulat; quod vero Majoragii noſtri obitu id tibi ſucceſſerit, mihi magnum dolorem attulit. Nam cum per eos dies cum Rambertio Lucenſi negotiatore non mediocri, viro quidem optimo, tuique amantiſſimo de re tua Veneta ageremus, atque ego jam ſæpius Manutio, ac Rhamnuſio ea de re literas dediſſem, ecce tibi me is in foro offendit: bonum, inquit, nuntium tibi affero. Palearium tuum Mediolanenſes publicæ Scholæ ſuæ præfecere. Manus ſuſtuli, eumque ſumma ſum lætitia complexus; ſed dici non poteſt quam ſtatim Majoragii recordatio mihi ſubiit. Tanto enim altero amico tam cito mihi erepto non poſſum non magnopere triſtari; ſed, quando Diis aliter eſt viſum, magis lætor, te, quam quemvis alium, in ejus locum ſuffectum eſſe, eoſque rogo, ut illum tibi diuturnum, te vero tuis multo etiam diuturniorem conſervent. Nos hic hoc anno ex Patavina peſtilentia, belloque Hetruſco, atque ad Montium pedem, ut ajunt, frequentiſſimum ac nobiliſſimum cum Auditorum tum etiam Doctorum ſumus Gymnaſium habituri. Quare, mihi occaſione oblata, feci Orationem de horum ſtudiorum utilitate; ſed tantum eam feci. Camillus enim filius, qui ſexdecim annos agit, nullis neque precibus, neque etiam præmiis adduci potuit, ut eam haberet; neque id memoriæ defectu, qua utitur optima; neque quod animo deficiat, qui etiam puer duas alias habuit, atque cum ſumma omnium admiratione habuit. Quid igitur? Non dicit. Tantum præciſe negat, ac pernegat. Quare qui ego ſim animo affectus;

pa-

pater es ; tecum cogita. Cum hæ literæ mea negligentia apud me ad hunc diem manſiſſent , cum iis nunc eam Orationem , quam pro Milone ſcripſi , atque edidi , tibi mitto ; tu vero quid cum tuis interioribus ſtudiis agas , utque ipſe cum tota familia valeas , mihi quam gratiſſimum feceris , ſi me certiorem feceris. Vale. Cal. Jan. MDLVI.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Marco Antonio Antimacho S. D.

Significat , ſe in poſterum a bigis ſibi cauturum , cum nihil abfuerit , quin repentino in uno tumulo & pater , & filius , & uxor , univerſa Riccii familia , clauderetur , gratiaſque agit , quod caſum ſuum verſibus Græcis proſecutus ſit , quibus apud doctiſſimos Viros diuturnior ejus extabit memoria.

12. DE tuo conſilio equidem , Antimache , valde te amo. Nullum enim mihi ab ullo amico aut ſalubrius, aut prudentius dari potuiſſet. A bigis ego poſthac tam mihi cavebo , quam non fecit Philippus a quadrigis , aut ſi rhedula omnino mihi utendum ſit , ut qui rus iter ad ſeptimum lapidem homo ſexagenarius pedibus ſatis commode , neque commodius in equo conficere poſſim , a ſolo equo ut ea ducatur , eoque & manſuetiſſimo , & a rhedario homine pedite , probe providebo. Quin etiam cum eo ventum erit , ubi aut paulo acclivior ſit deſcenſus , aut quo pons vel latiſſimus tranſmittendus , tum ego ex ciſio deſcendam , pedibuſque mihi ſemper præſto adero. Ex nimis atroci tragœdia ſum ereptus , Antimache , ut mihi , ac meis non omnia poſthac & provideam , & proſpiciam. Nihil enim abfuit , quin repentino in uno tumulo & pater , & filius , & uxor , hoc eſt , univerſa Riccii familia , clauderetur. Dii boni quid horridius in Urbe cerni potuiſſet? Sed ad te redeo , ne , ſi de tanto caſu pluribus agam , Fabius tuus parum habeat , quod mœrori meo remedii afferre poſſit. Tibi gratias ago , quod caſum meum Græcis verſibus proſecutus es , quibus apud doctiſſimos Viros diuturnior ejus extabit memoria. Sed quid ſi contra tibi gratiam refe-

tam? ut te moneam, ne iſta ætate prope octuagenaria ejus generis ſcalulas aſcendas, unde vel leviſſimus caſus tibi mortem afferat. Humi nobis jam rependum eſt; per ſcalas juvenes curſitent; ne, nobis mortis cauſſam accerſiſſe, merito accuſari poſſimus. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Petro Valentinio S. D.

Gratias agit, quod de ſe & honorifice ſentiat, & loquatur, mittitque Epiſtolam de Familiarum nominum ratione ad ſuam ſententiam editam, & Defenſionem contra quoſdam imperitos homines ſcriptam.

13. PIgna noſter iſthinc rediens mihi tuo nomine ſalutem plurimam dixit, multaque alia addidit præterea, quæ tu de me & honorifice ſentis, & loqueris. Equidem, Valentini, tuam laudationem in eam partem accepi, in quam is faceret, qui a laudatiſſimo Viro commendaretur, cui neque contra ingratus ſum. Idem enim efficio in te & amando, & extollendo. In uno ipſe me vincis, quod a pari mea de te laus non proficiſcitur, etſi, in alio ut tu contra mihi concedas, neceſſe eſt, quod ego te antea & amarim, & coluerim, quam aut ego quicquam tibi deberem, aut de me verbum ullum feciſſes. Quod vero ad meam ſententiam de Familiarum nominum ratione attinet, ea jam abhinc triennium edita eſt, quam quoniam quereris ad tuas manus non perveniſſe, eam tibi mitto, cui etiam contra quoſdam imperitos homines, qui in eam tam ignariſſime, quam etiam barbariſſime, ut videbis, ſcripſerunt, defenſionem meam accedere volui. Quod autem reſtat, id eſt, ut quam benevolentiam ita abſentes contraximus, eam ita inter nos amando adaugeamus, ut brevi amicitia fiat; in quo ego, qui cæteros facile vincere ſoleo, neque tecum poſterioris partis fore me polliceor. Vale.

BAR-

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Herculi Trotio S. D.

Eum laudat, quod ſtudioſe in ſtudiis verſetur, propoſitoque dubio de Calendis intercalaribus ſatisfacit, animoſque addit, ut quotidie quærat, quæ ad utriuſque facultatem ſpectant.

14. Literas tuas legi libenter, Troti ſuaviſſime, in quibus vidi, quod parenti tuo gratiſſimum eſt, te in tuis ſtudiis optimam operam ponere. Siquidem ea quærere, quæ per eas de me quæris, magnum ſignum eſt, te in eis ſtudioſe verſari. Scito igitur, quod ad ſex. Cal. intercalares priores attinet, hanc meam eſſe ſententiam. Cum quarto quoque anno apud veteres, quemadmodum etiam apud nos fit, unus dies intercalaretur, is vero Februarii menſis & tempore, & ſcriptione in vigeſimo quarto die interjiceretur, factum eſt, ut eo die, bis ſexto Cal. dicerent; ſed ut intelligeretur, an primæ, an ſecundæ Calendæ notarentur, addebant prius, & poſterius. Sex igitur Cal. intercalares priores erat is dies, qui in Februario vigeſimus quartus recte numeratur; ſi vero intercalarem diem, hoc eſt alterum ſex. Cal. ſignificare voluiſſent, ſex Cal. intercalares poſteriores dixiſſent. De qua item re nos egimus in APPARATU noſtro ad verbum *intercalare* fere hæc eadem, quo ego te rejicere poteram; ſed malui idem non fortaſſe eodem modo tibi explicare, ne viderer gravate facere, quod in tuorum ſtudiorum utilitatem a me proficiſci poſſet. Perge modo tu, atque ita quotidie quæras, quæ ad noſtram facultatem ſpectant; me nuſquam tibi deeſſe experiere. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Fabio Antimacho S. D.

Dolet de ejus morbo, Deumque rogat, ut eum ſtatim incolumem reddat.

15. DUpliciter iſto tuo morbo valde doleo; primum tua cauſſa, qui eo tam gravi, atque jam nimis diuturno laboras; tum etiam tuorum, qui in ſuo tuam operam maxime deſiderant. Quare Deum rogo, atque oro, ut tibi te, ac tuis incolumem ſtatim reddat, atque in una tua valetudine multorum hominum valetudinem curatam velit. Nos valemus, atque omneth diligentiam adhibemus, ne quid hoc tempore aut tua, aut cujuſquam alius medicina nobis opus ſit. Tu vero ſi quid a nobis interea uſui tibi fore putabis, amice ages, ſi eo tam libere uteris, quam ejus faceres, quicum multos annos conjunctiſſime vixiſſes. Vale, vel, ſi minus, id ſaltem cura, ut convaleſcas.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Fabio Antimacho S. D.

Floram uxorem ſuam morbo laborantem ei commendat, ut, ſi ſpes aliqua ſe oſtendat, eam poſſe adhuc vivere, ex ſua medendi artificio, quidquid habet, expromat.

16. MI Fabi, nunc, ſi umquam alias, tua opera peropus eſt. Flora uxor mea, hoc eſt, mea altera mei pars, graviſſime, ut vides, laborat. Equidem valde timeo, ne ejus poſtremus dies advenerit, quem mihi quoque dolorem ſi hac mea ſenectute Dii dent, dent etiam qui ego eum ferre poſſim, ſin etiam ſalus aliqua nobis ſe oſtentat, ac, eam poſſe etiam vivere, non deſperamus, depromas ex tuo medendi artificio quicquid habes & amoris, & ſtudii, vimque morbo tuis ſaluberrimis remediis fac, aut, ne is ſaltem contra nobis majorem faciat, cura. Vale.

BAR-

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Fabio Antimacho S. D.

Rogat, ut ad videndum puerum accedat, atque ejus curationem ſuſcipiat.

17. MIezus puer feſtiviſſimus dum mulam in lacu ad Principis ſtabulum abluit, in deſcenſu malo ejus caſu mula præceps merſa eſt, neque puer in ſicco remanſit. Is madidus, ac plus ſatis potus, domum allatus eſt; ſed ex metu graviſſima febris eum corripuit. Tertius hic dies eſt, quo graviter conflictatur. Sperabamus, ex ſanguinis ex cucurbitis, ut dicunt, miſſione eum convaleſcere poſſe, ſed res magis ingraveſcit. Quare te rogo, ut hunc viſum accedas, atque ejus curationem ſuſcipias, ac, quicquid remedii opus ſit ad ejus ſalutem, adhibeas. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Franciſco Spulverinio S. D.

Hoſpitem ſuum pervetterem commendat, ut ejus cauſſam æquiſſimam, & explicatiſſimam celerrime expediat, ut ad familiam ſuam, quam domi reliquit bene frequentem, ſtatim per eum redire poſſit.

18. NIcolaus Albertinius hoſpes meus eſt pervetus; is præterea eſt homo ſumma urbanitate præditus, eaque integritate, quę in antiquis hominibus maxime probabatur. Hic nunc Venetiis cauſſam æquiſſimam ſequens, mecum eſt jam aliquot dies. Ego, ſi voluptatem, quam capio in tam hilari, atque faceto hoſpite, ſequar, magis te rogabo, ut ejus cauſſam omni dedita opera, quanto potes, longius differas, ut ego ejus feſtivitate diutius perfruar; ſed quando illius maxime intereſt, primo quoque tempore Venetias redire, meam voluptatem ejus utilitati poſthabere cogor. Quare te rogo, atque etiam oro, ut tam celerrime ejus cauſſam expedias, quam etiam ea eſt & æquiſſima, & expliciti-

tissima. Quod si impetro, quoniam non possum plane dicere, mihi gratissimum feceris; id quod possum, ne omittam, tibi recipio, me id in eum locum esse recepturum, quo facio, quæ mihi sunt aliquo modo pergrata. Certe illi quam commodissimum erit, si ad familiam suam, quam domi reliquit, bene frequentem, statim per te redire poterit. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Francisco Spulverinio S. D.

Rogat, ut ejus sententia statim sibi suum restituatur, villicusque sub tectum per ingens frigus commode reducatur.

19. ETsi meæ caussæ honestati plurimum confido, tuæ vero æquitati nihil omnino diffido, neque quin harum utraque mihi eam adjudicatura sit, quicquam dubitem; volui tamen, ut Princeps meus eam tibi commendaret; sed non ea ratione, ut si quid in ea inesset minus honestum, propterea id ipse in ejus gratiam esses dissimulaturus. Neque enim is ego sum, qui a Principe meo talia petere soleam, neque ejus integritas, quæ, si quisquam id omnino a se petere audeat, quicquam illi sit obtemperatura; sed quod in æquissima caussa, qualis mea est, fieri solet, ut primo quoque tempore eam expedias, neque causidicorum multiplicibus Labyrinthis, an dicam malitiis, implicari, ac solitis longissimis dilationibus produci, permittas. Nam cum, mea veteri villa eversa, adversarius meus in meo solo novam villam ædificasset, non postulo, ut fundo cedat villa, non usum ejus totum reposco, sed, ut tantum ejus pars mihi attribuatur, quanti mea vetus villa æstimata est, pro meo jure peto, ac postulo, ut merito me accusare possis, qui in re planissima, quæque, etiam & me, & patronis omnibus tacentibus, per se ita se tuetur, itaque explicat, ut pro judicata haberi possit, Principis mei opera quasi sim abusus; sed, ut rem ita urgerem, villici mei difficilis effecit incommoditas, qui interea sub Cœlo frigido habitare cogitur. Quare te etiam, atque etiam rogo, ut tua sententia, idque statim, mihi meum restituatur, villicusque meus sub tectum per in-

ingens hoc frigus commode reducatur. Id quod, si impetro, erit mihi valde commodum. Vale.

www.libtool.com.cn

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Franciſco Spulverinio S. D.

Gratiam magnam habet, quod Chriſtophorus Riccius ejus cauſſa ſe tandem reviſerit, multoque majores ſe acturum ſignificat, ſi eum primo quoque tempore dicarum moleſtia liberatum ad ſe remiſerit.

20. CHriſtophorus Riccius, qui tibi has literas reddidit, meus maxime propinquus eſt. Avi enim utriuſque fratres fuerunt, ſed ad ſanguinis neceſſitudinem ſumma etiam, ac mutua accedit benevolentia. Fraterne enim inter nos amamus. Hic huc tuis dicis accerſitus venit, neque, quamobrem id factum ſit, quicquam conjicere poteſt. Equidem, quod tua cauſſa me tandem reviſerit, magnam tibi gratiam habeo, ſed multo majores agam, ſi eum primo quoque tempore hac moleſtia liberatum ad me remiſeris. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Franciſco Spulverinio S. D.

Gratulatur de nobiliſſimis Nuptiis, eaſque ipſi feliciſſimas optans commoda ab uxore manantia ob oculos ponit.

21. GRatuler ne tibi prius iſtas nobiliſſimas Nuptias, an eas tibi feliciſſimas optem, haud ſatis ſcio. Alterum enim amicitia noſtra, alterum rei conditio & periculum a me poſtulare videtur. Ordinem ſervabo. Tibi igitur gratulor, qui iis commodis in una uxore auctus ſis, quibus majora homini deſiderari non poſſunt. Si vales, ſocium tibi comparaſti jucundiſſimum; ſi ægrotas, aſſiduum ſolatorem; ſi quid habes aut moleſtiæ, aut ad deliberandum difficultatis, hæc quoque tibi fideliſſima eſt conſiliaria. Foris a judiciis tuis premeris; domi te eundem tua ſtudia graviter exercent; cum ab utriſque animum revocas, ac te ad te recipis, quod ei ſolatio

latio majus ſolatium adjungi potuit, quam a ſuaviſſimis uxoris complexibus excipi? quam in eius ſermonibus omnes moleſtias deponere? quam denique, quod vivis, vere vivere? Quos ambos, praeter mutuas ceteras voluptates, una ſpes omnibus laetitiis cumulat, brevi fore, ut parentes ſitis, habeatiſque, qui vos veſter ſanguis referat, quodque vos veſtris parentibus in eis propagandis, ii vobis deinceps optime praeſtent. Deinde vero Deos omnes oro, ut uxorem eam tibi dederint, quae idem, quod tu, velit nolitque, praecipue, ut par eſt, dicto tuo obediens ſit, ac, quo eam flectas, facile ſequatur; quod ſi a Diis impetras, ſcito, te eorum beatitudinem impetraſſe, qua ut diu perfruaris, eoſdem omnibus precibus rogo, atque oro. Adamo noſtro doctiſſimo, atque optimo Viro, ſi me amas, noſtri memoriam renova. Non enim tantum peto, ut meo nomine ei ſalutem dicas. Nimis enim hoc leve eſt, ſed hoc quoque pluribus etiam verbis, ut facias, te rogo. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Andreae Naſcimbenio S. D.

Orat, ut Benedicti filius in omni ſcribendi elegantia exerceatur.

22. CUm Nicolaus Benedictus de me quaereret, quem ego ei maxime probarem, cui filios ſuos docendos traderet, ego te illi ceteris omnibus, qui Ferrariae docent, facile praeposui, in quo toto ſermone, quid de tuis ſtudiis, quid de moribus, quid de ingenio dixerim, nihil attinet huc referri. Is poſtridie te convenit. Conveniſſe inter vos, ut is poſtea mihi narravit, gratiaſque egit maximas, qui hoc illi conſilium dediſſem. Sperat enim tum ex eo ſermone, quem cum illo habuiſti, tum ex iſto tuo humaniſſimo vultu, ſe optimo magiſtro filios ſuos commiſiſſe. Quo in ſermone ego ei tum pollicitus, me te, quamprimum vidiſſem, cohortaturum, ut paulo diligentius etiam mea cauſa in eam curam incumberes. Sed cum id nimis longum fore, atque fortaſſe, viderem, ac primo quoque tempore tanto Viro fidem meam praeſtare cuperem, hoc modo per literas

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Alphonſo Bonazolio S. D.

Gratulatur, ejus virtutem foris inveniſſe, quod domi non obtinuerat, optatque, ut Deus illam provinciam ipſi fortunet.

24. QUod, quam debui, ſerius tibi gratuler, tua culpa eſt, qui tuo Riccio de iſta tua tam nobili provincia nihil ſignificaſti, neque diſcedens [ut par fuit] eum ſaltem valere juſſiſti, & niſi, qui meus erga te ſummus amor eſt, de Franciſco fratre tuo quærerem, quid ageres in tuo ſuburbano, etiam dum, ubi eſſes, ignorarem. Sed mihi gaudeo, quod te cum cæteris amicis benevolentia vinco; tibi vero gratulor tuam virtutem non diu jacuiſſe, ac id eam foris inveniſſe, quod domi non obtinuerat. Certe in Patria ſummi Viri [ut vulgo fertur] nullo ſunt in pretio, & rem ſuam apud alienos melius gerunt. Sed cum tibi gratulor, tum etiam Herculi Gonzaghio Cardinali tuo nomine gratiam habeo, qui te iſti provinciæ, quam quemquam ex multis, quos habere potuit, præeſſe maluerit. Tametſi [quod ejus ſummum eſt judicium] qui te multos annos probe norit, & nunc ſponte accerſivit, hoc quoque virtuti tuæ dediſſe, facile videri poteſt. Aloyſius Ateſtius diſcipulus meus mira mihi prædicat de tui Gonzaghii condiſcipuli ingenio; quod ſi ita eſt, ego quoque illum valde amo, eique omnia optata cupio, in primis [niſi hoc fruſtra facio] ut qui eum optimis literis excolat, quique in Theopompi freno contineat, neque nimis luxuriari ſinat. Sed nihilominus opto, ut tibi quoque Deus Opt. Max. iſtam provinciam fortunet, quando hæc humana tot habeant latebras, ut omnium hominum prudentia unum vitæ diem incolumem vix curare poſſit. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Didaco Pirio S. D.

Significat, rem quidem omnium præclariſſimam eſſe elegan-ter, & ornate ſcribere, fruſtra tamen id fieri, ſi num-quam Scriptor ſcripta ſua aliis communicet, & in vul-gi aures exire patiatur. Hortatur itaque, ut optimorum ſuorum verſuum volumen edat, & Academiæ ſuæ Luſi-tanæ inſcribat.

25. RES omnium, Piri, mea quidem ſententia præ-clariſſima eſt ſcribere, quaque id lingua, quo-que id dicendi genere fiat, modo elegans ſcriptio, ac re ſuſcepta digna ſit, quæque omnibus ſuis conſtet orna-mentis; ut ſi quis in Latina ſolutiore verſatur, unius Ciceronis dictio in ejus redoleat dictione; ſi in numeris paulo adſtrictioribus, aut Virgilium, aut Horatium, aut Catullum, cæteroſque probatos Poetas ſequi ſentia-tur; ſi vero in Italica ſtilum ſuum magis exerceat, in priori ad Bocatii; in poſteriori ad Petrarchæ rationem eum inſtituat. Sed cum is hoc optime aſſecutus ſit, quod quidem maximum eſt, maximeque difficile, mul-toſque libros præclare complerit, ſi tamen eos ſecum habeat, ac quaſi in ſinu gaudeat, neque ſcripta ſua com-municet, aut in vulgi aures unquam exire permittat, is perinde operam ſuam poſuiſſe videtur, atque ille, qui agrum coluit, ſementem fecit, atque etiam ſegetes meſ-ſuit, ſi ejus tamen uſu poſtea ſeſe abſtineat. In quorum numero cum tu, Piri, ſis non poſtremus, qui cujuſque generis verſus optimos facis, ac jam ſatis juſtum volu-men confeceris, niſi eos tandem aliquando in vulgum e-dideris, niſi eorum doctiſſimis Viris publicam copiam fe-ceris, mihi crede, multum tibi deeſſe ad eam volupta-tem, quam ex iis cupis maximam. Hæc enim eſt ad gloriam maxime compendiaria via. Nam etſi adhuc haud paucis Italis cognitus es, brevi tamen iis edi-tis ultra omnes Alpes nomen tuum, ac Piriorum fami-liæ illuſtrabis; ad quam nominis tui gloriam id accedit, quod ejus inſcriptione Principis alicujus gratiam tibi con-ciliare poteris, qui tibi hoſpiti, atque externo gratia, ope,

ope, atque auctoritate, si quis gravis casus, atque temporum difficultas incidisset, præsto adsit. Verum si id jam tuis optimis studiis apud omnes Italos assecutus es, ut tuæ virtuti libenter studeant, teque maxime tutum esse velint, ac magis tuorum ullam memoriam præstare etiam tam longe gentium cupis, habes prudentissimam in Lusitania tua Academiam, quam Coimbriam dicunt. Huic opus tuum inscribere jure optimo poteris, idque, si me audis, facies, quoniam primum ea suorum Civium optima scripta aliis, quam sibi, inscripta legere non debet; deinde vero quod uno isto tuo optimo officio id assequeris amplius, quod tuis non prorsus alienus factus videbere, quos ista memoriæ tuæ recordatione post tot annos revisseris, qui fortasse tuo isto diuturno silentio te diem tuum etiam obiisse arbitrantur. Cum vero senserint, te adhuc his auris frui, atque tam feliciter frui, sibi valde lætabuntur, tibi vero absenti vehementer gratulabuntur. Incumbe igitur in hanc meam sententiam, atque ad opus edendum te para, præsertim nunc, cum Hieronymum tuum publicum descriptorem habes, qui tibi diligentissime operam suam navabit, cuique maxime fidas, quo si uno malo aliquo fato careas, tum consilii mei recordabere, tui vero te prorsus pœnitebit. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Antonio Mariæ Nigrizolio S. D.

Ejus literas multis de caussis sibi gratissimas accidisse significat, Deumque orat, ut ejus dignitatem ipsi, filioque adolescenti optimo optime fortunet.

26. TUas literas accepi, mihi quidem eas multis de caussis gratissimas, multo vero etiam gratiores, quod tam longe gentium, neque admodum necessarias. Nam cum ad venditionem, quæ tuo nomine mihi facta est, tuorum fides mihi ad eam præstandam satis esse potuit; quod tamen tuam quoque adjungis, eamque venditionem ratam, atque certam esse velle scribis, tu ista dignitate Viro dignum facis; neque ego eam non accipio. Quod vero mihi eam potius, quam cuiquam alii factam lætaris, tuam erga me benevolentiam facile agnosco; pro

quo

quo ego contra omnia tibi læta evenire cupio, neque tuorum quemquam concedo majorem voluptatem ex isto tuo, quem apud amplissimam Reginam locum tenes, percepisse, quam dignitatem ut Dii tibi, filioque tuo adolescenti optimo optime fortunent, rogo, atque oro. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Laurentio Portio Sylvio S. D.

Miratur, cur eum subaccuset, quod parum diligenter rem ejus frumentariam curarit. Quid egerit apud Procuratorem maximum, ob oculos ponit; se tamen nihil profuisse significat: pollicetur, se quotidie negotium urgere non intermissurum, &, si quid spei oboriatur, se finem eum certorem facturum.

27. UTinam, Sylvi, tanta hic mea esset auctoritas, quanta esse deberet, aut saltem, qui rem curant publicam, magis bono nomini, quam vel minimo lucro, studerent. Nihil enim ipse a me jampridem desiderares, neque ego tantopere laborarem in eo tibi persuadendo. Sed miror, cum, hæc ut gerantur, probe noveris, meam autem summam in te benevolentiam optime perspectam habeas, me etiam subaccuses, quod parum diligenter rem tuam frumentariam curarim. Continuo literas tuas Procuratori maximo dedi, atque cum eo egi diligenter. Is mihi exportationem hanc nulli concedi, respondit; te superioribus annis ex Principis Herculis decreto id factitasse ostendo. Annum istum, quo nulla messis fuit, tibi, ac tui similibus omnibus objicit; parvam frumenti copiam, quam nos extrahimus, esse, eamque ex nostris possessionibus illi demonstro. Fatetur; sed tuo exemplo si cæteris postea concedatur, eam maximam fieri, clamat; si negetur, se minime æquum esse, contendit. Rogo, ut studiis tuis, ut amicitiæ meæ hanc gratiam faciat. Adhuc nihil proficio, neque verbum ullum audio, quo quicquam melius sperem. Princeps filius puer est, atque ab hac re alienissimus; ut, quo loco res tua sit, plane videas; eam tamen quotidie urgere non intermittam, idque magis, ut in eo studio tibi satisfaciam;

ciam ; quam ut eum mihi quicquam putem ſatisfactu-
rum. At ſi quid tamen ; continuo te poſtea faciam cer-
tiorem. Vale.

www.libool.com.cn

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Antonio Ferrio S. D.

Jocatur de nucibus pineis ad ſe miſſis, ſignificatque, eas tum ſibi, tum Camillo filio gratiſſimas fuiſſe ; utrumque ei gratias agere, ſe vero etiam gratiam referre, Ateſtias epiſtolas nuper editas mittendo.

28. CRedo, te utrique Pineto calamitatem attuliſſe, qui mihi tantum nucium pinearum miſiſti. Quid ſi earum aliqua tibi in caput incidiſſet ? Certe, ſi ferreus, non jam Ferrius fuiſſes, te totum contriviſſet. Sed quod non potius earum diloricatos nucleos in ſuis oblongulis, ut ſit, doliolis miſeris, id Rachio noſtro condono, qui quos olim per eum te miſiſſe ſcribis, ad unum fideliter reddidit. Sed is nunc videat, quam duri ſint, quos tam teneros cum ſodalibus ſuis comedit, quando in ſuo capite hoc modo illos non leviter excudi ſentit. Sed de jocis hactenus. Mihi pergratum, Camillo etiam, quamquam is jampridem nuces reliquit, quam gratiſſimum feciſti. Pro quo uterque tibi gratias agimus ; ego vero etiam refero ; dono enim tibi Ateſtias epiſtolas nuper editas mitto ; duo item APPARATUS noſtri volumina, quæ tu poſcis, jam tuis diſcipulis ſuo pretio attributa, quibus mallem de Imitatione exponeres, in quo cum eorum ſtudiis multo rectius conſuluiſſes, tum vero meo etiam nomini haud parum dignitatis adjunxiſſes. Sed ipſe videris. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Bernardo Taſſio S. D.

Gratulatur de magna penſione annua ab ejus Principe ei conſtituta, & pecunia ab Henrico Galliæ Rege dono miſſa, hortaturque, ut tandem ſcripta ſua edat.

29. UT audivi, Taſſi optime, Principem tuum Principatu ſuo ejectum, tui memoria illico animum meum perculit, ut quem ſcirem eoſdem cum illo fortunæ caſus ſubiturum. Veteris enim amicitiæ recordatio, cum ego apud meos Cornelios agerem, tu vero cum illis, ac nobiſcum aut Venetiis, aut Patavii quotidie eſſes, ac etiam Ferrariæ proximis annis renovatæ, id a me jure ſuo poſtulabat. Quare eam tuam adverſam fortunam moleſte, ut debui, tuli, id quod cum ego cum communibus amicis, ut fit, quererer, Carrarius noſter non parum eo dolore me ſublevavit, cum magnam penſionem non ſolum a Principe tuo tibi annuam eſſe conſtitutam, verum etiam ab Henrico Galliæ Rege quotidie præſenti, eaque ad trecentum, pecunia ex Gallia uſque tibi dono mitti, nuntiat, pro quo mihi tam optato nuntio illum complexus ſum, gratiaſque egi quam maximas. Nunc vero tibi multo magis gratulor, quod etiam ab adverſa fortuna tam premi non poſſis, quin etiam a ſecunda, quaſi duæ ſint fortunæ, lætius erigaris, aut ſi una, eademque ſit, ſuam inconſtantiam in te tam feliciter ſervet, ut, quem vix afflixerit, eum ſtatim erigere ſtudeat. Etſi, quod tibi in adverſa fortuna ita ſubventum ſit, magis a tua virtute, quam ab ulla ejus aut pœnitentia, aut inconſtantia profectum eſſe, conſtat. Niſi enim tuis optimis moribus, tuis liberalibus ſtudiis, tuis elegantiſſimis ſcriptis ab omnibus bonis comprobareris, nemo te oppreſſum reſpexiſſet, neque tibi in ſumma illa egeſtate conſtituto opem ullam attuliſſet. In ea igitur, ut facis, dieque, noctuque incumbas, &, quod abſolviſti de Principe illo cum reliquis tuis ſcriptis, ut tandem edas, cura: ut quantum ex eo tuo nomini famæ acceſſerit, tantum etiam tuis cum voluptatis, tum etiam ſingularis erga te amoris accedat. Nos, ſi, quo loco res

noſtra ſit, quæris, hic ſumus apud Principem noſtrum eadem fortuna, qua cum venimus, ex ea parte etiam pejori, quod Filius Princeps qui mihi, atque meis amicis multum prodeſſe poſſet, ſecundo in Galliam profectus eſt. Aloyſius frater alter nuſquam ille quidem mihi deeſt, ſed. At nolo in mea querimonia tui conſolationem conturbare. Satis eſt, quod mea ſtudia, in quibus omnem omnium divitiarum voluptatem ſupero, mihi auferri non poſſunt; in his, quamdiu vita erit, conquieſcemus, fortaſſe etiam mortui nonnihil vivemus. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Virginio, atque Joanni Baptiſtæ Areoſtiis S. D.

Gratulatur, quod ſcripta Patris omnia ab omnibus ſumma cum voluptate legantur, quæ ſingula recenſet, & laudat, ſed præſertim Orlandum Furentem, & Areoſtium mirifice extollit, ſingula, quæ a Poeta requiruntur, eum omnino præſtitiſſe declarans, Auctorique tantum tribuit, ut, cum ab uno Marone diſcedit, ipſi in Poetis primas facile concedat.

30. UT vobis, Virgini, Joanneſque Baptiſta fratres, gratulor, quod Patris veſtri ſcripta omnia ab omnibus ſumma cum voluptate legantur. Nam, ut Latina omittam, quæ a doctiſſimis maxime comprobantur, in Italica lingua ſunt Comœdiæ, quæ argumento ſi non antiquas ſuperant, certe cum iis facile conferri poſſunt; quare etiam ſive ſpectentur, ſive legantur, mirifice delectant. Comœdiis Satyræ accedunt ſua & ipſæ gravitate, atque ſeveritate plenæ, ac propterea Lectori etiam perjucundæ. Tertium opus eſt, quod Orlandus Furens inſcribitur: in quo perpetuo opere omne ſtudium, atque artificium ad omnes voluptates in eo condiendas conſumpſiſſe, atque effudiſſe videtur. Quare illi etiam evenit, ut, cum ab Auctore ſuo primum ederetur, ſummo cum omnium plauſu acciperetur, neque vel legendo, vel audiendo non attente ſæpius iteraretur. Ita enim Lectorem detinet, ut non prius de manibus dimitti poſſit, quam ut ad ſuſceptæ rei finem ſit perventum, quem qui-

quidem non tam rei neceſſitas longe produxerit, quin ejus delectatio in ipſo prope initio eum poſuiſſe videatur. Ex quo tanti plauſus tenore tantum abeſt, ut diuturnitate temporis [ut in multis fit Scriptoribus] quicquam deciderit, ut etiam in dies magis amplectetur, chariuſque habeatur. Nulla enim adhuc Gens, nulla Europæ Natio eſt, [ut omittam, quod non defuerint, qui opus illud in ſuam linguam tranſtulerint] qui librum hunc ſumma non excolant reverentia. Quin etiam publici deſcriptores, qui hæc iis volumina ſuppeditent, non ſolum die, noctuque in id ſtudii incumbunt, ut omnibus eorum largior copia fiat, verum etiam inter ſe vel ad ingentes proprios ſumptus certatim contendunt, qui ſplendidioribus literis, nobiliore forma, charta tum magis firma, tum etiam candidiore, ac reliquo digniori ornatu ex ſuis prelis optime expreſſum edant; inter quos proxime Vincentius Valgriſius eo literarum genere, ea voluminis forma, ejus ſplendore charta, iiſque ad reliquum ornatum grandioribus expreſſis imaginibus, quæ, quicquid in quaque parte agatur, quaſi ut geſtum eſt, ante oculos repræſentent, quibus Regium, ac divinum opus excudi par fuit, in vulgus edidit: in cujus etiam gloriam doctiſſimi Viri undique ex ſuo ingenio, quicquid poſſunt laudis, conferre non ceſſant. Alii enim cum iis, quæ divinus Poeta aliunde, ut fit, mutuatus eſt, conferunt, ac quam id commode, quam apte in ſuum uſum converterit, oſtendunt: alii brevi argumento cujuſque partis [quem Cantum appellant] rem integram argute perſtrinxerunt, ac quicquid fabulæ tegumento contegeretur, planius explicuere. His unus Hieronymus Ruſcellius proxime acceſſit, an potius reliquos omnes ſuperavit? qui quantum hujus gloriam ſuis locupletiſſimis ſcriptis adauxerit, dici non poſſet; qui, quicquid interioris virtutis in illo opere etiam prudentiores non paucos perlatuit, & acutiſſime vidit, & facillime explicavit. Pigna vero noſter cum opus ſuum de Romanciis [ut dicunt] ſcribebat, ad hujus unius rationem totam illam ſuam ſcriptionem inſtituit, ac hujus probatiſſimo teſtimonio ſententiam ſuam comprobavit. Sed redeo ad Areoſtium. Hic quidem, quoniam Poetæ & juvare, & delectare debent, utrumque optime præſtitit. Hic enim omnia, quæ ad has partes pertinent, &

caute vidit, & prudenter excepit, & feliciter perfecit, in operis vero distributione magis ex ordine ab ipso initio ad finem rem persequi non potuisset; in dicendo vero non ei quidem delectorum verborum legi sese addixit, quam Hetrusci cum sibi, tum cæteris etiam conscribunt, sed ut ejus generis Poeta, qui nulli religioni habuit, si quædam etiam verba minus Hetrusca operi suo interseret; certe id neque absurdum, neque sua scriptione indignum admiscuit. Poetæ proprium est imitari. Hic in suis fabulis omnium hominum varias actiones texit. Digressio omnibus Scriptoribus ad satietatem tollendam, atque ad rem ipsam dignius exornandam attributa est. In hac una virtute, cum rei, de qua agitur, tum etiam sua natura egregie præstat. In locis vero cujusque generis, amoris affectus, fortissimorum Virorum certaminibus, tricis, dolis, personis, virtutibus, vitiis, cæterisque rebus describendis mirificus est pictor. Unum hoc in tanto Viro omnium admirationem superat, quod cum in omnibus egregie excellat, in una re tamen cum re alia comparanda, non habet quicum conferri possit. Id quod cum sæpissime faciat, suo tamen semper facit loco, neque, quod comparat, rei comparatæ non simillimum esse videtur. Ejus autem carminis ratio est, ut quisque versus sua, neque ea aut ignobili, aut nimis inculcata, simili [quam Rimam dicunt] desinentia cadat, quæ certa finium consonantia Poetæ omnium difficillima accidit. Quare etiam fit sæpius, ut inaniter aliquid garriat, aut longe a proposito trahatur. Hic vero noster eas desinentias, ac quasi versuum vincula, ut etiam minime vulgaria, immo quæ maxime abstrusa, ac pauciſſima essent, tam facilia, tam propria, tam illustria, tam præsentia, atque in promptu habet, ut germanæ inter se natæ esse videantur, neque voce, ac sono magis, quam re, ac significatu, conveniant. Equidem, ut libere dicam, quod sentio, huic tantum tribuo, ut, cum ab uno Marone discedo, huic in Poetis primas facile concedam; quin ea sum sententia, si, quo Maro, tempore hic quoque vixisset, magnum periculum fuisse, uter utri esset anteferendus. Utinam mea scripta, saltem APPARATUS, ejus tempore exissent, non dubito, quin mei quoque in eo præclaro opere vel pusillam aliquam mentionem feciſſet. In quo meo summo desiderio si quis me ut paulo ambitio-

sio-

ſiorem accuſet, is ſuum prius ut interroget, rogo. Qui ſi poſtea tanti Viri tantum de ſe teſtimonium non toto animo appetiverit, is me vel ambitioſiſſimum ut condemnet, facile patior. Sed ad Patrem, atque ad vos ejus filios redeo. Cuperem, ſi fas eſſet, ut is hac ſua perilluſtri gloria diutius nobiſcum agens frui potuiſſet, aut ſaltem ita mortuus partem ſuam aliquam perciperet; quod quoniam fieri nequit, vos, quod vobis eripi non poteſt, in tanto tanti Parentis ſplendore læte, ac feliciter exultate, ac, quæ ejus ſola voluptas fuiſſet, vos ejus quoque cohæredes eam inter vos aut fraterne dividite, aut communiter perfruimini. Valete.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Renato Braſaulio S. D.

Dolet de Patris obitu, gratulaturque, quod in demortui locum a Principe Hercule ſibi medicus delectus ſit.

31. EOdem tempore cum multis cauſſis mihi dolendum, tum vero tibi gratulandum eſt. Nam quod Parentem Virum optimum amiſeris, quique ſua arte vel gratis nulli cujuſquam generis præſto numquam affuerit, mihi cum tua, tum mea, tum etiam multorum cauſſa magnopere dolendum eſt; quod vero in ejus demortui locum Princeps Hercules te ſibi medicum delegerit, quid aliud amicitia noſtra poſtulat, quam ut iſto tanto tuo ſolatio tibi vehementer gratularer? Certe in Patris tui obitu cum tua privata, tum communis omnium magna jactura eſt facta. Sed quod ad privatam, id tamen non parum habes ſolatii, quod is univerſam familiam ſuam eo loci cum fortunarum, tum etiam optimorum ſtudiorum reliquit, ut cum hæc ejus deſiderium perferre poſſit, nihil ei poſtea ſit amplius conquerendum. Quod vero ad tuum locum pertinet, habes undique, quod magnopere læteris. Primum quod tibi iſta ætate, qui vix quintum luſtrum attigeris, prudentiſſimus Princeps id virtutis tuæ tibi teſtimonii dedit, quod multo grandiori ætati vix dare potuiſſet, cum ex multis, iiſque prudentiſſimis medicis te delegit, cui vitæ ſuæ incolumitatem committeret. Quæ Principi medendi provincia eam

quoque dignitatem ſecum ducit, quæ te Ferrarienſis Academiæ ex altera parte Principem, ac Moderatorem efficit, ut in uno munere decernendo duas dignitates ſis adeptus; deinde quod Parenti tuo ſuccedens locum hunc nulli alteri invidere poſſes; poſtremo quod, quæ tua ſumma eſt humanitas, multis apud Principem noſtrum adeſſe poteris, quod officium nec a patre tuo quiſquam umquam deſideravit. Tibi igitur multo magis iſta tua paterna ſucceſſione gratulor, quam ejus obitu doleo, quam tuam, ſive etiam parentis tui, felicitatem, ut tibi Dii omnes diu fortunent, rogo, atque oro. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Joanni Baptiſtæ Contulio S. D.

Rogat, ut rem in ſuum reditum differat, ſuggeritque, unde quidvis opis ſuo nomine petere poſſit.

32. UXor mihi ſcribit, ſe ad me ante neſcio quid de impuro illo, ac ſacrilego homine ſcripſiſſe, quæ literæ mihi recte non ſunt redditæ. Si quid eſt, quod me ſcire mea magni interſit, cura, ut ſciam. Verum, ſi id ſit, quod ego ſuſpicor, videlicet de quo tecum diſcedens locutus ſum, omnem operam dabis, ut res in meum reditum differatur; quod ſi per te efficere non poteris, ſcis, unde tibi meo nomine quidvis opis petere poſſis. Vale. Bononiæ IIII. Id. Novemb. MDLVII.

BAR-

BARTHOLOMÆI RICCII

www.libtool.com.cn

EPISTOLARUM

LIBER SEXTUS.


BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Aloyſio Cornelio S. P. D.

Cauſſas affert, cur ei potiſſimum APPARATUM LATINÆ LOCUTIONIS *a ſe confectum dicandum cenſuerit, admonetque, eum cum ipſo omnibus communicatum eſſe, ſed ipſi ſoli inſcriptum, ut poſthac non leve negligentiæ crimen ſubiturus ſit, niſi, quidquid utilitatis percipi poterit, id ab ipſo uno potiſſime percipietur.*

1. CUm equidem præcipue res eſſe duas ſcirem, quæ maxime ad dicendum pertinerent, alteram, ut quicquid inventum eſſet, ad Latinam rationem, de qua ego nunc ago, exprimeretur, videremque, inventionem in ſane quam multis Oratoribus aſſidue viguiſſe; elocutionem vero in priſcorum, eorumque perpaucorum ſcriptis, jam per multa ſæcula incultam, ac pœne abjectam jacuiſſe, nec non ſentirem quantum dignitatis Oratoriæ facultati pars hæc afferret, quamque contra jam fere ab omnibus exploſa illa eſſet Oratio, quæ in ſua lingua pene hoſpes loqueretur, contendi, quantum in me fuit olim, ſi quam mihi viam ipſe [non autem, ut nunc fit, in vulgus ut exiret] ad hanc Latinæ facultatis puritatem, atque elegantiam communire poſſem. Quam quoniam nulla certa aut ratione, aut ſcientia, ſed tantum bona recte loquentium conſuetudine conſtare viderem, hancque ipſam conſuetudinem, niſi ex veterum libris peti poſſe, non ignorarem, ad illorum aſſiduam lectionem ſtatim me contuli, multa cum ſimplicium, tum non pauca etiam conjunctorum inter ſe diligenter obſervans. Sed cum maxime Oratio ex Nomine & Verbo conficiatur, hiſque duobus univerſæ fere Orationis ratio con-

www.libtool.com.cn



Illud etiam accedebat, quod, ſi eloquenti Viro [quando prorſus infanti numquam commiſiſſem) commendatus exiſſet, ne in hominum ſermonem inciderem, magnopere verebar. Non enim ſtatim deeſſent, qui me his vocibus proſequerentur. En, qui Latinum hominem Romane loqui docere eſt auſus. Quare cum hæc iſtorum annorum, atque iſtius eruditionis magis eſſe viderentur, iſque tu ſemper fueris, qui a quo die via illa tibi commonſtrata eſt, in ea te plurimum oblectaveris, tantumque abſit, ut noſtris contentus fueris, ut ipſe etiam per te complures Libellos confeceris, nemo fuit omnium, cui rectius noſter hic liber hoc ſuo publico exitu committeretur. Habe igitur a nobis cum ex Verborum ſuis Nominibus, tum contra ex Nominum ſuis item Verbis ex ordine conjunctorum LATINÆ LOCUTIONIS APPARATUM, atatque ita habe, ut, quod ad te attinet, ita elabores, ita contendas, ut muneris noſtri in tua oratione mox fructum aliquem tibi conſtitiſſe videamus. Eſt hic quidem tecum omnibus communicatus; verum [ſi quid ad rem facit] uni tibi ſoli inſcriptus, ut poſthac non leve tui ipſius negligentiæ crimen ſubiturus ſis, niſi, quicquid utilitatis percipi poterit, id a te uno potiſſime percipietur. Itaque dare maxime eam operam debebis, ne, in quo a nobis uberrime te adjutum eſſe omnes intelligent, in eo ipſe ſolus tibi defuiſſe videare. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Aloyſio Cornelio S. D.

Queritur, eum Romam petentem mari Piſaurum appuliſſe, neque Ravenna tranſiſſe. Rogat, ut Romæ ſua prudentia ſibi optime provideat, & una omnibus voluptatibus ei potior ſit ſalus, cum nondum ex morbo plane convaluerit.

2. EGo te ex Abioſii noſtri literis hac cum Cardinali Piſanio avunculo tuo tranſiturum expectabam, quem cum hodie audiſſem ad Portuenſes divertiſſe, illuc ſtatim accurro. Quæro, numquid meus Cornelius adſit in tam nobili comitatu? Reſpondent, eum cum Patruo Cardinali quindecim dies Romam perveniſſe. Ingemui, ut frontem percuterem, ex quinque Cardinalibus Venetis,

tis, qui nunc Romam peterent, quatuor Ravenna transiſſe, Cornelium vero, quem omnium maxime cuperem, mari Piſaurum appuliſſe? ut ſuum adhuc in me tenorem mea fortuna recte retineat, quæ in omnibus rebus mihi adverſetur. Perrexi tamen ad Cardinalem, ac reverenter ei manus ſum deoſculatus, quicum, quæ pauca habita ſunt, verba omnia de te fuere. Sed redeo ad te. Romæ nunc es, Aloyſi, hoc eſt, in aliena Civitate, in alieniſſimo Cœlo, a Parentis optimi conſiliis quam longiſſime. Tu tua prudentia tibi optime providebis, ac quoniam ex Nicenſi morbo nondum te plane convaluiſſe audio, una tibi voluptatibus omnibus tua potior ſit ſalus; cum te te recte confirmaris, iſti ætati indulgere licebit, ſed id modice, atque intra modum ſemper, ut facias, curabis. Vale. Ravennæ xi. Cal. Novembris. MDXXXVIII.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Aloyſio Cornelio Cardinali S. D.

Gratulationis vice de ampliſſima Cardinalatus Dignitate ipſi delata monet, atque hortatur, ut diligenter animadvertat quam perſonam iſta nova Dignitate induerit, quidque oneris ex ea ipſi acceſſerit.

3. CAlamum ſumpſeram, ut Parentis tui clariſſimi Viri mortem tecum deflerem; non enim poſſum dicere, ut tibi in tanto luctu conſolationem aliquam afferrem, cum hac ego quoque tam indigeam, quam qui illum maxime adamarit; cum ecce tibi, qui, te in Cardinalium, ut noſtri loquuntur, Collegium cooptatum eſſe, mihi nuntiat, quo ego dupliciter ſum recreatus. Nam & dolore, quo ex Patris tui obitu afficiebar maximo, continuo maxima ex parte levatus ſum, tum etiam eo modo ad te ſcribendi, quod omnium invitiſſimo animo facio, liberatus. Nam, cum rei adverſæ commutata ratione, ſcribendi quoque meam inſtitutam rationem commutandam eſſe duxi, magiſque tibi iſtam tuam tantam Dignitatem gratulandum, quam vel verbum ullum minus lætum faciendum, eſſe ſtatui. Sed cum ego meæ lætitiæ par gratulationis genus tibi depromere vellem, idque enixe conarer, quanto id ſtudioſius contende-

derem, eo minus me præſtare poſſe videbam. Siquidem, quo cum cæteris, qui iſta ampliſſima Dignitate aucti ſunt, Bembo, Andrea Cornelio patrueli tuo, ac Maſejo ſum uſus, id, etſi pro mea in illos ſumma obſervantia, minime vulgare, atque obſcurum fuit, majus tamen aliquod, atque præclarius gratulationis genus tecum mihi quærendum erat, quem ut filium prope in tota tua adoleſcentia in hiſce noſtris ſtudiis inſtitueram. Sed quoniam id aſſequi non potui, alio inſtitutæ orationis meæ ſtylum converti, ut te ſcilicet monerem, atque hortarer, ut quam iſta nova Dignitate perſonam indueris, quidque oneris ex ea tibi acceſſerit, etiam, atque etiam diligenter animadverteres, ac utrumque poſtea in omni tuo officio integerrime præſtares. Ex Divi Joannis Familia, in quam admodum puer adoptatus fuiſti, hoc eſt, ex ſatis ampla, ac magnifica Rep. [ut in qua natus es nunc nihil recenſeam] in ampliſsimum Cardinalium Collegium veniſti, ut quanto hæc ſuperiori multo major, multoque eſt ſplendidior, tanto in eam curandam ſtudioſius, atque ardentius incumbere debeas, videlicet ut, quantum in te erit, efficias, ne quid ſummi officii ea a te deſideret, atque expectet. Id quod facile aſſequeris, ſi tuam tantum conſcientiam in rebus decernendis audire volueris, neque permiſeris, ut aliorum conſilia te te auferant, quo minus quod e Rep. Chriſtiana ſit, fortiter & ſentias, & decernas. Ac quoniam ejus Januæ, quam Deus Eccleſiæ ſuæ eſſe conſtituit, Cardo factus es, Fores illas ita æque ſuſtinebis, ut facile circumvertantur, quod quoque nullo negotio præſtabis, ſi oleo virtutis aſſidue te unctum præbebis, neque charitatem, quaſi earum cuſtodem optimam, ab eis uſquam vel latum unguem dimiſeris; ſi denique. Sed quid ego ago, qui non videam, cui ſcribam, qui ſua prudentia, ſuaque optima natura, qui quicquid Reip. Chriſtianæ maxime intereſſe ſenſerit, ſenſerit autem omnia, id cumulate ſit præſtaturus? Quare hic dicendi finem faciam, ſi Deum Opt. Max. prius rogabo, ut iſtam Dignitatem tibi fortunet, ac quoniam tua Familia Reip. ſuæ Principes, Chriſtianæ Cardinales, Reginas etiam apud alienos edere ſolet, ſi ea te Pontificem Maximum haberet, ut tum iſta mente optima, atque iſto animo tibi conſtes, remque Chriſtianam, quæ ad interitum ſuum præceps collabi videtur, conſerves, atque in pri-

priſtinum ſtatum reſtituas, etiam atque etiam diligenter videbis. Vale.

www.libtool.com.cn

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Joanni Riccio Cardinali S. D.

Ampliſſimam Cardinalatus Dignitatem ei vehementer gratulatur, neque minori ſtudio optat, ut eam Deus ipſi fortunet. Ut autem ſciat, quis ipſe ſit, ob oculos ponit opera a ſe jam edita, & operam ſuam addictam docendis Filiis Herculis Ateſtii Principis Ferrarienſium, ſubjicitque, quo conſilio id faciat.

4 FOrte cum inter eos, qui in Cardinalium Collegium a Jul. III. Pontifice Maximo proxime cooptati ſunt, meum Cornelium quærerem, ante quam ad ejus nomen pervenirem, in tuum incidi, atque in uno ſaltu [quod dicunt] duos apros cepi, mirumque in modum utroque ſum delectatus. Sed de meo Cornelio cum eo egi, nunc tecum agam. Equidem, ampliſſime Ricci, ut Familiæ noſtræ nomen ea Dignitate auctum eſſe ſenſi, tanta ſum voluptate affectus, ut tuorum quemquam, qui tibi vel ſanguinis conjunctione adſtrictior ſit, majorem cepiſſe non concedam. Mea enim ſic natura eſt, ut optimum quemque ſummis honoribus cohoneſtari, atque omni Dignitate ornari valde cupiam; meos vero Gentiles, tuique ſimillimos, omnium maxime. Quare tuam iſtam ampliſſimam Dignitatem tibi vehementer gratulor, eamque ut Deus Opt. Max. tibi fortunet, non minori ſtudio opto. Sed ego te mirari video, qui a quo tanti fias, prorſus ignores, neque fortaſſe umquam ejus nomen audieris, certe quidem de facie numquam noris. Nihil eſt, quod mireris. Riccium Familiæ utrique nomen eſt, cujus ego nullum vel humilioris fortunæ virum non pie amo, tui vero ſimiles niſi ſumma obſervantia proſequor, ac ut noſtri certior fias, ac poſthac quo propinquo auctus ſis, ſcias; ego is ſum Bartholomæus Riccius, qui APPARATUM LATINÆ LOCUTIONIS abhinc jam prope viginti annos edidi, quod opus etiam tres libri de Imitatione ſunt conſecuti, quique jam tertium, & decimum annum Herculi Ateſtio Principi Ferrarienſium in ejus filiis

filiis operam do docendis; quæ a me non eo dicta esse volo, ut quicquam me propterea tecum jactari videar, sed ut tu fortasse literis ex tuis Ricciis aliquem esse, qui cum Principibus gratus sit, tum cujus scripta a doctissimis Viris haud ingrate legantur, certe ut, si huic meæ erga te observantiæ aliqua benevolentia respondere velles, scires cui homini eam impertireris, ac quo literas tuas, si rescribere non dedignareris, reddendas curares, quorum utrumque, si mihi accidat, erit quam gratissimum. Vale.

JOANNES RICCIUS CARDINALIS

Bartholomeo Riccio S. D.

Incredibilem jucunditatem ex ejus literis se percepisse significat, cum ex iis cognoverit, eum & Gentilem suum esse, & Virum virtutibus, & doctrina insignem, & Herculi Ateſtio tanto Principi percarum, polliceturque, se posthac eum semper & benevolentia, & charitate sibi conjunctissimum habiturum.

5. AD quartum Nonas Majas, qui dies nudius quintus fuit, accepi tuas literas & suavitatis, & elegantiæ plenas, quæ tametsi longe serius, ut opinor, quam dedisses, fuere redditæ, incredibilem mihi tamen jucunditatem attulerunt. Nam & te mihi Familiæ nomine conjunctum, & vehementer ea re gratulari nobis amplissimam Dignitatem significabas, quam certe Dei Maximi & Sanctissimi Pontificis beneficio sumus consecuti; quod quidem munus eo mihi gratius, tuis perlectis literis, fuit, quod eam occasionem præbuerit, ut te cum virtutibus & doctrina insignem Virum, tum vero Gentilem meum per epistolam tuam cognoscerem. Illud præterea me non mediocriter oblectavit, quod te apud præclarissimum istum, atque optimum Principem tot annos ætatem egisse intellexi. Nec sane vereor, quin te cum fides optima, tum doctrina ipsa, quam singularem non minus editi abs te libri, quam eruditorum testimonia, declarant, tuo isti tanto Principi percarum reddiderint. Quamobrem quoniam ad Familiæ nostræ conjunctionem virtus etiam accessit, qua sæpissime vel ad eos diligendum impellimur, quos num-

numquam vidimus, ſic te ipſe diligam, ut me tibi poſthac pollicear cum benevolentia, tum vel maxime charitate ea, qua ego plurimum propinquos, ac neceſſarios meos complecti ſoleo, conjunctiſſimum eſſe, ac fore ſemper; idque, ſi quando opus fuerit, re ipſa præſtabo. Nihil eſt enim virtute ipſa mihi dulcius, nihil gratius. Vale, mi Ricci, & me ama, ut facis. Romæ viii. Idus Maji MDLIIII.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Bernardino, & Petro Lauredaniis Gemellis S. D.

Significat, ſe ſumma benevolentia eos complecti, quod mutua amandi propenſione ſimiles ſint, ſimulque optimis ſtudiis optimam operam dent; monet, & hortatur, ne quid de inſtituto ſuo lentius remittant, ut præter omnium amorem ampliſſimam etiam gloriam conſequantur.

6. JOannes Caſtaldius adoleſcens cum haud peſſimis literis, tum etiam optimis moribus præditus, cum iſthuc ad nos rediiſſet, mihi, quæ honorificentiſſime cum illo de me collocuti eſtis, mea ſumma cum voluptate narravit. Equidem, Gemelli Lauredanii, Andream Patrem veſtrum magni ſemper feci, facioque quotidie non minoris, Joannem autem Cornelium maternum avum veſtrum omnium plurimum, cujus etiam mortui memoriam omnibus meis ſcriptis præſtare non intermitto, qua vos utraque de cauſſa vehementer amare cogor. Sed ad hanc meæ erga vos ſummæ benevolentiæ cauſſam ea quoque non levior cauſſa accedit, quod vos optimis ſtudiis optimam operam dare audio, atque inter vos non ſolum, quemadmodum forma, ore, ac vultu alter alterum optime refertis, idem in mutua amandi propenſione, ut probe præſtetis, ſed etiam uter utrum fraterna pietate ut ſuperet, magiſque alter de altero bene ut mereatur, omni conatu contendere. In quæ utraque ſtudia non ut, quam veſtra ſponte facitis, ardentius incumbatis, ſed ne quid de inſtituto veſtro lentius remittatis, moneo, hortorque, ex quibus præter omnium veſtri amorem, ampliſſimam gloriam etiam conſequemini. Certe Lauredaniorum Familia nobiliſſimis Principibus nobilitata eſt,

Cor-

Corneliorum etiam Reginas habuit. Si vos tamen ei opinioni, quam de vobis homines jampridem conceptam habent, egregie reſpondebitis, mihi credite, omnes Principes Lauredanios, omnes Reginas Cornelias gloria ſuperabitis. Valete.

www.libtool.com.cn

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Gemellis Lauredaniis S. D.

Eorum literas ſe accepiſſe ſignificat, alteras mirificas, alteras magis faciles, ac puras. Alteri itaque valde gratulatur, ut quem eloquentiſſimum Virum brevi ſperet; alteri animos addit, ut fratris viam inſiſtat, atque ad eum modum ſuam ſcribendi rationem inſtituat.

7. CONſtitueram [ut ante ad Patrem veſtrum ſcripſeram] quod nunc per literas vobiſcum ago, id me coram, ac multo pluribus cum ambobus acturum, ſed vis aliena, non mea me voluntas, a mea iſthuc profectione revocavit. Veſtras literas accepi, mirificas alteras, alteras magis faciles, ac puras, eodem tamen argumento ſcriptas. Tuæ vero, Bernardine, cum omni copia, atque rei ubertate abundant, tum ſumma dicendi elegantia, atque ſplendore nitent, quæque ita mihi & ſtilo, & ſententiis probantur, ut verear interdum, ut, eas ab adoleſcentulo ſcriptas eſſe, credam. Maturius enim ingenium ſua præſtantia plane præ ſe ferunt. Siquidem ſtilus, & hæc dicendi ratio niſi a diuturno, atque aſſiduo ſcribendi ſtudio proficiſcitur. Si vero ita eſt, quod ego maxime cupio, ut a Magiſtro tuo nihil adjutus ſis, valde tibi gratulor, ut quem eloquentiſſimum Virum propediem ſperem. Jacta enim ea ſunt fundamenta, ut reliqua perilluſtris ædificatio facile cerni poſſit. Pergas modo, ſtilumque, qui optimus eſt dicendi magiſter, exerceas, ſcribas, reſcribas, complura volumina conficias, quæ etiam conſcindas, atque abjicias, mihi crede, in tam parva jactura maximum fructum te eſſe percepturum. Tu vero, Petre, ſi Bernardini fratris viam inſtiteris, atque ad eum modum ſcribendi rationem tuam inſtitueris, multo tibi rectius conſulueris. Non enim ſatis eſt pure, atque plane rem exprimere, niſi etiam eam ornate, atque aliquo

modo

modo ſplendide, dixeris. Vidi ego ſæpe, atque adeo quotidie omnes videre poſſunt, quaſdam hominum effigies tantum ex lineis ex atramento ductis optime conformatas, quæque in ſua membra apte deſcriptæ hominum formam egregie exprimunt, ac minime ingratum intuentibus afferunt aſpectum, quibus tamen adhuc multum deeſt ad omnem cum ornatum, tum etiam ejus notiorem formam exprimendam; id autem eſt color; qui ſi acceſſerit, ac ſuis partibus ſuperinductus erit, nihil eis poſtea ad perfectam abſolutionem deſiderabitur. Hic autem color in oratione ſunt quædam lumina, quibus ſi ea inſpergatur, atque puritatem illam ſuam exornet, nihil ei poſtea ad omnem venuſtatem, atque perfectionem deeſſe poterit, quæ tu lumina ut orationi tuæ addas, atque appoſite in ea inſpergas, omne tuum ſtudium adhibebis. Id autem potiſſimum effeceris, ſi ad bonorum imitationem & ipſe multum ſcripſeris, ad quod ornamentum ſi non ita ſtatim perveneris, ne deterrearis; pervenies tamen paulo poſt. Scribas modo aſſidue, atque ad Ciceronis in primis rationem omnem tuam dictionem dirige. Hæc pauca nunc a me, reliqua, quæ ad hanc rationem pertinent, ambo a veſtro Magiſtro quotidie habere poteritis. Valete.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Bernardino Lauredanio S. D.

Gratulatur de ejus Oratione in funere Principis Triviſanii habita, hortaturque, ut quotidie ſcribat, conceptamque de ſe a Civibus opinionem non ſolum in poſterum integram præſtet, ſed in dies magis adauctam comprobet, quæ ipſi poſtea ad omnia Reip. præclara munera præſto adſit obeunda; rogat denique, ut editionem duorum ſuarum Epiſtolarum librorum adjuvet.

8. PAulus Rhamnuſius Pignæ noſtro de ejus libris longiſſimas literas ſcribit, in iis autem poſtremis adjungit, te Marcum Antonium Triviſanium Principem veſtrum in funere laudaſſe, quod iſtorum annorum ſatis eſſe poterat; ſed id etiam adjunxit, te cum tua ſumma laude eum laudaſſe, qui non tam ejus Principis integritatem

tem dicendo illuſtraſti, quam tuam eloquentiam omnibus luminibus ornatam explicuiſti. Quod etſi mihi minime novum accidit, qui ingenium tuum optime noveram, gratiſſimum tamen fuit, ut, quod ego te ſponte mea mihi multo ante propoſueram, & meis literis tibi etiam aliquando ſignificaram, id ab omnibus comprobari ſentirem. Quare tibi gratulor, mihi gaudeo, teque hortor, ne hic metam tuam tibi conſtituas, ſed quando ſtylus hujuſce facultatis optimus eſt magiſter, quotidie ut aliquid, vel etiam, cujus tibi argumentum effingas, ſcribere ne ceſſes, non ſolum ut hanc, quam tui de te Cives iſta ætate opinionem concepere, optime in poſterum præſtes integram, verum etiam, ut eam iſtis in dies magis adauctam comprobes; quæ una poſtea tibi ad omnia Reipub. tuæ præclara munera præſto adſit obeunda. Sed cum nunc tibi gratulor, tum etiam Fratri Gemello ſuadeo, ut is quoque ita in hac dicendi facultate ſtylum ſuum exerceat, atque occupet, ut te non longiori in dicendo intervallo, quam in ortu fecit, feliciter ſequatur, ut, ſi caſus hanc item occaſionem offerat, is tibi fidelis comes addatur, atque ita, ſi non una conjuncti omnibus actionibus eſſe poſſitis, ſaltem, quod rotæ in curru faciunt, ubi alter quaſi pedem extulit, alter eo greſſum inferat. Nunc redeo ad te, Bernardine. Scio, te recordari, te mecum fuiſſe, cum proxime duos mearum epiſtolarum libros Ruſcellio reliqui, quos ipſe poſtea meo nomine, ut dicunt, imprimendos daret. Percarum mihi feceris, ſi eum adibis, ac quibus eos dederit, quove loco res ſit, de eo ipſo intelliges, meque poſtea de ea certiorem feceris, quam, quantum in te erit, ut ad ſuum finem adjuves, te etiam atque etiam rogo. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Bernardino Lauredanio S. D.

Rogat, ut vicem ſuam ſumat in initiatione Baptiſmatis filii Pauli Rhamnuſii, eumque ad fontem quaſi ſuis manibus ſuſtineat.

9. PAulus Rhamnuſius optimus adoleſcens, tuique ſtudioſiſſimus, ut de more Chriſtiano in hac ejus filii Baptiſmatis initiatione teſtis ſim, hucuſque invitat: cui ego non ſolum Chriſtiane obſequi cupio, ſed iſto officio nihil mihi jucundius ea ratione, quam optime noſti, accidere potuit. Verum quoniam hanc piam operam cum iſtorum temporum iniquitate, tum etiam mea non ſatis libera agendi ratione, præſens illi dare non poſſum, te rogo, ut in iſto Divino officio vicem meam ſumas, ac hoc tantum ipſum perſonam meam induas, atque infantem ad fontem quaſi meis manibus ſuſtineas. Quod ſi, ut confido, mihi præſtiteris, cum ego plurimum tibi debebo, tum vero puer ſanctiſſime primis Sacris initiabitur, qui ad Chriſtianam Fidem ab eo introducetur, qui cum vere in Chriſtum credit, tum etiam moribus, ac vitæ ſuæ ſanctitate fidem ſuam optime comprobat. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Bernardino Lauredanio S. D.

Gratias agit de officio Chriſtiano, quo pro ſe functus eſt, parem ſe relaturum pollicitus, ſi occaſio tulerit.

10. DE officio illo, quo pro me iſthic functus es, Chriſtiano gratias tibi ago, parem etiam relaturus, ſi quid tale, aut etiam majus, hic tibi umquam eveniſſet. Quo vero anno, quo menſe, quo die, qua hora ille deceſſerit, tibi mitto; ſi quid aliud eſt, quod per me curatum velis, manda; ne fruſtra mandaſſe videaris, ego re ipſa diligenter curabo. Compatri, atque ejus, tuoque patri, meo nomine ſalutem. Vale.

BAR-

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Baſilio Zanchio S. D.

Ejus Alethem laudat, queriturque, quod ad ſe opera jam edita non miſerit.

11. ACcepi tuum Alethem. Vera quidem, ut ſcribis, omnia, neque alio modo, quam ipſe facis, latius pertractanda. Nam ſi fuſe, ac, quantum res poſtulabat, copioſe tractaſſes, Dii boni, quod volumen non impleviſſes? ſed mire omnia percurriſti. Quas pauciores chartas cum legerem, in mentem venit illud Catulli de Cornelio ſuo, qui tribus chartis univerſi ævi Hiſtoriam complecti auſus eſſet. Sed heus tu, falleris, ſi pro omnibus rebus, quas multas debes, in eo mihi ſatisfeciſſe putas; ac quoniam univerſam naturam mihi miſiſti, te quoque in ea & Latinas dictiones, & reliqua tua carmina, quæ publicaſti, mihi miſiſſe exiſtimas. Queſtus ſum cum fratre tuo Chryſoſtomo amabiliſſimo, ac ſuaviſſimo Viro, mihique jucundiſſimo amico, te nullam noſtri memoriam tenere, ne in eo quoque, quod vel homunculis quibuſdam præſtas. Tecum nunc idem expoſtulo, qui volumina complura edideris, eaque ad tuos quaque verſus dimiſeris, mihi ne verbum quidem. Sed ignoſco tamen, qui idem ego contra fecerim & in meis libris de Imitatione, & multis Orationibus nihil aut ad te, aut de te. Niſi mihi damnum præſtas, te non amabo. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Franciſco Luyſinio S. D.

Ejus verſus ſibi inſcriptos laudat, ſignificatque, nullas literas Venetias mittendas ſibi redditas eſſe. Certiorem facit, Manutium ſibi ſcripſiſſe, eum Cal. Jun. prælo ſubjecturum, quæ ipſe in Horatii Poeticam ſcripſit.

12. PIgna noſter tuos verſus mihi reddidit, an meos quoque? quando tu eos mihi inſcribis? mihi

utraque de cauſſa gratiſſimos, qui vel ſua tamen elegantia jucundiſſimi eſſe poterant. Quotidie, Luyſini, amoris erga me tui locupletiſſimos teſtes edere non ceſſas, quem etſi, tacente te, jampridem ex meo erga te facile perſpectum habebam, ut cui mutuo, ut facis, reſpondere deberes, tamen, ut cæteris quoque cum mea ſumma laude omnibus modis teſtatum relinqueres, id quoque haud ingratum accidit. Sed vide, ne quibus me in eorum inſcriptione prætuliſti, bonitati tuæ potius, quam ambitioni obſequens, moleſte ferant, ac te accuſent, qui perſonarum rationem parum adhibeas diligentem. Equidem is ſum, qui, ex quo te primum die vidi, ut alterum filium dilexi. Sed hoc mihi cum illis commune eſſe poteſt, certe ut in cæteris illis concedam, neceſſe eſt. Quare poſthac tuis rationibus melius conſules, me quidem ſemper habebis, cui æque charus ſis, ac parenti. Sed quoniam ita tibi viſum eſt, rectius feciſſes, ſi quid aliud ei inſcriptioni addidiſſes, quo magis eos verſus mihi inſcriptos eſſe teſtareris. Nam præter ſimplicem illam inſcriptionem, nihil in iis tam meum eſt, quod cujuſvis alieniſſimi, ſi meum tantum nomen commutaris, commodiſſime eſſe non poſſit. Quas Venetias mittendas ſcribis, ſcito in meo faſciculo nullas fuiſſe literas; arbitror in Pignæ conjectas. Is probe curabit, ut recte perferantur. Manutius mihi proxime ſcripſit, ſe Cal. Jan. quæ tu in Horatii Poeticam ſcripſiſti, ſub prælum daturum, prius nequiviſſe. Ego diem non video, quo in manus doctiſſimorum Virorum exeant. Equidem, opus avide expecto. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Franciſco Luyſinio S. D.

Ut intelligat, ſe in amore ſuperari, hanc epiſtolam ei mittit ad unicam alterius ore ejus nomine ſalutem ſibi dictam.

13. VIx hic per iſtos ardentiſſimos æſtus reſpirandi mihi facultas datur, nedum pluribus, idque, ut vides, aliena lingua ad te ſcribam, præſertim cum nihil habeam, quod te ſcire aut mea, aut tua quicquam interſit, niſi hoc quoque pacto tibi confirmandum eſt,

te

te a me in amore valde ſuperari, qui ad unicam tuam alterius ore mihi ſalutem dictam, eandem ut a me ipſo haberes, volui. Vale, & Calderonio noſtro ſalutem.

www.libtool.com.cn

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Alphonſo Roſſetio S. D.

Rogat, ut cum primum facultas dabitur, curet, ut Princeps ſuus rogationem ab Aſcanio Cornio ipſi commendatam ſubſcribat.

14. NIſi, Alphonſe, eam rogationem, quam Aſcanius Cornius diſcedens tibi commendavit, diligentiſſime curaris, nulla ſpes eſt nobis illam, ut volumus, ſubſcriptam iri. Quare te rogo, non ut ejus commendationi hac mea commendatione, quod minime æquum eſt, quicquam accedat, ſed quoniam vereor, ne Princeps tuus te ſubito aliquo, ut quotidie facere ſolet, Legatum extrudat, nobiſque poſtea tuum iſtud ſtudium deſiderandum relinquas, ut, cum primum facultas tibi dabitur, rem ita urgeas, itaque in eam incumbas, ut nobis prorſus abſolutam reddas. Quod mihi ita gratum erit, ut nihil gratius accidere poſſet, ac propterea tibi etiam, atque etiam plurimum debebo. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Alphonſo Roſſetio S. D.

Nomine Aloyſii Herculis Principis Filii rogationem Aliotii commendat, ut per Guarinium Patri a ſecretis res expediatur.

15. ALoyſius Herculis Principis junior filius, meus in literis alumnus, Aliotii mei rogationem ita tibi commendat, ut facere ſolet, cum quid diligentius commendat; ut cum Guarinio Viro patris ſui a ſecretis integerrimo, cui res ea tota commiſſa eſt, ita agas, ut, cum primum ei commodum ſit, eam nobis expediat. Hoc quidem cum humanitati tuæ, tum etiam ejus auctoritati ſatis eſſe debet. Id ego tamen a me addo, ſi per

te impetramus, mihi gratiſſimum, Aliotium vero officii tui, quoties res ferat, memorem futurum. Vale.

www.libtool.com.cn

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Alphonſo Roſſetio S. D.

Iterum Aliotii negotium commendat, ut, ſi non gratis, ſaltem cum aliqua mulcta conficiatur.

16. SCio a tuis tibi nuntiatum eſſe, me te ad cubiculum tuum apud Principem, atque domum uſque ſæpius quæritaſſe, ut de Aliotio noſtro coram agerem. Ex quo meo tam diligenti ſtudio facile perſpicis, quantæ res ea mihi curæ ſit, ac fortaſſe eo quoque nomine ipſe etiam, qui tua ſponte eam ardentiſſime curas, multo ardentius in eam ipſam incumbes. Res adhuc, ut vides, eodem loco eſt, quo erat, cum primum agi eſt cœpta, neque tu tuo tanto ſtudio, neque Aloyſius Principis Filius ſuis renovatis commendationibus quicquam profeciſtis. Quamobrem autem, non ſatis intelligo. Verum ea mihi ſuſpicio incidit, gratis rem [quod conabamur] nobis expediri non poſſe. Quod ſi ita eſt, aut ita tibi quoque videtur, novum conſilium, novamque rationem nobis inivimus, ut nobis potius cum aliqua mulcta res tandem conficiatur, quam hac ſpe fruſtra multos menſes trahatur. Ducentarum [ut noſtri dicunt] librarum mulcta eſt. Scis continuo de more dimidium remitti ſolere; ſecundo item reliquæ partis dimidium alterum condonari, ut ex ducentis quinquaginta tantum totius mulctæ fiant libræ. Quare te etiam, atque etiam rogo, ut [ſi tibi tamen videbitur] ita cum Guarinio agas, ut hanc poſtremam mulctæ partem accipiat, nos abſolvat, hoc eſt, Aliotio ut ignoſcat, me Aliotii ſolicitudine, te mea, ſe tua tandem moleſtia liberet. Vale.

BAR-

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Hieronymo Zanchio S. D.

Gratias agit de literis ad ſe longiſſime gentium ſcriptis, hortaturque, ut aliquid amicorum ſpe dignum ſcribat, oſtendatque, ſe in locis ſolis minime ſolum fuiſſe.

17. EX iis, quæ mihi gratiſſima accidere ſolent, id longe gratius eſt, cum amicorum literas lego. Quorum enim ſuavem conſuetudinem locorum maximum intervallum nobis abſtulit, eam ad hunc modum aliqua ex parte per literas retinere videor; verum tuæ mihi multo jucundiores fuere, neque tam eo nomine, quod mihi longiſſime etiam gentium ſingularis benevolentiæ, de qua equidem, te etiam tacente, nihil dubitabam, memoriam præſtes, ſed cum nihil prorſus haberes novi, ex quo literas conficeres, malueris tamen de re mihi minime dubia, quam nullas prorſus literas, cum haberes, qui eas recte perferret, ſcribere. Ego te, mi Zanchi, propter ſingularem tuam modeſtiam, reliquaſque animi tui virtutes optimas, ut communibus ſtudiis nunc nihil tribuam, tantum amo, quantum quem maxime; neque quicquam tam moleſte tuli, quam ſubitum tuum a nobis iſthuc diſceſſum, quem tu etiam conſolabaris, cum tua ſponte ſtudiorum tuorum cauſſa in iſtam Inſulam te tranſmittere excuſares, quem ego tamen jam tum demum levius ferre cœpero, cum aliquem eorum uberiorem tibi fructum extare videro, quod ut aſſequar, te per eam, qua maxime conjuncti ſumus, & animorum voluntate, & ſtudiorum conjunctione etiam, atque etiam rogo. Vales ingenio; uſum ſcribendi novi non mediocrem; tantum vero tibi a curis omnibus ſecuri otii conceſſum eſt, ut ſi una voluntas poſtea tibi adſit, omnia adſint; ſed & hanc quoque jampridem præſto adeſſe intelligo. Calamum igitur arripe, atque aliquid jam te, atque amicorum tuorum ſpe dignum deprome, teque oſtende in locis ſolis minime ſolum fuiſſe. Vale, ac Celſo, quem ego ea benevolentia proſequor, qua te, pene etiam, qua tu, dixi, poſt multæ ſalutis adſcriptionem, ut noſtrum hoc, quo te hortamur ad aliquid gravius ſcribendum, ſummi amoris

erga te mei teſtimonium, ſibi fraterne communicet, meo nomine iterum, & ſæpius commonebis. Vale Ravennæ.

www.libtool.com.cn

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Jacobo Azaiolio S. D.

Suam de Catulli loco ſententiam exponit, Proverbiumque explicat.

18. CUm heri eſſemus ad Pignam noſtrum, ac, ut fit, inter loquendum, varii ſermones a nobis haberentur, poſtremo Catullus in eum incidit, quo autem modo, non ſatis memini. Cum tu ais: ad Catulli mentionem mihi ſuccurrit, quod ego in illo nudius quartus legens, non ſatis percipiebam. Si vos fortaſſe locum planiorem haberetis, gratum erit, ſi veſtram ſententiam mihi quoque impertiemini. Locus autem eſt in Epigrammate in Cæſarem, in quo toto omnino non ſatis mihi ſatisfacio; verum quid id ſit, *quod dicunt, ipſa olera olla legit*, cum Proverbium Poeta eſſe teſtetur, dicens, *quod dicunt*, non poſſum deprehendere, neque de quoquam audivi locum explicatum. Tum Pigna: ego quoque in eo Epigrammate ſemper hæſi. Neque ego, tum ſubdo, nunc quicquam habeo, quod recorder; videbo tamen, ſi quid habeo in meo Catullo, idque libenter ad te poſtea perſcribam. Itaque ut domum redii, Catullum ſumpſi, atque ut multa verſavi, in eo acquievi, quoad quis mihi planius locum explicet, hominem fuiſſe, qui Olla cognomento, ut Catulli Mentula, vocaretur; natum autem hoc modo Proverbium; hunc ſcilicet Ollam vicino olitori olera clam ſurripuiſſe, eaque ſtatim in olla ad ignem poſuiſſe. Quod furtum ut olitor animadvertit, Ollam vicinum accuſat: negat Olla: tum recta olitor in Ollæ domum ſe ſurripiens, olera in olla ad ignem jam ſemicocta offendit, tumque alta voce: *vicini, Olla olera legit*; hoc eſt, negari non poteſt, quin olera furatus ſit; ſive *Ollam* virum intelligas, ſive *teſtam ollam* mavis, quod ridiculum aptiſſime Catullus ad ſuum de Mentula accommodavit, cum dicit, omnino Mentulam ſive hominem, ſive penem mœchari. Verſus autem hi ſunt integri.

Men-

Mentula mœchatur, mœchatur Mentula certe;
Hinc eſt, quod dicunt, ipſa olera olla legit.

Vale.

www.libtool.com.cn

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Proſpero Paſetio S. D.

Rogat, ut primo quoque tempore Blondii affinis ſui cauſſam expediat, domumque ad curandam rem ſuam familiarem remittat.

19. BAlthaſſar Blondius meus affinis eſt, ſed affinitati accedit etiam mutua benevolentia. Is cauſſam habebat ad Principis Procuratorem Judicem Ludovicum Catium; eam tibi rejectam eſſe audio; quamobrem autem non quæro. Hoc mihi quidem plurimum gaudeo, quod tibi potius, quam cuipiam alii rejecta ſit, quem ego certo ſcio nulla amicitia, nullis precibus, nullis denique præmiis adduci poſſe, ut quicquam ab æquo, atque honeſto abjudices. Quare ego te rogo, non ut illi adſis, ſi iniquam cauſſam agat, ſed ut ſive ab eo, ſive adverſus eum ſentias, eum primo quoque tempore hoc cauſſarum agendarum cruciatu, quo nullus crudelior eſt, liberes, domumque, quo res familiaris eum revocat, continuo remittas. Quod ſi a te impetro, id mihi tam gratum fore polliceor, quam quod eſſe poſſit gratiſſimum. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Proſpero Paſetio S. D.

Poſtquam Aliotii virtutem, atque animi altitudinem a tribus latronibus oppreſſi laudibus extulit, pacem de cæſo, cum peregrinus eſſet, ex Civitatis inſtituto a Sapientum Collegio petit, rogatque, ut omnibus ſententiis ei concedatur, ut poſtea brevi abſolvi poſſit.

20. CUm Servatoris Aliotii virtus, atque animi altitudo tanta ſit, quæ per ſe cuique facile commendetur, neque quicquam extrinſecus deſideret, quo optimis

mis Viris gratior, atque acceptior esse possit, ea ratione fit, ut, quod ego nunc tecum ago, magis ejus extollendæ, quam commendandæ, caussa factum velim. Et profecto, siquid multis hinc ab annis omni laude dignissimum audisti, id quidem est, quod a me nunc paucis audies. Hic in angusta Angeli publici Hospitii porticu a tribus latronibus oppressus, prius tria vulnera in capite accepit, duo punctim ad utrumque tempus, tertium casim bene latum, ac profundum in summo vertice, quam gladii distringendi copia fieret; quem tamen ita affectus ut eduxit, Dii boni, quo impetu in eos irruit? qua virtute eos versat? quo animo præcipites agit? Non ita fossus Aper in tres venatores se ardentius incitat, atque immittit, ut iste in tres eos sicarios in horas validius insurgit, eosque creberrimis ictibus urget, atque propellit. Continuo unum eorum sibi ad pedes prosternat, quem ne postea occideret, ejus patruus prohibuit, qui, forcilla ex vicina taberna arrepta, omnes ejus ictus excipiebat. Hunc ita humi abjectum destituens, duos reliquos, a quibus interim tria vulnera, duo in tergo, tertium in crure acceperat, insequitur, quorum alteri statim in ore altius vulnus exarat, qui cum & hujus impetum ferre non posset, & vulnere graviter premeretur, primum se recipere cœpit, mox se in pedes dat, atque in vicini proximi ædes se conjicit, ostiumque concludit, atque ita se texit. Hoc sibi erepto, alterum, qui se insequebatur, sed metu paulo remissior, adoritur, quem non prius deserit, quam ei vitam ademit. Tertius superat, quem humi stratum reliquerat: hunc quærit, si usquam. Sed is quoque, ut ex ejus manibus evaserat, pedibus sibi salutem quæsiverat. Scio tibi ad hoc factum tertii Horatii casum succurrere. Est enim hoc illi quam simillimum; nisi quod hoc nostrum eo est nobilius, quod is aliquando duos germanos fratres in eodem conflictu socios, ac miros propugnatores habuit, hic vero solus semper, atque etiam prius graviter vulneratus, quam prope hostem videret, pugnam sustinuit, ac fortiter vicit. Stupebant, qui præsentes aderant, cum qua animi alacritate, atque manuum celeritate hunc rem gerere viderent. Certe, Paseti, qui solus solum superat, vir fortis est; qui duos, fortior; qui vero plures, fortissimus, quique inter Heroas merito annumerandus sit, cuique

ænea

ænea ſtatua in ſempiternam memoriam erigatur. Sed de ejus gloria nos videbimus, tibi cum Collegio tuo de ejus incolumitate videndum eſt. Lex enim jubere videtur, ut qui ſe defendens alium occiderit, is tamen ex cuſtodia publica cauſſam ſuam purget. Quoniam vero innocentiam noſtram undique tectam eſſe volumus, ut longiſſima iſta Judicum ſubſellia facilius præcidamus, pacem de cæſo quærimus. Ea vero, quoniam is peregrinus erat, neque quemquam hic habet propinquum, a quo ea petatur, ex Civitatis noſtræ inſtituto a veſtro iſto Sapientum Collegio petenda eſt. Hanc igitur a vobis Aliotius rogat, quam ſi ii Viri eſtis, qui certe omnes eſtis, hoc eſt, æqui, atque honeſti ſtudioſiſſimi, nihil dubito, quin omnibus ſententiis hanc ei concedatis. Nam ſi præſentes in conflictu affuiſſetis, ac cum tres illos gladios in ejus caput vidiſſetis intentos, quoquo modo potuiſſetis, vim illam ab eo veſtro etiam cum aliquo periculo propulſaviſſetis; tanto id nunc ei magis ſine ullo periculo, ac ſummo jure præſtare debetis. Tum enim tantum miſerum, atque incognitum virum ſervare poteratis; nunc fortiſſimo adoleſcenti gratiam hanc facietis, atque de eo Viro optime meriti eritis, qui a bonis omnibus ſua virtute omnia officia mereri videtur. Quamquam hoc, quod hic a vobis rogat, non ignorem nemini negari ſolere; tanto vero minus Civi veſtro, atque ei Civi, cujus ſimilibus ſi multis Patria veſtra abundaret, cum ea præclare agi dici poſſet, negare debebitis. Sed tamen quod initio me facturum eſſe negaram, ita tibi pacem hanc commendo, ut ejus Viri facerem, qui nihil haberet, quod mea cauſſa non libenter eſſet facturus. Hac enim per vos pace confecta, cauſſa noſtra, quæ honeſtiſſima eſt, multo etiam honeſtior comprobabitur, hicque poſtea brevi, atque nullo negotio abſolvetur; alioquin magnum periculum eſt, ne potius ex Urbe excedat, quam parvam, quam habet, in dicenda cauſſa, idque ex vinculis, rem omnem conſumat, quando totus Orbis una omnium tandem eſt Civitas. Quare ſi tua opera; novi enim, quam gratioſus ſis apud Collegas tuos, quantumque Collegii Princeps tibi deferat; pacem hanc impetramus, ego tibi polliceor, præterquam quod mihi in Urbe amiciſſimum, Patriæ vero domi quaſi tertium Horatium retinueris, ipſum

pſum Aliotium qua animi virtute eſt in ſe tuendo, eadem in iis, quos de ſe optime meritos norit, omni gratia, atque obſervantia proſequendis, eſſe futurum. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Proſpero Paſetio S. D.

Rogat, ut per eum Fugatius ſequeſtri accuſatus, quod frumentum in villa ſua, eo abſente, atque inſciente, apud villicum ſuum prius depoſitum, deinde repetitum, atque ablatum, poſſit inde petere, quo allatum eſt, non autem unde ablatum.

21. ALexander Fugatius Ferrinii mei, cujus memoriæ tam ſtudeo, quam etiam ipſi, cum viveret, faciebam, ſumma affinitate conjunctus, me nuper adiit, cauſſamque apud te ſe habere expoſuit; quemdam ſcilicet frumenti aliquot ſextarios in villa ſua, ſe abſente, atque inſciente, ſequeſtri cauſſa depoſuiſſe, eumque paucos poſt dies id repetiſſe, atque abſtuliſſe, quo facto ſequeſtri accuſatur, quæ accuſatio quam iniqua ſit nemo non videt. Quis enim te quæſo, ignorat, primum ſequeſtrem ſine teſte non fieri? deinde eum, cui non factum ſit, id illi minime eſſe præſtandum? quorum neutrum in hoc ſervatum eſt. Conſtat enim ſequeſtri hujuſce tempore Fugatium in Urbe abfuiſſe, neque quo etiam teſte apud villicum ſuum ſequeſtrum factum ſit, ullus adducitur. Nam ſi recte hic accuſatur, ego, & tu, & omnes eodem modo accuſari potuerimus, quibus inſcientibus, in villis noſtris quid tale facile accidere poteſt. At boni viri fuit quærere, qua ratione id alieni frumenti in ſua villa erat, quod poſtea cum depoſiti cauſſa eſſe cognoviſſet, tum non permittere, ut inde auferretur. At quæſivit, neque teſtem ullum, qui id affirmaret, habuit. Quid ego tum [inquit ille] quod nihil ad me attinet, prohibeam ſuum cuiquam auferre, atque adverſarii ſui ignorantia perfrui? Quia igitur frumentum non retinuit, depoſiti accuſatur. Is vero hac ratione cauſſam ſuam tuetur, ſe nulli de jure id præſtare debuiſſe, qui neutrum eorum norit, quo quæ inſcio res geſta ſit. Sed hoc ex jure: id tua gratia nobis conce-

cedes, ut inde frumentum petatur, quo allatum, non autem unde ablatum eſt. Quod eo quoque mihi dare debes, quoniam id quaſi Ferrinio tuo me petere vides; quod ſi tamen impetro, tibi polliceor, mihi fore quam gratiſſimum. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Fabritio Reſſetio S. D.

Ejus, & Suffrinii literas tum pereleganter, tum etiam peramice conſcriptas laudat, eique omnem operam ſuam, & benevolentiam pollicetur.

22. EOdem tempore, atque adeo ab eodem Tabellario tuas, atque Suffrinii tui literas accepi, utraſque tum pereleganter, tum etiam peramice conſcriptas, ſed ad tuas nunc, Suffrinio poſtea, ſatisfaciam. Quanti, ac quam jure optimo adoleſcentem optimum facias, video; nec quanti ego eumdem vel tua cauſſa, vel mea natura, vel ejus etiam optimis ſtudiis facere debeam, me fugit. Sed, mi Fabriti, non tot Athenis noctuæ, ut dicunt, quot Ferrariæ hujus generis adoleſcentes hac cauſſa quotidie apparent. Cum mihi veſtræ literæ redditæ ſunt, duos habebam, & natu admodum grandiores, & literis cum Græcis, tum Latinis perquam eruditos, qui eandem conditionem jam multos dies quærebant, neque adhuc reperierant. Quod ego tibi meum ſtudium pollicear, nihil opus eſt, qui meam erga te vel ab Urbano patre tuo, meo optimo Magiſtro, benevolentiam maxime perſpectam habes, multo vero minus illi, cujus deſiderio re ipſa vix ſatisfacere poſſum; tibi tamen recipio, me omnem operam daturum, ut is cum te ad me de ſe diligentiſſime ſcripſiſſe, tum etiam ſuas literas mihi gratiſſimas fuiſſe, facile intelligat. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Antonio Suffrinio S. D.

Propter paucitatem eorum Civium, qui magiſtri filiorum ſuorum domi ſumptus ferre poſſint, reſpondet, ſe ei locum ullum promittere non poſſe; ſi tamen qua facultas detur, ſe operam daturum, pollicetur, ut intelligat, ſe & Fabritium valde amare, & ipſi omnia cupere.

23. FAbritius magiſter tuus, meus vetus, & multis de cauſſis amicus, te mihi ea de nota commendavit, qua qui facere ſolet, cum quem diligentiſſime commendat; quem in ſuis literis etiam filium appellat. Ego, Suffrini, nihil habeo, quod Fabritii cauſſa nolim, tuorum etiam optimorum ſtudiorum non maxime cupiam; ſed tui ſimilium, hoc eſt, probatiſſimorum adoleſcentum tanta copia eſt, qui, quod tu poſtulas, quærunt, contra vero tanta paucitas eorum Civium, qui magiſtri filiorum ſuorum domi ſumptus ferre poſſint, ne dicam, qui noſtris ſtudiis delectentur, ut nullam ſpem, ne dum locum ullum, tibi promittere poſſim. Quod poſſum, non negabo, me omnem operam eſſe daturum, ut, ſi qua facultas detur, intelligas, me & Fabritium valde amare, & tibi omnia cupere; verum, ſi præſens ipſe adeſſes, prorſus res melius curari poſſet. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Fabritio Reſſetio S. D.

Nihil eſſe, quod ſibi de Suffrinio ullas gratias agat; Deo habendam, & referendam gratiam eſſe, a quo beneficium acceptum eſt.

24. NIhil eſt, Fabriti, quod mihi de Suffrinio ullas gratias agas. Equidem illi cum ejus optimis moribus, tum etiam tua cauſſa, qui illum mihi diligentiſſime commendaſti, in eo collocando omnem operam præſtiti. Sed id mihi non arrogo, quod Dei Opt. Max. fuit, qui illam ei conditionem propriam obtulit, quam

quam antea nulli, cum multi eandem peterent, per me obtulit. Illi igitur, a quo beneficium acceptum eſt, & habenda, & referenda eſt gratia. Id autem commode fiet, ſi Suffrinius in officio diligenter permanſerit, atque eam operam in docendis Siſenii noſtri filiolis, quam ipſe debet, & pater expectat, & tu mihi, ego vero illi pollicitus ſum, adhibebit. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Hippolyto Putio S. D.

Anus mulierculæ filiam unicam grandem, atque locabilem ſatis honeſta, & liberali forma commendat, ut ad Renatam Principem ducat, brevi cauſſam narret, ut ipſa cætera perſequatur.

25. ANus muliercula, quæ tibi has literas reddidit, eſt mihi a probatiſſimis amicis non ſolum valde commendata, ſed etiam integre comprobata. Hæc unicam filiam habet grandem, atque locabilem, ac ; niſi quod pauper eſt, ſatis honeſta, atque liberali forma. Quare eam primo quoque tempore viro collocare ſtudet ; ſed cum, præter craſſiorem veſtem, quæ neque ſatis integra eſt, quicquam habeat, quod dotis nomine ad virum afferat, Lugo Ferrariam ad Herculem Principem ſolo Deo, atque ſua integritate freta acceſſit, a quo non inanis diſceſſit, cum item idem cum Aloyſio ejus filio faceret, tantundem ab eo abſtulit; una Renata Princeps tua nobis reliqua eſt [quando Princeps meus tam longe abeſt gentium] quæ Viro, ac filio accedat : ſed multo etiam, ut ſolet, largius accedat. Te igitur rogo, ut tu hoc officium apud eam nobis præſtes ; etſi bonitati tuæ fortaſſe injuriam facio, qui, quod libentiſſimo animo in Dei gratiam quotidie factitas, id ego te rogem. Utcunque tamen te rogo, ut mulierculam hanc ad eam adducas, brevi cauſſam narres ; cætera ipſa perſequetur. Unum tibi recipio, quicquid inde Deo dabitur, id ei omnium fore gratiſſimum. Vale.

BAR-

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Joanni Bononio S. D.

Significat desiderium suum amicos visendi, eosque, qui sericum filum illuc attulerant, cum nimis exile lucrum videretur, meliorem conditionem Bononiam secutos esse.

26. UTinam aliquando vos visere possim. Nihil enim umquam tam libenter feci, quam si unum diem vobiscum sim, atque modo cum Bigolinio, modo cum Facio, modo cum hoc, modo cum alio sermonem conjungam; de singulis quæram; omnes complectar; interea vero per literas, idque si minus crebro, saltem interdum, hoc modo colloquamur. Equidem, quoties facultas dabitur, non committam, ut meas desideretis. Tuos, qui sericum filum huc attulerunt, libenter vidi, continuoque ad nos acciri jussi, qui, quid in ea merce majoris lucri fieri posset, nos doceret; quod cum nimis exile videretur, meliorem conditionem Bononiam secuti sunt. Quid inde factum sit, de illis quære. Ego, dum hic erant, has breviores literas tibi exaravi, easque tibi reddendas tradidi. Vale. Bertonios, Cautios, Rusnios, Avetarios cum superioribus meo nomine plurimum salvere jubebis.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Hieronymo Faletio S. D.

Causas affert, cur ei potissimum Orationem in Archiam Poetam a se conscriptam dicandam censuerit.

27. CUm adolescens eram, Faleti, atque in scribendo stylum meum exercebam, solebam id varie facere. Aut enim ex Hetruscis scriptis, quæ mihi magis probarentur, in Latinum transferebam; aut eorum persona susceptа, quibus Cicero scriberet, quasi ei, quæ mihi viderentur, respondebam, aut ad ejus ipsius imitationem mihi ipse aliquid effingebam; aut etiam in causis eum defendens, quem ipse accusaret, aut contra ac-

cu-

cuſans, quem ille defenderet, dictionem meam occupare ſolebam, ut in Archiam feci. Nam, ut ejus Orationem, quam pro illo habuit, primum legi, cœpi mecum cogitare, quid Gracchus accuſator in eum dicere, aut contra tot præclaros Viros, qui illi præſto adeſſent, excogitare poſſet, quamobrem eum ex Civitate ejiceret, neque prius ab inquirendo deſtiti, quam accuſationem ſatis juſtam mihi confeci, quæ utinam ea eſſet, quæ firmioris accuſationis aliquid omnino haberet. Nam quoties eam cum Ciceronis defenſione confero; ſæpe enim utramque perlego; Cicero mihi videtur vere, ac facile defendere, me autem nihil aliud agere, quam fruſtra conari, ut aliquid mihi confingam. Hæc tamen, cum tibi, Gyraldio, Azaiolio, Sarachioque noſtro minime diſpliceat, mihi quoque non poteſt non placere. Quare ego cum cæteris edendam ſtatui. Ac quoniam prope ſingulæ ſingulis inſcriptæ ſunt, hanc ut tibi potius, quam cuiquam amicorum darem, Orationis ratio poſtulare videbatur. Poeta enim erat Archias egregius, neque tu in ea facultate in ultimo loco es reponendus. Ille Græcus ob ſuas ſingulares virtutes Civis Romanus factus eſt; tu item Ligur Ferrarienſi Civitate ob tuos optimos mores donatus es: continuo ille, ut Romam venit, Mario, & Catulo Coſs. mire placuit; tu, ut Ferrariam acceſſiſti, ita HERCULI, ac FRANCISCO Fratribus Principibus Ateſtiis probatus es, ut hic te primum a ſecretis deligeret; ille vero ab hoc in eundem locum te paulo poſt depoſceret: Archias nobilioribus familiis Romanis familiariter utebatur; tu Ferrarienſes omnes ita familiaritate devinctas habes, ut domi multo rarius ſis, quam ad amicos: ille denique verſibus Hiſtoriam Romanam perſecutus eſt; tu in ea jam multos libros de Cæſaris rebus præclare geſtis, præter eos octo, quibus Germanicum bellum Italico ſermone vere, ac ſplendide proſequutus es, qui nunc ſub prælis ſunt, habes abſolutos; in eo vero Archia ipſe es felicior, quia nullus Gracchus eſt, certe nullus Riccius umquam erit, qui tibi Civitatem eripere ſtudeat. Quibus omnibus, ut dicebam, rationibus ita tua hæc cauſſa eſſe videbatur, ut ſi hæc a me per imprudentiam alii inſcripta eſſet, tu eam jure tuo æquiſſimo a me in judicio repetere poſſes; id quod, ne eveniret, prudenter cavi. Nullum enim judicium ex-

pectans, eam tibi dicavi, tuamque totam esse volui. In qua si quid etiam erit, quod ab hac ratione sejunctum, nostræque adjunctum sit, id quoque parti tuæ adjunxeris, ut cum totam tuam habeas accusationem nostram, tum ut alii hanc quoque mei summi erga te amoris significationem testatam habeant. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Hieronymo Faletio S. D.

Orat, ut amicos Nicolai Sardii Mirandulam petentes a Pontificiis militibus captos, & in custodiis habitos, liberandos curet, & ad se remittat.

28. NIcolaus Sardius meus summus est amicus; amicitiæ autem accedit, quod is est, qui Herculis Principis promo, ac condo imperat, quique eius familiæ, ex cujus numero me unum esse scis, in iis rebus, quæ ad victum pertinent, pro dimenso suo dari jubet. Huic veteres amici sunt Grapella, Dominicus Blanchius, Gandinius. Hi cum Mirandulam peterent, a Pontificiis militibus capti sunt, atque adhuc in custodiis habentur. Quare hic me orat, atque rogat, ut tecum, apud quem me plurimum valere confidit, pro eorum dimissione ita agam, ut pro tot fratribus meis facerem. Nosti, Faleti, meam naturam, qui nihil habeam, quod pro amicis nolim. Te rogo, ut in hanc causam ita incumbas, ut a Montio, a quo nihil est, quod non facillime obtineas, nobis eos impetratos remittas. Non quæro, quid illic negotii haberent, immo vero etiamsi in militiam irent, non tam turpem causam habere viderentur, quamobrem a vestris ita caperentur, præsertim cum a vobis ad hostes non deficiant, sed ut, qui sui juris sunt, qui quo magis eis ire libeat, omnium gentium legibus permissum habeant. Sed res aliquid habeat difficultatis, certe turpitudinis nihil habet. In eo commendationis nostræ jus extabit, quod rem minime facilem a te impetraverimus. Quod si nobis, ut spero, concesseris, cum Sardio tres fortissimos Viros tibi in perpetuum devinxeris, mihi quidem gratissimum feceris. Vale.

BAR-

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Hieronymo Faletio S. D.

In manifesta ardentissimi belli pericula missum hortatur, ut sibi caveat, & Paulæ uxori, & Laviniæ filiolæ consulat, ejusque victoriam, aut fugam, cum pacem non possit, exoptat.

29. CRedebam equidem, atque adeo, cum tu aderas, rem sub umbra gestum iri, ac magis bellum simulari, quam gladium ullum districtum iri; nunc vero jam maximas strages multis in locis fieri nuntiatur, ut tibi timere cogar, nolimque te tam familiarem esse Principi nostro, malimque te a tuis Civibus consuli, quam eum tibi hoc modo consulere, quem in manifesta ardentissimi belli pericula misit. Neque enim id me recreat, quod in ista militia Legatum magis, quam militem, agas. Id enim hostes nihil discernunt; unum, atque idem omnibus periculum objicitur. Neque sperare possum, te celerrimo equo salutem quæsiturum, quem sciam alias copias in exercitu strenue ductasse. Aliud tamen tempus aliam pugnandi rationem postulat. Non enim tibi nunc solum, ut olim, sed Paulæ uxori, atque Laviniæ filiolæ, duabus tuis suavissimis animabus, consulendum esse vides. Satis quidem fortis eris, si hostem fugiendo viceris. Crede mihi, si, qui in prælio cadunt, fugam arripere possent, etiam perforatis tergis, id libenter facerent. Quare illi prudentiores habentur, qui tergum etiam integrum secum auferunt, quam qui pectus perforatum ostentant. Nostræ illæ vespertinæ pro foribus nostris ambulatiunculæ ex tuo discessu graviter claudicant. Tertio enim pede carent. Risus vero, & joci prorsus oblanguere. Camillus quidem adest, Vir optimus, neque etiam insuavis, sed duorum sermo majoris temporis partem mutam præterit, quæ una res efficit, ut aut vestram victoriam, aut fugam, quando pacem non possum, exoptem, ut ad nos, quoquo id modo facias, primo quoque tempore revertas. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Hieronymo Faletio S. D.

Salvatorem Aliotium, qui ex amoris impotentia ex Urbe excesserat, sub Montio in Mirandulensi bello merentem commendat, rogatque, ut ei suo nomine omnia polliceatur.

30. SAlvator Aliotius adolescens, qui ex amoris impotentia superioribus diebus ex Urbe excessit, quam mihi ad omnem rem commodus esset, quem domi meæ quotidie videbas, plane scis. Hic sub tuo Montio in isto Mirandulensi bello meret. Eum ita tibi commendo, ut facere soleo, cum familiariter, atque sine fuco aliquem commendo. Omnes meos ut eo loco habeas, ut tuos habeo, valde opto. In hunc vero quicquid studii, quicquid officii contuleris, id in me collatum esse existimes velim. Eum si me amas, in exercitu conquiri jubebis, atque meo nomine omnia ei pollicebere. Res enim jam in eum locum adducta est, ut parum absit, quin composita sit, cujus opera, cum domum redieritis, tam uti poteris, quam mea, vel etiam quam ego. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Hieronymo Faletio S. D.

Suspicionem suam de servo ad se misso patefacit, certioremque facit, se ad eum tantum mittere, quantum scribit.

31. QUo mane tuæ mihi redditæ sunt literæ, eo servus tuus ad te redierat, ut alterum, qui quid de eo factum esset, intelligeret, frustra misisse te scias. Rus ille sane ad tuos ierat, redieratque sæpius, quod itionis atque reditionis ex eo intelliges, ex me id tantum, minime mihi placuisse, hominem ignotum complures noctes in domo pretiosa supellectili referta habitasse. Vix enim tuti sumus, ubi centum oculi, centumque claves rem custodiunt. Sed tui fortasse melius vident. De nummis aureis, quos scribis eum mihi redditurum, de eo quæsi-

vi,

vi, cum etiam Camillus noſter adeſſet : reſpondit, ſe mirari, qui de iis ne verbum quidem a te haberet. Quibus verbis te, ut fit, ſcriptis, atque adeo datis literis, dare nummos oblitum eſſe putavimus; nunc vero cum affirmas, te illos ei dediſſe; non poſſumus non in ſuſpicionem aliquam venire, illum nummos eos in ſuum aliquem uſum convertiſſe, aut etiam cum iis fugam arripuiſſe. Sed ille jam ad te redierit, niſi alio iter ſuum converterit. Papirii, quantum ſcribis, tantum tibi mitto. Tu interea, quod facis, omnem operam dabis, ut Principi tuo ſatisfacias. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Hieronymo Faletio S. D.

Certiorem facit de Bevilaquii morte, ejuſque virtutem, ac bonitatem extollit. Hortatur, ut caveat, ne per ardentiſſimos æſtus quid malæ valetudinis contrahat.

32. BIvilaquius tuus, immo vero omnium tui ſimilium, diem ſuum obiit tanto cum totius Civitatis luctu, atque mœrore, quanto dignus erat, qui non ſolum Patriæ optatiſſimus, ſed omnibus, qui eum vel de facie noviſſent, gratiſſimus fuit. Noſti Viri ſanctiſſimi mores, quamque cum ſumma gravitate ſumma humanitas in eo conjuncta eſſet, atque integerrime totius ætatis ſuæ curſum peregerit, vere homo antiqua virtute, atque bonitate; quare etiam merito ſui omnibus mirum deſiderium. Equidem pro ea familiaritate, qua cum eo etiam non infima conjunctus eram, ita ejus obitum doleo, ut te, qui unus eras ex ejus intimis, vix gravius dolere concedam. Sed quid faciendum? quæ vitari non poſſunt, æquo, ut venerint, animo ſunt perferenda. Ille quidem neque ſuo maturo, certe vero amicorum alieniſſimo tempore deceſſit, qui tamen ejus interitum quodam modo levius, ne ſuum commodum in eo lugere videantur, perferre debent. Tu modo vide, ne per iſtos ardentiſſimos æſtus quid malæ valetudinis iſtis incommodis contrahas, ac ad nos ſi non brevi, ſaltem incolumis redeas. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Hieronymo Faletio S. D.

Nullum damnum in eo eum feciſſe ſignificat, quod volumen nullum epiſtolarum ſuarum acceperit, cum ita eſſet mendis oppletum, ut inter legendum ita ſtomachatus eſſet, ut librum abjiceret.

35. DE Camillo gratias tibi ago. Quod vero cum eo queſtus es, atque etiam nunc mecum per literas idem agis, te ex iis epiſtolis, quas abhinc biennium edidi, tuum volumen nullum accepiſſe, ac quaſi amicitiam noſtram ſubaccuſare videris, reſpondeo, illud opuſculum librarii, non autem meo ſumptu, Venetiis publice deſcriptum fuiſſe. Is ſane aliquot mihi volumina, eaque pauciora dono dedit, quæ amicis dono miſi; neque non jurarem tibi iſthinc cum Manutio, Rhamnuſio, Lauſedaniis, cæteriſque amicis tuum dari me juſſiſſe. Utrum autem factum ſit, poſt biennium certior fio. Sed nullum in eo damnum feciſti. Ita enim mendis oppletum erat, ut inter legendum ita ſtomachatus eſſes, ut librum abjiceres. Prope ſecundo ſub prælis ſunt cum cæteris decem libris, in quibus tu quoque partem tuam aliquam habebis, majorem etiam, ſi quas ipſe habes, ad me remiſeris. Sed tu de tuo ad nos adventu nihil poſtea ſcripſiſti, multo vero minus de re parietina. Vale, ac Paulæ uxori ſalutem.

BAR-

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Hieronymo Faletio S. D.

Ejus opuſculum de Immortalitate Animæ ſibi dono miſſum tanta aviditate, & delectatione a ſe lectum propter ſtyli pulcritudinem ſignificat, ut ejus finis ſe prius oppreſſerit, quam eum appropinquare animadverteret: in Oratione vero de Chriſti Natali die ita ſuis luminibus ejus noctis lucem eum expreſſiſſe, ut nihil melius: rogat, ut ad ſe perſcribat, quid ſentiat de quibuſdam in Alciatum a ſe conſcriptis.

36. TUum opuſculum de Immortalitate Animæ Italice ex Græco factum, cum tua Oratione de Natalis Chriſti laude, cum cæteris, quibus illud dono miſiſti, mihi quoque eſt redditum, quod ut primum aperui, ea aviditate legendo percurri, qua facere ſolent, qui aliquid omni voluptate plenum legunt. Ita enim cum ejus divina doctrina, tum ſumma dictionis tuæ delectatione tractus ſum, ut ejus finis me prius oppreſſerit, quam eum appropinquare animadverterem. Sane, Faleti, opus divinum eſt ipſum ſuo argumento, ſed tua translatione non parum illi ornamenti, atque ſplendoris acceſſit; in quo uno ſcribendi ſtudio te, mea quidem ſententia, longe ſuperaſti. Contuli enim Hiſtoriam tuam, quam de Cæſaris in Germania rebus geſtis luculenter ſcripſiſti. Ea, ut huic cedat mea ſententia, neceſſe eſt. Pura hæc eſt ſcriptio, ſimplex, caſta, nullis calamiſtris inuſta, nihil redundans, cum nihil ei tamen deſit, habens, ſua quæque præterea pars ſuo juſto ambitu terminata, iis vero dicendi modis, quas locutiones poſſum appellare, quos nullos in Hiſtoria agnoſco, in qua contra omnia liberiora, atque laxiora incedere videntur. Sed quid ego hanc ſtyli diverſam rationem tantopere miror, quaſi non videam aliud ei, qui a ſe aut Hiſtoriam, aut quidvis aliud ſcribat, aliud ad alius præſcriptionem in trasferendo, ſervandum eſſe? Id magis mirum eſt, quod tam egregie ipſe utrumque præſtiteris, cujus ſtylus mihi mollem ceram imitari videtur, quæ, quoquo ducatur, eo facile tractantis manum ſequatur; ita ille in quaque dicendi facultate verſetur, ei perquam

apte

apte & natus, & factus esse videatur. Oratio vero de Christi Natali die ita suis luminibus ejus noctis lucem expressit, ut nihil melius. Pro quo tuo munere tibi gratias ago singulares, nisi tu in eo mihi gratiam retulisse mavis, cui ante quædam in Alciatum pro nostris Latinis a me disputata misi, quæ cum legeris, mihi pergratum feceris, si ad me perscripseris, quid de tota illa defensione senseris. Vale.

www.libtool.com.cn

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Hieronymo Faletio S. D.

Gratulatur & de filio ipsi nato, & de ejus matre salva.

37. ET de filio tibi nato, & de ejus matre salva simul una tibi gratulor. Nam si id separatim agam, utrum prius faciam, haud satis scio, ut qui te filii cupidissimum, uxoris etiam tuæ multo cupidiorem æque pernorim; id vero amplius, ut is te referat parentem, uxor vero, ut nisi tecum una intereat, opto. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Hieronymo Faletio S. D.

Quod Deus magis probarit, id sibi probatum iri significat.

38. VEnisti, retulisti, abisti; utinam medium extremis æque respondeat. Mantua enim contra affertur. Tuum nuntium ut verum optem, res nostra, Mantuanum, adversariorum res prosperæ ut metuam, me cogunt; quod tamen Deus magis probarit, id quoque mihi probabitur. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Ludovico Cario S. D.

Rogat, ut cauſſam ejus judicio decernendam primo quoque tempore adjudicet.

39. MUltos coram, per literas etiam nonnullos, tibi commendem, neceſſe eſt; quando & ipſe multis jus perpetuo dicis, & omnes ſciunt, te a me plurimi fieri, hoc eſt, me quoque abs te non leviter amari; tametſi, cum quem tibi commendo, magis id facio, ut ei morem geram, quam ut quicquam mea commendatione illi opus ſit, qui a te ſemper ea petam, quæ tu cum jure ipſo, tum tua integritate nulli negare potes. Guidus Balbus meus Civis eſt, ſed Civitati accedit etiam vetus amicitia, atque diuturna conſuetudo. Hujus filius ſane bonus adoleſcens, qui artem bombycinam exercet, atque Æmaldii filia non peſſima puella, mutuo amore capti, ſibi utrimque deſpondere, dextraque, atque oſculo, ut fit, fidem præſentis conjugii firmarunt. Mater puellæ, quæ ex ſervili genere eſt, & prope omni mente capta, ut factum reſcivit, turbas inſolentius in Nuptiis commiſcere cœpit. Sed ne omnia, quæ plurima ſunt, huc referam, teque diutius teneam, res poſtremo ad ſuum Judicem agitur. Is quoque tandem in Æde majori, cum adeſſent multi nobiliſſimi Viri, Matronæ etiam, ac primariæ fœminæ non paucæ, ut is poſtremo puellam interrogavit, utrum ita factum eſſet? atque ita reſpondiſſet, ut omnes audirent, ita factum eſſe omnino, ſuumque eum virum eſſe, atque eum velle; tum is, Sponſum annulum conjugii inſigne in digitum Sponſæ indere, eamque ſecum domum ducere, jubet. Itaque eodem die & Sponſalia fiunt, & Nuptiæ. De dote cum tutoribus interea agebatur, cum poſt duos menſes plus minus puella in morbum incidit, ex quo non convaluit. Teſtatur tamen, virumque hæredem relinquit. Dos nunc petitur. Quoniam vero ad Principis rationem neſcio quid res hæc pertinere videtur, tuo Judicio ea decernenda eſt. Non te rogo, Cati, ut cauſſam nobis adjudices, quod ſcio, te jure ipſo omnino eſſe facturum, ſed ut eam pri-

primo quoque tempore, quod tuo commodo fiat, adjudices, rogo, atque oro, ne, ſi quemadmodum in cæteris Judiciis fit, cauſſa ea longius ab adverſariis trahatur, prius miſer ſenex conficiatur, quam ejus Judicium videat; ac multo etiam plus in dote ea recuperanda, quam dos ipſa eſt, inſumat. Quod ſi meæ erga te obſervantiæ dabis, eam ita auxeris, ut nullo officio magis augeri poſſet, Balbumque noſtrum Virum optimum, atque ejus filium parentis ſui ſimillimum in perpetuum tibi devinxeris. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Hippolyto Putio S. D.

Gratias agit pro ſtudio in Ravennatum cauſſa apud Principem præſtito, Deumque orat, ut ampliſſimam fortunam, quæ eum in ſinu fovet, ipſi, ejuſque liberis perpetuo fortunet.

40. DEbebam tibi antea plurimum, qui, quoties mihi tua opera uſus acciderat, toties eam mihi benigniſſime præſtiteras; nunc vero cum meorum Ravennatum cauſſam apud Principem tuum tam ſtudioſe egeris, ut nihil ſtudioſius agi poſſet, ita me tibi obſtrinxiſti, ut nihil habeam, quod tua cauſſa libenter & nolim, & non debeam. Sed quando in aliquo tibi gratus eſſe cupio, iſtam ampliſſimam fortunam, quæ te in ſinu ſuo fovet, Dii omnes tibi, tuiſque liberis perpetuo fortunent, quando, utrum humanior, an fortunatior ſis, incertum eſt, neque quiſquam ſit, qui te ſua ſponte adeat, atque tuam gratiam requirat, quem non humaniſſime accipias; qui vero a tuorum quopiam tibi commendatur, eum etiam humanius tractes; ut meos feciſti, quos etiam perliberali hoſpitio accepiſti. Sed quoniam res in Cardinalis reditum dilata eſt, te rogo, ut cum redierit, atque iſthac iter habuerit, quod omnino eſt habiturus, ita rem urgeas, ut reditum in Patriam tandem illis per Principem tuum impetres. Quod ſi efficis, non tam id, mihi crede, ipſi Cardinali, quam tibi, ipſi debebunt. Id enim ipſe alienis precibus victus cedet, tu vero magis tua virtute volens id nobis dabis. Vale.

BAR-

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Rainaldo Catio S. D.

Gratulatur, quod in parentis ſui locum in jure dicundo a Principe ſuffectus ſit, optatque, ut Deus eam dignitatem ipſi fortunet.

41. ETſi dupliciter habeo, quamobrem mihi tua iſta dignitatis acceſſione valde gaudeam, & quoniam in cauſſis nihil ego dubitem, ne aut amicitia, aut locupletiſſimis muneribus mihi Judex corrumpatur, & quoniam ipſe quoque in eam ſpem cum cæteris parentibus, qui Principi noſtro optimam operam navant, facile adducor, ut is meo quoque filiolo, ſi quid mihi humanitus accidat, non ſit defuturus; tibi tamen magis gratulor, qui in parentis tui locum in jure dicundo ſuffectus ſis, atque ita gratulor, ut ſi amiciſſimo, atque de re maxime optata gratularer. Quæ quidem Principis noſtri animi erga te bene grati ſignificatio tam aperta magnam tibi in parentis obitu conſolationem afferre poteſt, in qua cum gratiam, quam parenti uſque ab adoleſcentia de ſe optime merito cumulate referre non potuit, eam tibi præſtare voluerit, tum quod tali judicio, qui, multis doctiſſimis, ac probatiſſimis Viris præteritis, factus ſis, ad tuam gloriam non parum accedere videtur; certe familiæ tuæ magna utilitas adjungitur. Sed cum gratulor, tum etiam opto, ut iſtam dignitatem ita Dii tibi fortunent, ut quotidie habeam, qui hoc officio tecum perfungar. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Joanni Baptiſtæ Cantelio S. D.

Gratias agit, quod in ſingulos dies ſibi amantiſſimis, & honorificentiſſimis verbis amicos conciliet, eique gratulatur, quod apud principes Viros honeſtiſſima conditione fruatur.

42. QUotidie, vel potius in dies ſingulos tibi magis debere cogor. Nullum enim diem intermittis, quin aliquem amicum tuis de me & amantiſſimis,

mis, & honorificentiſſimis verbis mihi concilies, ut etiam proxime, qui mihi cum tuis literis Carghium miſiſti, adoleſcentem quidem cum ingenuo illo vultu, tum verbis, atque moribus cum eo optime conſentientibus, miro vero ingenio, atque in noſtris ſtudiis apprime inſtitutum. Hunc ego [ut tuas literas percurri] ſum paterne complexus. Sed vix colloqui cepimus. Nam cum Bononiam properaret, inde Romam, tantum id temporis una fuimus, quo res in navem conferebantur; multa tamen congeſſimus, atque, quo anguſtius tempus dabatur, eo minus oratio noſtra interquievit; etſi in illud tempus ejus adventus incidit, cum ms ad eum, qui villæ meæ ædificationi præeſt, ſcribere inceperam, puerque cum literis eo mihi mittendus eſſet, quod meum negotium hujus ſuaviſſimis ſermonibus facile poſthabui. Diſcedenti quatuor Orationes meas, quas in navi per otium legeret, dedi, quæ quodam modo ſermones noſtros longiores efficere viderentur, cum me in iis etiam dum loquentem haberet; qui contra Bononia mihi ſe aliquot Epigrammata miſſurum eſt pollicitus. Quare tibi plurimum debeo, ſed magis etiam debere cupio, hoc eſt, te rogo, ut hujus generis amicos ne mihi quotidie comparare intermittas. Quod vero aliquando meliori fortuna utaris, ac honeſtiſſima conditione ſis apud principes Viros, tibi valde gratulor, eaque ut perpetua fruaris, cupio. Quibus mandaſti ut tuo nomine ſalutem impertirer, ea omnibus impertita eſt, præter Carolum tuum, qui Avienæ eſſe dicitur; noſti enim quam magnus peregrinator ſit. Cæteri, tibi eandem ut adſcriberem, rogarunt. Camillus, quo die tuæ mihi redditæ ſunt, ex febri tum primum domo exire cœperat, is quoque firmiorem ſalutem tibi orat, quam qua is utitur. Vale.

BAR-

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Joanni Baptistæ Cantelio S. D.

Consilium petenti, utrum conditionem honestissimam accipiat addicendi se Principi a secretis, respondet, rationesque omnes affert, quibus ab hujusmodi consilio capiendo deterreatur. Obiter Venetiarum Urbem laudat, eamque Urbium omnium Reginam appellat.

43. CArolus Anguissolius, hospes, & vetus amicus tuus, meus quoque perfamiliaris, tuas literas, quemadmodum ipse jusseras, mihi perlegit, quibus me partim lætitia affecit, partim etiam contristavit. Nam, quod opera tua a Principe illo ab epistolis quæratur, mihi magnam voluptatem attulit; non quod ego id te optime præstare posse dubitarem, cujus fides, atque prudentia mihi jampridem perspecta esset, sed quod Principes quoque idem de te sibi persuasum haberent, tibique sua secreta committere non dubitarent; id vero dolori fuit, quod, in quo meum consilium in deliberando requiris, quid tibi constituendum sit, an conditionem illam honestissimam accipias, an alii eam commodius relinquas, tam mihi, quam etiam tibi, in dubio ponitur; tamen, ut in ista deliberatione magis prudentiam, quam amorem erga te meum desideres, quid ego de ea sentiam, paucis tibi perscribam. Continuo Domini ratio, ac status ex ea parte, quod Patria pulsus, Cæsari infensus, apud alienas nationes, atque adeo longe gentium vivere cogatur, minime mihi probatur. Solet enim interdum Dominorum adversa fortuna cum familiaribus communicari, præsertim cum tui similibus, qui, si casu aliquo in manus hostium incidant, ut Dominorum consilia patefaciant, omni cruciatu acerbius torquentur. Quod vero ad mercedem, quam scribis, magis in spe, quam in præsenti pecunia, positam esse; primum ejus ratio quam facile homines fallat, nihil attinet disputare. Aut enim facultas Dominis non datur, ut promissa præstent, aut si datur, habent alios aut propinquos, aut vetustioris servitutis, in quos, quam in te, prius ut conferant, equius est; in qua mora periculum injicitur, ne Dominus decedat, atque

que ita cum ſpe tuæ ſervitutis fructus intereat. Sed, ut tibi rectius ominer, vivat Princeps tuus, promiſſa tibi accidant; profecto dubitari poteſt, quin ipſa longius producantur, atque una cum tua ſenectute tibi eveniant. Numerant enim iſti magis ſervitutis annos, quam officii dignitatem, atque fidelitatem ponderent; tamen vides, tibi perpetuum collo jugum impoſitum, ex quo te non prius, quam ex vita, diſſolvas. Verum fac, ut iſta tuam etiam expectationem ſua celeritate ſuperent. Quid quod bona iſta ex eo genere ſunt bonorum, quę ſive ex penſione aliqua, ſive ex certo, ac proprio aliquo Sacerdotio conſtant, quæque tu alienis magis, quam tuis, atque adeo tibi, quaſi Chriſti procuratori, atque diſpenſatori, nihil eorum præter victum, & veſtitum ut Sacroſancta eorum jubent Inſtituta, ſit prorſus perventurum; quod quam facile te præſtare poſſe ſperes, ipſe tibi conſtitues. Certe magnum periculum eſt, ne aliorum exemplo tractus, qui iis bonis ad omnia ſua commoda, atque etiam voluptates [ut modeſtiſſime dicam] abutuntur, in iis ipſe quoque te minus æque oblecteris. Si vero animarum, ut dicunt, Cura, & ſtudium ad ſalutem acceſſerit, tanto gravius onus ad tuæ perditionem tibi imponitur. Princeps deinde tuus te in Galliam ducit. Sit ea provincia omnibus rebus, atque etiam Cœlo tibi opportuniſſima; mores omnino a noſtris ſunt alieniſſimi, præſertim in victu; hominum autem natio etiam apud alienos admodum inſolens, atque elata fertur, ut eam domi ſuæ alienis intolerabilem exiſtimem; ipſe vero ſumma humanitate, atque optimis moribus præditus, ut aliquot dies eos pertuleris, diutius ferre non poteris, manum dabis, atque ita quaſi in ipſo initio finem ſcripturæ tuæ impones. Quod eo tibi etiam moleſtius accidet, quod & Principem optimum deſerueris, & inconſtantiæ te ſubaccuſare videberis, ut etiam in diſceſſu ſumma futura tibi ſit difficultas. Hinc enim te Domini cura graviter anget, inde honoris tui ſolicitudo etiam acerbius premet. Si vero his conſulueris, vitæ tuæ rationibus adverſaberis. At mihi cum meis Italis agendum erit, nullum commercium cum Gallis habebo. At [ne quid de tuis Italis dicam amplius, quam omnes Principis familiares perfidos, invidos, obtrectatores, atque cæterorum vitiorum affines eſſe, de quibus nihil boni ſperandum, contra vero omnes inſidiæ ſunt

me-

metuendæ, ac ad Gallos redeam] in Regno cum Rege obeundo Principem tuum tibi ſequendum erit, in qua Regni perpetua luſtratione multa die, nocte etiam multo plura ſunt tibi moleſte perferenda, atque eo moleſtius, quod ingenua natura præditus, queque magis in liberalibus ſtudiis contineatur, quam quę in multiplici difficultate verſetur. Morbi inde aut ſtatim contrahuntur, aut in tempus gignuntur, neque quiſquam eſt, qui tuæ ſalutis curam ullam gerat; ad hoſpitium publicum deferere, atque ita pejus etiam animo, quam corpore, affectus decedes. Quaſi vero in Italia, quo omnes barbari confugiunt, nullus futurus ſit locus, in quo cum honeſtius, tum etiam commodius in tuis ſtudiis conquieſcas. Jam multos annos apud clariſſimos Juſtinianios tuos tam familiariter agis, ut poſt una ejus Familiæ ſuffragia familiarius agere non poſſes. At in qua, Dii boni, Urbe! quæ omnium Regina eſt Urbium. Unæ Venetiæ [mihi crede] ſunt in Orbe terrarum omnium bonorum refertæ; cæteræ non tam multis commodis, quam etiam incommodis, ſunt opportunæ. Sed ut planius dicam, quod ſentio, meum hoc eſt conſilium, ut cum tuis potius agas, quam novos tibi ſemper amicos proponas comparandos. Si, ut tua ſtudia abſolveris, medendi artem exercere volueris, ubi id cum majori tua commoditate facias, quam Venetiis, non habes, quæ Urbs, ut cæterarum rerum, atque artium eſt quaſi Seminarium, ita etiam medicos quaque verſus poſtea mittit; qui vero in iis remanent, noſti, quam facile diteſcant. Uxorem, ſi libebit, ex honeſto aliquo genere duxeris; inde liberos ſumpſeris, in quibus ſummam voluptatem ſenties; in qua una ſobole propaganda ſimul nomen tuum in poſteris longius produces, tibique, hoc eſt, in libertate, ſine qua nihil dulce, nihil optabile, vives. Urbem coles, cæteri ut peregrinentur, ac Medeam, aut Ulyſſem agant, facile concedes. Ambiant alii Sacerdotia, Galeris etiam rubeis coornentur, an coonerentur magis? tu tuo ſudore partis rebus teque, tuamque familiam coales, atque a te uno pendens, in te uno tranquille conquieſces. Hæc habui, Canteli, quæ in iſto tuo conſilio capiendo tibi ſcriberem, quæ, ſi minus prudenter ſcripta videbuntur, certe fidelius a quovis alio ſcribi non potuiſſent. Equidem in utroque cupio tibi ſatisfeciſſe; ſin autem id in altero minime ſum aſſecutus, procul du-

bio, in altero mihi ſatisfeciſſe, valde lætor. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Franciſco Ambroſio S. D.

Deſcripto ædium ſuarum ſitu, expoſitoque ſuo deſiderio hortum habendi, quo caret, rogat, ut anum ſibi proximam adducat, ut præſentis pecuniæ acceſſione ædium commutationem ſecum faciat, & ſi, re compoſita, domo excedere nolit, quoquo modo efficiat, ut ejus ædibus potiatur.

44. QUibus ego in ædibus habitem, ac qua in Urbis regione poſitis, probe noſti. Regia illa quidem via eſt ad Angelorum, cum ædium ampliſſimarum, tum etiam Civium nobiliſſimorum Principum ſumma frequentia, in qua nullus artis ullius ſtrepitus auditur, quæ lata, recta, ſtrata, longa, quantum oculi eſt proſpectus, ad cujus caput ad ſiniſtram noſtræ ſe primæ offerunt, inter quas & Principis hortos via una ad Roſæ intercedit, & niſi ii altiores habeant parietes, quam mearum feneſtrarum eſt aſpectus, ego meis non totam hortorum voluptatem deſiderarem, quo uno deſiderio ita afficior, ut eas cum illis, qui hanc horti commoditatem habeant, commutare vehementer cupiam. Nam ſi quid ego hortuli habeam, quo me a ſtudiis meis defeſſum recipiam, atque per æſtatem aut ſub fornicatæ vitis, aut aliarum arborum amœniſſima umbra me recreem, atque reficiam, duplo longius vitam hanc proferam; qua una commoditate ego in meis ædibus prorſus careo, cætera mihi laxe omnia. Quoniam vero eæ mihi perplacent, quæ cum tuis conjunctæ ſunt, ejus anus ſcilicet proximæ vicinæ tuæ, quæ Gallo homini & ipſi maximo natu proxime nupſit, ſi tu, non ut peſſimus vicinus, has mihi Nuptias conciliares, ut iſti, quibus Orco, quam horto magis opus eſt, ſuas cum meis ædibus commutare vellent, atque tanta præſentis pecuniæ acceſſione, quanti pluris æſtimarentur, mihi gratiſſimum faceres. Ad quam meam earum ædium voluptatem tua quoque ſuaviſſima conſuetudo, atque arctior familiaritas accederet. Simul enim una aſſidue tu ad me, ego ad te commodiſſime itaremus, immo vero hortorum aliqua murorum perfo-

ra-

ratione quaſi ex duabus unas ædes faceremus. Nolo enim ut eos vicinos imitemur, qui neque tantum communitatis habent, ut etiam lumen alterius ex ſuo lumine incendi patiantur. Quibus rationibus te etiam atque etiam rogo, ut continuo iſtos aggrediaris, atque ita, ut niſi expugnatos dimittas; quod tibi factu eſt quam facillimum. Primum enim debiliſſimos habes ædium defenſores, deinde omnes earum aditus probe noſti; qui ſi ſe bona fide continuo non dedant, ac, re compoſita, domo excedant, tum vim adhibeas, licebit. Fallas, decipias, inducas, imponas, quoquo modo poteris, efficias, ut ædium potiamur. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Franciſco Ambroſio S. D.

Jocatur de ſenibus ſibi vicinis ædium commutationem reſpuentibus. Novas ædes ad Spiritus cum horto eſſe, ſignificat; ſe eas tentaturum, ſi quid recte; ſi minus, ſuis tandem acquieturum.

45. INtellexi duum illorum adoleſcentulorum ſententiam de ædium commutatione, illam videlicet, niſi cum ſepulchro, ſe eſſe facturos. Nec, Ambroſi, cum meis non facient, quæ pulcherrimæ ſunt, atque in quibus vivi homines habitant, quique etiam, cum deceſſerint, in ſuis chartis ſpirabunt, ac cum doctiſſimis Viris loquentur. Sed iſtos meo nomine commonefacias licet, nihil eis illa quoque commutatione opus eſſe. Tantum in ſuperiori januæ limine Epitaphium inſcribant, ædes continuo ſepulchrum factæ ſunt. Quid enim, te quæſo, vitæ ineſſe poteſt in Hecuba decrepita, atque in homunculo Priamulo, ac quibus ſilicernium quotidie comparari poteſt? Sed quoniam cum iſtis non ſucceſſit, cum aliis quæremus. Sunt enim ad Spiritus novæ ædes cum horto, quæ mihi valde arrident; has tentabimus, ſi quid recte; ſi minus, noſtris tandem acquieſcemus. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Hectori Mirolio S. D.

Rogat, ut a Prætore fratre contendat, ut in cauſſa ſua, tribus diebus nefaſtis elapſis, ſententiam ferat, ſeque maxima ſolicitudine, & ſumptu liberet.

46. URgent adverſarii apud Conſiliarios cauſſam ſuam, idque jure iniquiſſimo; urge tu quoque meam jure æquiſſimo, Hector, apud fratrem Prætorem. Is eam habet jampridem Tabulis ipſis probatiſſimam, ſed multo etiam teſtibus probatiorem, quibus ſolis, a me ut judicaret, neceſſe erat; divinitus tamen id acceſſit, ut interea reus caperetur, qui cum de ejus pecuniæ ſumma interrogaretur, nullam eam eſſe, faſſus eſt; ut nihil jam deſiderari poſſit amplius. Tabulæ in ſuſpicione ſunt certiſſima; teſtes Tabulas prorſus tollunt; reus ſua confeſſione omne judicium conficit; ſolum reſtat, ut Prætor ex iſtis ſententiam ferat; quam, quare differat, non video, niſi hiſce diebus me quibuſdam improbiſſimis homunculis ludibrio objicere vult, qui me & aſſiduo, ac multiplici ſumptu onerare non ceſſant, & omni animi perturbatione afficere magnopere contendunt. Turpe eſt, Hector, fratrem apud fratrem non valere, & me in honeſtiſſima cauſſa, vel Hectore Patrono, non obtinere, non ut ab ea non cadam, ſed ut de ea tandem decernatur, ne de illo Pompejus, ego de fratre tuo uſurpem, ejus ſcilicet longiſſimi ſubſellii eſſe indicationem, & moram. Quare te rogo, ita a Prætore fratre hanc ſententiam contendas, ut, hiſce tribus nefaſtis diebus elapſis, eam ferat; quod ſi impetro, me maxima ſolicitudine, eo vero ſumptu, quo plane ſcis, liberabis, pro quorum utroque maximam tibi gratiam ſum in perpetuum habiturus. Vale.

BAR-

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Heſtori Mirolio S. D.

Aliotii cauſſam commendat, oratque, ut ita cum fratre agat, cujus arbitratui res commiſſa eſt, ut grandi pecunia adverſarii mulctentur.

47. ETſi Pendajus tuus Aliotii mei cauſſam tibi diligentiſſime commendavit, ejuſque generis ea cauſſa eſt, quæ per ſe cuique bono commendatiſſima eſſe debet; ego tamen, ſi quid utrique adjungi poteſt diligentioris commendationis, id ut mea cauſſa adjungas, te etiam, atque etiam rogo, hoc eſt, ut ita cum fratre tuo agas, ut iſti fœdifragi grandi pecunia, quando ejus arbitratui res commiſſa eſt, mulctentur. De reliqua vero pœna vide, ne numus quidem de ea quoque detrahatur, ſibique nefarias illas manus, quæque tam belle ferire didicere, non quanti ipſæ ſunt, ſed, quanti ſi aureæ eſſent, tanti ſibi redimant. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Comaſenio S. D.

Significat, ſe has literas Abioſio amico ſcripſiſſe, ut ei omnibus in rebus præſto adſit.

48. HEctor Mirolius, qui te unice amat, quemque ego plurimum diligo, a me contendit, ut, ſi quem iſthic amicum habeam, ei te ingenuum adoleſcentem, atque novum in Urbe diligentiſſime commendem; cui ut ſatisfacerem, cum te tamen tui iſti optimi mores, tuaque integritas per ſe omnibus commendatiſſima facere poſſunt, has literas Abioſio noſtro Viro integerrimo, ac mecum omnibus ſummæ neceſſitudinis cauſſis conjunctiſſimo eo nomine ſcripſi. Is militibus Patavinis præeſt, vulgo Collateralem appellant, non poſtrema in iſta Urbe dignitate. Hic tibi in omnibus rebus præſto aderit, ſive officio, ſive pecunia [ut iis accidere ſolet, qui longe domo abſunt] opus erit, numquam deerit. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Herculi Contrario S. D.

Ejus reditum ex bello exoptat, ut ſaltem communi, atque ſumma cum Civibus lætitia fruatur, qua omnes ex Principis reditu exultant.

49. ECquid tamdiu a nobis, atque adeo a tuis abes, Contrari? Ecquid apud barbaras nationes tot annos agis? ubi tua ſtudia? ubi Madium tuum? ubi tuos ex fratre nepotes optimos adoleſcentulos, quos, cum redieris, barbatos offendes? ubi tot, ac nobiliſſimos amicos? ubi denique totius Italiæ cultum, atque elegantiam reliquiſti? num ita tui tam oblitus es, ut horum omnium obliviſcaris? At me rei bellicæ ſtudium in his regionibus adhuc retinet. Concedo tibi honeſtiſſimum ſtudium, ac etiam iſtam bellicam gloriam non contemno. Sed jam ſatis illi foris dediſti. Utinam vero Italia bello careret, neque tibi hanc cauſſam objicere poſſem, cujus incolumitati non dubito, quin vel propriam incolumitatem ſis poſthabiturus. Redi igitur. Non tibi deerunt ordines, iique nobiliſſimi, quos ducas, aut in Regio, aut in Cæſaris exercitu. Eo ſaltem nomine redi, ut communi, atque ſumma cum tuis Civibus lætitia fruaris, qua omnes ex Principis noſtri reditu exultamus. Ad hunc occurras amplexandum, atque ab ejus latere, ut ab optimo Imperatore, numquam diſceſſurus, cum quo, ſi otium erit, de iis, quæ ad bellum pertinent, colloquaris; ſi bellum, tum tuam illi operam optimam naves. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Herculi Contrario S. D.

Gratulatur de nobiliſſima provincia ei commiſſa, quod ea non ſolum ad dignitatem, ſed etiam ad ejus animi integritatem, atque innocentiam probe teſtificandam maxime valet.

50. QUo tempore tu Mutinæ & Gubernator factus, & in provinciam profectus es, ego turi rei fami-

miliari operam dabam. Quare evenit, ne cum tibi, ut debebam, gratularer, tum etiam diſcedentem de more viſerem, id quod nunc per literas haud minus facio officioſe. Tibi igitur in iſta tua nobiliſſima provincia valde gratulor, atque eo magis, quod ea tibi non ſolum ad dignitatem plurimum, ſed etiam ad animi tui integritatem, atque innocentiam probe teſtificandam maxime valet. Nimirum virtutis ea vis eſt, Contrari, ut nullæ illi tenebræ diutius offundi poſſint. Poteſt illa quidem improborum iniquitate interdum opprimi, ſed, brevi ſua virtute altius, atque validius ut evadat, atque emergat, neceſſe eſt. Te deinde hoc modo & viſo abſentem, & alloquor ut præſentem, idem coram, ſi mihi aliquando liceat, facturus. Valentinio, atque Caſtelvedrio meo nomine ſalutem imperties. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Alphonſo Muſtio S. D.

Poſtquam oſtendit, alios aliis in rebus ingenium ſuum exercere, ait, ſe appuliſſe ad unam ſcribendi politiorem rationem, & omnia ſua volumina ad unius Ciceronis regulam, atque imitationem direxiſſe.

51. QUod mea ſcripta, Muſti ſuaviſſime, cum libenter legas, tum eorum etiam partem aliquam memoriæ mandes, alterum tuæ ſummæ in me benevolentiæ, ſelici alterum memoriæ, quam ulli eorum aut ſuavitati, aut elegantiæ dignitati, rectius tribui poteſt. Semper enim [quæ tua ſumma eſt in omnes noſtri ſimiles humanitas] me valde dilexiſti; tanta vero, tamque facilis ad percipiendum, atque conſervandum eſt tua memoria, ut etiam, quæ curſim legeris, ea tibi fideliter inhæreant. Multa, Muſti, in noſtris ſuavioribus ſtudiis eſſe non ignoras, in quibus omnibus aut etiam ſingulis ſeparatim, ut quiſque vult, ingenium ſuum exercere poſſit. Hinc alii ad interpretationem Auctorum ſe conferunt, atque in iis aut de ſuperiore publico loco Auditoribus ſuis interpretandis, aut domi ſuæ ſuis eadem ſcriptis explicandis, non parvam cum ſtudiorum ſuorum utilitatem, tum etiam gloriam ſibi comparant. In quo uno ſtudii ge-

genere multi cum ex veteribus, tum ex recentioribus egregii Viri extitere, quamvis hoc ſtudium non eam dignitatem habere videatur, quæ liberali ingenio perdigna ſit. Nam qui tantum in alienis verſatur, is ſuarum rerum egens, atque inops eſſe videtur. Alii in tradendis, ac corrigendis cæterorum Auctorum locis omnem operam ſuam ponunt; in quibus utriſque meus Manutius, ac Victorius egregie verſati ſunt, qui jampridem effecere, ut totus Cicero & legi, & intelligi poſſet. Aliis vero magis placuit ex omnibus Auctoribus, quæ quodammodo notatu digna viderentur, in ſuum codicem transferre, in quibus unus Eraſmus ex ſuis Chiliadibus excelluit, cum neque etiam defuerint, qui vocum ſignificationes explicarent. Hinc Sexti, Varrones, Nonnii ex veteribus; ex noſtris autem recentioribus Perotii, Calepinii excelluere. Quid quod quæ alii fuſe, atque ample ſcripſere, ii paucis perſtringere, atque in epitomen redigere non dubitarunt? Qui vero in transferendo ſtylum ſuum occupatum habuerint, jam plena ſunt omnia. Sed Perionius non ſolum cæteris antecelluit, verum etiam poſteris veram transferendi rationem edocuit; alii alio modo, nullus ſine aliqua laude in eo verſati ſunt. Ego vero ad unam hanc ſcribendi politiorem rationem appuli, in quo uno ſtudio continuo eam ſupellectilem ad eo modo ſcribendum mihi confeci, quam in meo APPARATU poſtea cum cæteris feliciter communicavi; neque tam in noſtra lingua Italica cum vulgo, quam in hac Latina cum doctis cum loquendo, tum ſcribendo orationem meam exercui; in qua multa volumina ad amicos; complura etiam mihi ſeparatim conſcripſi, quæ omnia ad unius Ciceronis regulam atque imitationem direxi, cæterorum Scriptorum gregem cæteris facile concedens. Quare fortaſſe eveniſſe poteſt, ut non fruſtra omne meum ſtudium in tanto Viro imitando poſuerim, ac mihi perinde evenerit, atque illi, qui ad hominis effigiem exprimendam omnem artem atque ſtudium ſuum adhibuerit, qui ſi id minus aſſequi potuerit, certe propius ad eam effingendam acceſſerit, quam qui aut in herbis, aut arboribus, aut pratis, aut etiam cæteris animalibus pingendis penicillum ſuum exercuerit, quorum lineamentorum ſimilitudine aliqua deceptus ita poſtea de meis ſcriptis ipſe judices. Verum ſi tu quoque cum cæ-

te-

teris eruditis Viris id mihi ex tuo judicio tribuis, ne id multo mihi magis acceptum eſt, multoque jucundius accidit, quorum omnium conſtanti judicio ego quoque interdum, ut meum conjungam, facile cogor, neque hoc, fortaſſe falſo gaudio, frui piget; quicquid tamen cum in dicendo, tum in cæteris meis ſtudiis, atque officiis valeo, id omne tibi offero, atque, ſi experiaris, optime, atque amiciſſime præſtabo. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Julio Scaligero S. D.

Scribit, ſe optare, ut poſt trigeſimum quintum annum ſibi ſignificet, primum ſe vivere, deinde qua conditione, qua familia auctus ſit, quidque ejus Muſa agant.

52. ETſi neque ubi ſis, ſcio, neque ad meas multas literas, eaſque amoris erga te mei digniſſimas, nihil umquam mihi, quoniam, puto, eæ non ſunt tibi redditæ, quicquam reſcripſeris, nunc tamen ei quoque, cum Princeps meus iſthuc rediret, deeſſe nolui; neque, quoties certior facultas erit, cui ſatis recte eas dem, ſum defuturus. Quando enim recordor, quod menti meæ inhæret, quantum tuis fideliſſimis monitis, cum una Venetiis agebamus, mea ſtudia juveris, non poſſum eorum cum primas tibi non facile tribuere, tum hoc modo per literas, & in omnibus meis ſcriptis ſive de Imitatione, ſive de Gloria memor eſſe. Mi Juli, Riccio tuo tandem poſt trigeſimum quintum annum primum te vivere, deinde qua conditione, qua familia auctus ſis, quid Muſæ tuæ agant, iſthinc uſque ſignifica; id autem per Gryphium Impreſſorem [ut dicam] facere poteris, cui ego quoque meas omnes literas tibi reddendas inſcribo. Vale. Ferrariæ Id. Martiis MDLVI.

BAR-

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Sebaſtiano Gryphio S. D.

Orat, ut Julio Scaligero literas recte reddendas diligenter curet, ejuſque invicem ad ſe Ferrariam perferendas.

53. GRyphi, ſi vivis, [ita enim cum omnibus hominibus, qui longe gentium agunt, dicendum eſt] ſi item Julius Scaliger tuus vivit, ubi ubi is ſit terræ Galliæ, te omnibus precibus rogo, ut, quas ad eum a me ſcriptas habes literas, ei recte reddendas diligenter cures; qui contra ſi quid mihi per te eumdem reſcripſerit, eadem ratione, ut Ferrariam mihi reddendas cures, oro, pro quo tuo utroque tanto officio ego tibi feliciſſimam ſenectutem Deos omnes rogo, atque oro. Vale. Ferrariæ Id. Martiis. MDLVI.

BARTHOLOMÆI RICCII LUGIENSIS

www.libtool.com.cn

EPISTOLARUM LIBER SEPTIMUS.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Baptiſtæ Sarachio S. D.

Stephanum Belletium Præturam Mutinenſem petentem commendat, ut per eum ipſi decernatur, polliceturque, ipſum apud hominem omnium gratiſſimum officium ſuum eſſe collocaturum.

1. Stephanus Belletius Civis meus eſt, atque ejus generis Civis, qui optimis moribus, ſumma integritate ſit præditus, mihi etiam propterea cariſſimus. Noſti quibus Civilibus diſcordiis tota Flaminia laboret. Hic neutram partem ſequens, utrique acceptus in ſuis ſtudiis tranquilliſſime, quo tempore domi fuit, ſemper egit. Huic patriæ charitati ſtudiorum quoque accedit conjunctio, quam ego in omnibus ſemper plurimi feci, in hujuſmodi autem probatiſſimis Viris multo etiam facio pluris. Is Mutinenſem Præturam petit, cui ſuæ petitioni ſi tu unus aderis, facile fore ſperat, ut ea ſibi decernatur. Quare a me per literas quærit, ut ego hanc ejus tantam dignitatem novo quodam commendationis genere tibi commendem; cui equidem cum ſatisfacere cuperem, ac, ex quo genere commendationis hoc novum expromerem, diligentiſſime exquirerem, cauſſammque etiam omnem diligentius conſiderarem, neque illum ex ſua bonitate, neque ex Juris Civilis ſcientia tanta commendatione quicquam egere, neque te ex tua animi integritate ullam eam expectare facile vidi. Is enim eſt, cui domum uſque hujuſmodi provinciæ deferri deberent; tu vero, qui, [quantum in te eſt,] hujus generis Viros vel gravio-

res

res Magiſtratus ambire minime pati ſoles. Tamen quoniam ita mos eſt petendi, atque etiam in re certiſſima commendandi amicos, & ille a me commendationem hanc tantopere contendit, ego ita totum hoc negotium tibi commendo, ut facerem, ſi meum proprium, aut Camilli filioli, qui mihi me ipſo eſt charior, commendarem. Scio equidem; ſed quid ego me ſcire dico? immo vero omnes mecum ſciunt, quantum in hac ſuffragatione valeas, modo velis. Iſtum igitur tuum animum, quem vel mediocribus amicis benigniſſime præſtas, ut mihi quoque, quem tu jampridem in tuis intimis & numeras, & prædicas, & ego me non poſtremum eſſe puto ex ea obſervantia, qua te proſequor ſumma, tribuas, te etiam, atque etiam rogo, atque oro. Neque quicquam a te accipio, niſi Mutinam ipſam. Nam ſi quis malus caſus nobis eam eripiat, non te mihi Belletius, ſed, me ſibi defuiſſe, queretur. Pro quo quantum ego, ac quam honeſtis de cauſſis laborem, plane vides, quantum autem tu pro utroque, niſi re ipſa comprobabis, ut omnem etiam fortunam adverſam in hac re nobis præſtare debeas, ut tu tuam mihi, ego meam illi benevolentiam præſtitiſſe videamur. Id quod, cum tanto ſtudio ſim in hoc commendando, nihil attinet dicere, quam mihi gratum ſit futurum, ſi impetro. Hoc certe tibi polliceor, in meque recipio [ſi quicquam tamen hoc quoque ad rem facit] te apud hominem omnium gratiſſimum officium tuum eſſe collocaturum. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Baptiſtæ Sarachio S. D.

Se ad eum redeundi mire cupidum eſſe ſignificat, ſed non ſatis conſtare, quando id futurum ſit. Orat propterea, ut ſi quid de profectione Principis Mutinam audierit, de eo ſe certiorem faciat.

2. SI vales, bene eſt; ſi ex Urbe prorſus peſtilentia abiit, multo melius eſt; nos hic valide omnes valemus, niſi quod iſthuc redeundi mire cupidi ſumus, quod, quando futurum ſit, non ſatis conſtat. Quidam enim

nim ſub hoc Lunæ totum orbem, qui futurus eſt Non. Octobris, id nos ſperare volunt; ego niſi poſt novam Lunam id ſperari poſſe video. Nam ſi Princeps Pater VIII. Idus Mutinam proficiſcitur, quamdiu is Mutinæ commorabitur, nos hic tamdiu videmur eſſe commoraturi. Tu vero, ſi quid interea odorabere, amice feceris, ſi me de eo certiorem feceris. Solas enim ædes reliqui, neque hic ſatis commode cum meis agitur ſtudiis. Sum enim ſine libris, & cum a ſcribendo ad te, atque ad pauciores alios amicos abducor, nihil mihi poſtea, quid in iis agam, relinquitur. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Baptiſtæ Sarachio S. D.

Orat, ut aliquid de peſtilentia ſcribat: Dicacum commendat: excitat ad purgandam Urbem, Deumque pura mente, atque omni animi integritate ſibi reconciliandum.

3. SI tantum vales, Sarachi, quantum ego te amo, aut quantum tu me diligis, rectiſſime habes; ego quidem tantum valeo, quantum me ille, [ſcis bene quem dico] odit, cui ego contra omnia ita ſecunda opto, ut nihil mihi melius. Scire equidem cupio, quid cum peſtilentia agatis. An iſti Mauri, ut eam ſecum attulerunt, ita etiam diſcedentes abſtulerint, Urbemque prorſus purgarint? Genus odioſiſſimum, quibus jam neque in terra, neque in mari locus ad habitandum conceditur. Unius Didaci me valde miſeret, cujus ſolius cauſſa poſſum non cæteris omnia mala comprecari; ut videas quantum literarum ſtudia apud ſuos valeant. Quare eum tibi commendo, ut, quicquid poteris, ſalva Urbe, id omne in eum mea cauſſa conferas, neque tantum ejus ingenium perire ſinas, qui fortaſſe non totus periit, etſi ſcio te quoque tua ſponte eum valde amare. In cæteris vero purgate etiam Padum, qui Urbem purgaſtis, atque, quo venti eos ferant, dare vela jubete. Beatrix iſtis non eſt defutura; nam eos audio locupletiſſimo viatico proſecutam eſſe; ac poſthac in Rep. curanda cautiores omnes eſtote. Nam hanc calamitatem non ante viſam eſſe, fortaſſe aliquam excuſationem habere

bere poteſt ; ſi vero ſæpius ad eandem chordam , quid ſtultius ? Rumor enim eſt , atque non levis ſuſpicio, quamdiu iſti in anchoris ſunt in Pado , timeri , ne iterum in Urbem recipiantur; quod equidem nulla ratione adduci poſſum , ut credam , niſi prorſus nos Deus deſeruit , ac præcipites in noſtrum malum ferri ſinit ; qui non odoribus, ac cæremoniis exterioribus, ſed pura mente , atque omni animi integritate nobis reconciliandus eſt, ſuaque bonitate, non noſtro metu colendus. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Baptiſtæ Sarachio S. D.

Tres libros de Imitatione ſecundo editos mittit , ut , cum vacabit , eos legat , vel , ſi nequeat legere , ſciat , ſe ab officio ſuo in iis mittendis non diſceſſiſſe.

4. VEreor, ne imprudens ſim, qui in Rebus publicis homini occupatiſſimo meis ſcriptis ſæpius negotium faceſſam . Quotidie enim aut tibi aliquod volumen legendum mitto, aut ipſe coram perlego . Sed; mi ſuaviſſime Sarachi , te ipſum in hoc meo peccato accuſa, qui tam libenter ea & legere, & audire, & mihi & omnibus prædicas . Habe igitur nunc tres libros de Imitatione ſecundo , atque multo correctiores editos, quos ſi, cum vacabis , leges , mihi feceris gratiſſimum ; ſin graviora te mihi alia ex aliis auferre pergent , mihi id ſatis erit, ſcirſe me ab officio meo non diſceſſiſſe, qui te ob ſingulares tuas virtutes plurimi facio. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Baptiſtæ Sarachio S. D.

Beriguardi commoda , delicias , & Cœli ſalubritatem extollit , ſignificatque , ſe maxime optare , ut amici omnes illic ſecum ſint , ut communibus Muſis frui invicem poſſint .

5. ITerum in Beriguardum urbanam iſtam peſtilentiam fugientes commigravimus , ubi æque recte omnes jam multos dies valemus . Locum enim hunc Dii cum

ad

ad omnem urbanam, quid enim dicam ruſticanam commoditatem? tum autem in primis ad hæc graviſſima tempora ſecure traducenda, condidiſſe videntur. Ego autem, mi Sarachi, ſic ab omni morbi iſtius metu ſum vacuus, ut, quamdiu hic futurus ſim, tamdiu ab cujuſvis generis morte omnium tutiſſimus eſſe videar. Facio enim quaſi qui ex adverſiſſima tempeſtate in portum ſe recepit, ut quoniam ex præſenti naufragio evaſit, omne interea cujuſvis mortis genus obliviſcatur, ut, niſi impius ſim, poſſim in hac mea metus vacuitate vobis urbanis hominibus iſtam ſolicitudinem diutius optare; ut in re minime læta etiam me jocari videas. Immo vero contra vobis eam Cœli ſalubritatem deſidero, Deoſque omnes eam ejus benignitatem rogo, qua hic nos perfruimur ſaluberrima; & niſi Princeps Pater nimia rerum publicarum adminiſtratione prematur, eum hic cum filiis ſuis hoc triſte tempus agere cuperem. Sit enim Coparia non ſolum aureum, ſed etiam divinum caput, tamen ad Beriguardum nunquam quicquam. Hic omnes Principes noſtros, hic amicos omnes maxime vellem, teque in primis, cum tuo atque etiam meo Gypſio, ubi ſi minus læte ab iſta commiſeratione [ut qui homines ſumus] nobis agere liceret, ſaltem in communibus Muſis interdum aliquid iſtam moleſtiam non parum levaremus. Sed atram nivem. Quare vos iſthic, ut melius vobis facere licet, incolumitatem veſtram etiam atque etiam diligenter curate, id quod nos probe contra hic ſumus præſtaturi. Gypſio, Catioque, & patri, & filio ſalutem plurimam dices. Ex Beriguardo VII. Cal. Novembris MDXLIX.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Baptiſtæ Sarachio S. D.

Ipſum orat, ut cogat adverſarium ſororis ſuæ viri jampridem damnatum ad litis expenſas diſſolvendas, renuentemque in carcerem conjici jubeat.

6. SI me diligis, Sarachi, ſi te a me contra amari certo ſcis, ſi quid unquam mea cauſſa feciſti, aut ſi omnia me tua facturum non dubitas, te rogo, atque oro,

oro, ut fororis meæ virum expedias, qui hic magno cum familiæ ſuæ incommodo tenetur. Suum adverſarium jampridem damnatum habet, quin etiam diſſolvere cœpit. Nunc ſe litis expenſas, quod dicunt, diſſolviſſe cavillatur. Teſtis eſt Ochius cauſſæ Judex, teſtis eſt Naſelius, teſtis eſt Magalotius, iſtum improbe mentiri. Quare nihil aliud reſtat, niſi ut hunc in carcerem conjici jubeas, atque inde, ut diſſolvat, quando poſt nonum annum inſolenter nos, atque adeo te novis cavillationibus irridet. Si me amas, ſi honeſtum curas, æquum te, atque ſeverum in tempore Judicem oſtende. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Baptiſtæ Sarachio S. D.

Optimorum Virorum conditionem dolens aliena commendatione in rebus ſuis indigentium orat, ut Faletium adoleſcentem Herculi Principi cum aliis amicis commendet, ut primo quoque tempore, quod petit, obtineat, petentemque, quantum poteſt, adjuvet, idque e re Principis futurum oſtendit.

7. VIde, Sarachi, quo loco optimi Viri poſiti ſint, ac quanti nunc virtus fiat. Nam cum ii per ſe ſatis commendati eſſe deberent, ea vero cætera omnia etiam commendare poſſent, utrumque aliena indiget commendatione. Faletius optimis ſtudiis adoleſcens, honeſtiſſimis moribus, domi etiam ſuæ haud ignobilis, ſummo adhuc fructu, majori etiam ſpe, quique minime infans, Juris etiam Civilis haud ignarus, domi aptus, ad itinera per diſpoſitos equos facienda natura factus, atque uſu exercitatus eſt, ingenio, lingua, vel etiam linguis valde promptus, locum quærit apud aliquem Principem, cui ſuam cum diligentiſſimam, tum etiam fideliſſimam operam navet. Sed dici non poſſet quanto is deſiderio eam Herculi Principi noſtro ardeat dare, id quod etiam per Gypſium Principis procuratorem maximum, ac Herculem Contrarium jam aliquot dies magna cum ſpe tentatur. Verum putat, ſi horum honeſtiſſimorum de ſe Virorum judicio tuum quoque accedat, facile fore,

re, ut primo quoque tempore res absolvatur. Hoc igitur ego a te mea sponte sic peto, ut hujus virtutes suo jure a bonis omnibus expetere posse videntur, ut, cum primum tibi facultas detur, eam ne omittas, ac rem, quantum potes, apud Principem nostrum adjuves, honestissimumque adolescentem tua commendatione plurimum exornes. Quo uno isto tuo officio [nisi insolens videri possim] dicerem, Sarachi, te magis Principi nostro, quam Faletio, prorsus esse profuturum, qui illi tantum adolescentem confeceris, & quo eum maxime indigere plane scis, neque hujusmodi ubique magnam hominum esse copiam, ipse quoque tecum minime ignores. Hoc tantum dicam; si id effeceris, te optimum adolescentem maxime esse sublevaturum, neque apud ingratum animum beneficium tuum esse positurum. Mihi autem [vide, quid dicam] prope Ferrinium meum restitues, quem quanti ego facerem, & tu, & omnes ex meis scriptis facile intelligere potestis; quod ut mihi concedas, te sic rogo, ut, si id mihi rogarem, non facerem studiosius. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Baptistæ Sarachio S. D.

Duas Orationes sub ejus nomine editas mittit, oratque, ut parvam hanc grati animi significationem æqui bonique faciat.

8. SCio, mi Sarachi, quantum ego tibi cum tuis summis erga me, tum etiam in meos omnes non minimis officiis debeam, neque ipse contra ignoras [etsi nullam admodum satis dignam gratiam tibi refero] quam ea mihi omnia grata accidant; id quod cæteris quoque ut aliquo modo testarer, hoc tempore hæc parva facultas data est. Nam cum hasce duas Orationes edere statuissem, ut sub tuo nomine ederentur, volui. Levidense quidem fateor munusculum, neque qualia sunt in me, tua summa ac singularia officia; sed is tamen, cui exigua supellex est, linteolo, vel crasso filo animi sui bene grati aliquam significationem facere potest: cum amplior facultas ad id cumulatius faciendum dabitur, eam

[illegible] & lege, quæ
[illegible] mihi respondendum. mihi satis erit,
[illegible] quæ nostra sunt. plane respondere.
[illegible] MDLL

www.fultoon.com.cn

BARTHOLOMEUS RICCIUS

Bernino Senensi S. D.

Accepi tuas [illegible] gratissimas: facerem: [illegible] ea [illegible] ut [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]

[illegible] [illegible] Matthæum nostrum [illegible] amare. [illegible] ego [illegible] [illegible] alter [illegible] [illegible] [illegible]

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Baptiſtæ Sarachio S. D.

Orat, ut ſtatim Alphonſum Riccium a periculo ei ab exactoribus imminente liberet, neque tempus definitum elabi ſinat, ne mulctam improbe diſſolvere cogatur.

13. ETſi coram pro Alphonſo Riccio ita tecum egi, ut neque ille, qui aderat, a me amplius deſiderare, & rei æquitas pauciora poſtularet, quoniam tamen ei ab iſtis exactoribus tuis periculum inſtat, te hoc quoque modo rogo, atque oro, ut, ſi eum [quemadmodum nobis ſæpius recepiſti] iſta iniqua damnatione es liberaturus, id ante Idus Martias ei præſtes, quæ ſi damnatum præterierint, nulla poſtea ſpes illi relinquitur, quin mulctam illam improbe diſſolvere cogatur: quam autem prope inſtent, optime vides. Dum igitur per temporis brevitatem id facere potes, ne id nobis elabi ſinas, te etiam atque etiam rogo. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Baptiſtæ Sarachio S. D.

De filii morte ſe eum conſolari ſignificat, ne amicitiæ ſuæ unquam defuiſſe videri poſſit, cum alioquin ipſe prudentiæ ſuæ conſolationem omnem capiat. Hortatur, ut valetudinem ſuam curet, & conetur nepotes ingenuos eo paternum perducere, quo pater filios perducere debebat.

14. ETſi ſcio pro ea animi magnitudine, qua præditus es, te unici filii obitum fortiter ferre, teque in tali caſu, quam alii conſolationem afferres, ex tua prudentia tibi eandem eſſe capturum; ne tamen amicitiæ noſtræ uſquam defuiſſe videri poſſim, tecum ea potius recenſere, quam tibi quicquam novi, quo dolorem illum tuum levares, afferre, ſum viſus. Amiſiſti filium [illegible] cum, virum probum, officioſum, quique ab [illegible] ſua humanitate optime audiebat. Graviſſimum eſt, [illegible] que ſolum tibi patri, ſed cæteris etiam, qui [illegible]

rint ; multo vero magis iis , qui ab eo quotidie aliquo bono afficiebantur. Sed tamen quod talem amiſeris, non minus ſolatii tibi eſſe poteſt, quam doloris. Hoc enim ſanctioris nominis, quod filius de ſe reliquit , magno ſolatio tibi eſſe poteſt . Inde enim apud nos , quamdiu ætas feret , honeſte , atque cum laude vivet ; in Cœlo etiam cum ea fide, qua Chriſtum Dei Filium fatebatur, æternum aget ævum . His accedit , quod in unici filii obitu minime iſta ſeptuagenaria ætate orbatus es relictus . Ex eo enim quinque nepotes tibi , bene frequens familia , relicti ſunt , in quos quoties oculos conjeceris, toties tot filios tibi ſuperſtites habere putabis , atque eo etiam chariores, quo tibi longiorem ſobolis ſpem , quam filius ferret , ferunt , quæ una ratio eſt , ut parentes in nepotibus, quam etiam in filiis, magis oblectentur . At pueri ſunt , atque adoleſcentuli . At non ſolum adhuc in ſumma rerum omnium copia habes conſtitutos, ſed multo etiam in locupletiori quotidie es conſtituturus . Qui in ſumma egeſtate , nulla induſtria , nulla Principum ſuorum gratia fulti ſunt , doleant acriter , ſi quid tale eis accidat . Sed una ea te magis conſolatio ſublevat , quod eum hominem eſſe ſciebas , atque ea conditione natum , qua cæteri omnes nati ſunt , ut ei eſſet aliquando moriendum , ſerius , an ocius , nihil ad rem , quando non pauciora videant , quæ nolint , quam quæ velint , qui diutius vivunt . Neque poſtremo neſcio te recordari , atque in animo tibi verſari , quod nos ſæpius in ſermone queri ſolemus, hominum conditionem niſi una Religione , ac futuri ſæculi ſpe a beſtiis differre , qua una cum optime fulti ſimus , cætera , ut fruſtra , atque inania ſunt , facile , ut elabantur , ferre poſſumus . Quę tu omnia cum tecum revolvere putem , nihil amplius eſt , quod a me iſtius officii deſideres. Valebis ipſe, ac, quamdiu Diis libuerit, vives; certe tu omnem operam, ut diu eis libeat, tua, ut facis , integritate adhibebis, ut, quo pater filios perducere debebat , ipſe eo nepotes ingenuos paterne perducas. Vale.

BAR-

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Baptiſtæ Sarachio S. D.

www.libtool.com.cn

Rogat, ut vinum, quod ſibi in uva ipſius cellarii vinarii hoc anno ſe advecturos ſignificant, in ſua cella habeat, ac quanti ad anni rationem æſtimabitur, tantum ſibi pecuniæ poſtea diſſolvi jubeat, hocque valde commodum, & gratiſſimum ſibi futurum profitetur.

15. SI mihi per meos oculos liceret, quibus omnia circumvolvi videntur, magis ipſe coram, quam per literas, eaſque aliena manu ſcriptas, hoc, quod nunc facio, facerem. Pro meo vino, quod mihi pro victu attributum eſt, ſuperioribus annis tanta pecunia, quanti æſtimatum eſt, mihi ſemper eſt adnumerata, hoc anno tui cellarii vinarii me nunc admonent, ut parem, ubi muſtum meum ebulliam. Id enim in uva mihi ſe eſſe advecturos ſignificant. Quod ſi tuo mandato agitur, & quoniam ipſe ex meo agello quantum ſatis eſt ad familiam meam legi, atque jam in cellam collinivi, & ipſe ex aliis quotannis magnam vim comparas, te rogo, ut meum quoque in ea habeas, ac quanti ad anni rationem æſtimabitur, tantum poſtea pecuniæ mihi diſſolvi jubeas, idque ſaltem hoc anno, in futurum poſtea ut tibi videbitur. Quod ſi abs te impetro, erit valde commodum, atque ea etiam ratione gratiſſimum. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Baptiſtæ Sarachio S. D.

Poſtquam ſingula ſcripta ſua ad hanc diem edita recenſuit, ſubjicit, ſibi placere experiri, ecquid in Hiſtoria, ſi ſibi aliquando ea occaſio detur, conſcribenda valeat. Ad unguem itaque, ac miro plane modo ob oculos ponit quæcumque ad conſtituendum navum, ac laude dignum Hiſtoricum requiruntur. Deinde ſcribendæ Hiſtoriæ exemplum proponit, ſpecimenque in exordienda Ferrarienſi præbet, variaſque originis, & nominis Urbis Ferrariæ opiniones affert, idque a ſe fieri addit, ut plane comprobet, ſe in hoc quoque quietiori ſcribendi genere minime ineptum eſſe.

16. EQuidem, Sarachi, ea ſemper ſententia fui, ut, qui in medio Oceano natare ſciret, is in ejus quovis ſinu, aut in quavis ſive palude, ſive flumine, modo nullus in eo gurges ineſſet, qui aquarum vorticibus eum circumagens rapide in profundum abſorberet, nihilo pejus id faceret: item, qui Imperator exercitum optime rexiſſet, is multo magis etiam in eo ordinem regere percalleret. Id quod de eo Scriptore exiſtimari licet, qui ſtylum ſuum in Oratorio dicendi genere ita exercuerit, ut lectori magis aliquam delectationem attulerit, quam ullum faſtidium crearit, ſi ad aliud ſcribendi genus ſe conferret; ut quod in toto egregie feciſſe, id in ejus etiam particula optime præſtare poſſet. Neque illi mihi prorſus audiendi ſunt, qui dubitant, utrum Cicero, ſi ei aut de agro colendo, aut de bello aliquo Hiſtoriam ſcribere contigiſſet, id, ut cætera, facere ſciſſet. Quaſi qui ædes ampliſſimas, quæ quam ſuis omnibus partibus conſtent optime, complures ædificarit, is caſulam unam extruere neſciat. Imprudentes, atque nullo judicio homines, qui tam inepte deſipiant, qui tam craſſe delirent, ut qui Remp. ac frequentiſſimam Civitatem ſua prudentia feliciter adminiſtrarit, unam rem familiarem, ac parvam familiam eadem ratione gubernare non norit. Ego de Imitatione tres libros jam multos annos edidi, opus plane abſolutum, atque perfectum. Idem in ſeptem Orationibus, in duobus Epiſtolarum

rum libris ad Ateſtios Principes, de Conſilio Principis ad Ferrinium, in multis item aliis ſcriptis feci, atque etiam in multo pluribus ſum propediem facturus. Quæ publicata ſunt, a principibus rei literariæ ætatis noſtræ Bembo, Bonamicio, Amaſejo, Majoragio, Aonio, Flaminio, Corradio, Manutio, Zanchio, Luyſinio, cæteriſque ejus ordinis doctiſſimis Viris valde ſunt comprobata; quæ vero privatim leguntur, ipſe optime noſti, quam editis ſint ſimillima, qui noſtros libros de Gloria laudibus in Cœlum effers, qui de reliquis undecim Orationibus, qui de decem Epiſtolarum libris ad amicos, ac familiares ſcriptis id palam dictitas, aurum eſſe meam dictionem, quorumdam vero, qui tamen haud impolite ſcribunt, quaſi fæcem. Nunc vero experiri placuit, ecquid in Hiſtoria, ſi mihi ea occaſio daretur aliquando, valerem conſcribenda. Nam qui, qua ſibi eundum ſit, prius optime viam noverit, huic, ut ab ea quicquam aberret, nihil admodum verendum eſt, modo is pedibus optime valeat. Equidem quod ad totius Hiſtoriæ rationem pertinet, aut hoc id eſſe, aut Hiſtoriam nihil eſſe exiſtimo, ut primum veritas, quaſi ejus fundamenti loco, conſtituatur. Quare qui Hiſtoriam ſcribit, continuo in hoc uno vero ita hærebit, ut ab eo neque ulla gratia abduci, neque ullo metu abſterreri debeat; ne quid falſi dicere audeat, deinde ne quid veri non audeat. Hæc, ut reliquæ ſcriptiones omnes, ex rebus, & verbis conſtat. Rerum ratio in temporum ordine, atque in locorum deſcriptione poſita eſt, videlicet, ut unumquodque quo geſtum ſit, eo etiam tempore referatur, ut quod prius, ante, quod poſtea, id quoque poſterius dicatur, ne ſi perverſo ordine agatur, res tota conturbetur. Ita in caſtris, in aciebus, in urbium ſitu, in regionibus, in populis, populorumque moribus, cæteriſque locis, ac rebus deſcribendis, ne, obſcure id faciat, ne, quod redundet, apponat, ne quod deſideretur, omittat, in primis autem ut ſit pura, atque illuſtri claritate conſcripta. Quoniam vero quæ res Hiſtoriæ dignæ ſunt, eæ magnæ atque illuſtres eſſe ſolent, quid his accidat, optime videndum erit, ut in re ſuſcipienda conſilium, in ſuſcepta, quæ geſtio; poſtremo ejus quoque eventus conſiderabitur. De conſilio, quid Scriptor probet, quid non, in medium proferet, in facto non ſolum quid actum, ſed quid etiam

iam dictum, ac quo etiam utrumque modo, commemorabit; ex eventu vero cauſſæ omnes ſunt explicandæ, quæ ſapientiæ, quæ caſui, quæ temeritati attribuantur. Præterea ad populum interdum, ad exercitum ſæpius erit dicendum; illum ad aliquod egregium facinus aggrediendum, hunc ad acriter pugnandum oratione impellendo. Quare conciones hoc quoque loco erunt adhibendæ. Hæ vero aut ab auctore erunt habitæ, aut deſiderabuntur. Habitas ſi Scriptor exornabit, ſatisfecerit; præteritas ſibi integras ſuo judicio confingere licebit, quas, ut veras, in ſuam Hiſtoriam poſtea conjiciet. Sed pro rei magnitudine, ac militum genere [ut tantum de exercitu agam] hæ rarius, ac crebrius habentur. In re facili, in probato exercitu, atque veterano, quique magis gloria, quam ſtipendio, pugnet, non recte adhibentur. Satis enim ſuo illo deſiderio animatus eſt ad fortem operam adverſus hoſtem, quoties opus ſit, navandam. Quare factum eſt, ut C. Cæſar perraro hoc exhortandi munere ſit uſus, qui milites habebat ſua ſponte in hoſtes ardentiſſime incenſos; contra Livius, ut qui in multiplici bellorum genere, atque in quotidie renovato exercitu verſabatur, ſcribendo hos crebrius ab Imperatore hoc genere impulſionis in hoſtes immiſſos eſſe inducit. Jam vero quod ad Hiſtoriæ orationem pertinet, continuo hæc fuſa, tractaque eſſe debet, quæque in morem tranquilli fluminis æquabiliter fluat, hæc autem ex verbis, atque ex eorum collocatione, ut cujuſque generis oratio conſtat. Verborum autem plura ſunt genera. Horum enim alia propria, alia inuſitata, alia innovata, translata alia; hujus autem dictionis, quæ propria appellamus, hoc eſt, quæ rem ipſam, de qua agitur, ſtatim ſignificant, maxime propria eſſe videntur. Nam cum hæc tantum doceat, remque, ut geſta eſt, narret, iis verbis id facere debet, quæ nihil ambigui, nihil alieni habeant, ac nullo fuco ſint circumlita. Transferant alii verba in ſua oratione, priſca crebrius uſurpent, novis etiam liberius utantur, Hiſtoria tantum ex propriis, quæque cum re ipſa nota eſſe videantur, confici debet; niſi quædam interdum tamen facta ita in eam irrepſerint, ut ſi non in ſuum locum veniant, ſaltem in alieno nihil legentis intelligentiam morentur, ut in ſignifero, atque Aquilifero, pro

iis,

iis, qui ſignum, atque Aquilam ferunt, atque ita in ejus generis ſimilibus. Orationi item collocationem accidere propoſitum erat. Hæc in membra, ſive ea Periodos, ſive Ambitus appelles, & Articulos, & inciſa, diſtincta eſt. Superiora ſententiam pluribus complectuntur; inciſa vero, & Articuli, qui aut tribus, aut duobus interdum, etiam ſingulis verbis ſententiam concludunt, mera ſuavitate Hiſtoriam condiunt. Sed pauci ſunt, qui id facere norint, ne in eo obſcuri ſint, quod apertiſſimum eſſe debet. Itaque in ſuperiori magis Hiſtoria verſabitur. Non enim hæc aures ita ferit, ut eas cædat; ſed ita incedit, atque ambitum ſuum ducit, ut tanquam in orbe incluſa ejus oratio, quoad inſiſtat, in ſingulis perfectis, atque abſolutis ſententiis currere videatur; ex quorum apta collocatione is concentus excitatur, quem numerum appellant; qui ita ex apta verborum compoſitione elicitur, ut ex membrorum recta collocatione filum conficitur. Hæc præterea neque nimis anguſte rem comprimet, neque contra laxius eam oratione luxuriare ſinet. Id enim obſcuritatem parit, hoc ſatietatem affert. Hæc non exclamat; non ſe convertit ad quemquam; nullum loquentem inducit; non rem amplificat; non ab ea ornatus cauſſa digreditur; nullas dicendi faces adhibet; non ardet; non tonat; non fulminat. Nulla huic pedum ſupploſio, nulla cervicum inflexio, nulla manuum jactatio, nulla vultus commutatio, nulla vocis ſive inclinatio, ſive elatio, nulla totius corporis actio quicquam opus eſt: ſola ipſa per ſe, ac ſimpliciter officium ſuum facit. Hoc autem eorum proprium eſt, qui ſoluta oratione Hiſtoriam ſcribunt; alia ratio eorum eſt, qui eam verſibus proſequuntur, ut Homerus apud Græcos; apud nos Maro; qui liberius in omni dicendi genere verſantur; in verbis autem aut transferendis, aut veteribus aut novis utendis, tam frequentes ſunt, quam eis videtur ad ſuam orationem ornandam, atque colorandam eſſe ſatis. Quæ omnia cum ego, ut probe perſcripſi, ita ea percognita habeam, atque ea fortaſſe dictione, quæ legenti haud ſit ingratiſſima, perſcripſi, quid mirum erit, ſi in utroque eam operam darem, quæ minime contemneretur? in qua quidem ſcribenda Hiſtoria uno eo me minus idoneum eſſe fateor, quod ab rei veritate ad hominum voluntatem ut ſcribe-

rem,

rem, minime adduci poſſem. Sed jam id experiamur, atque ab ipſo exordio initium ſumamus. Solent, qui alicujus Civitatis Hiſtoriam ſcribere aggrediuntur, in primis a quibus ea Urbs, quo tempore, quoque etiam modo condita fuerit, paucis explicare, deinde ad reliquum opus commode pergere, idque fideliter abſolvere. Ego autem in hac mea Ferrarienſi [puta Ferrarienſi] exordienda, ante, quam ad Urbis Ferrariæ originem pervenirem, primum unde condendarum Urbium ratio, atque initium extiterit, quod neque ab Hiſtoriæ dignitate abeſſe, neque lectori ingratum fore ſum arbitratus, brevi percurrere conſtitui. Initio igitur cum homines belluarum more in agris palantes agerent, ac interdiu in ſylvis errantes, aut ex arborum fructibus, aut ex venatu paſtum ſibi quærentes, nocte autem in latebris, quas caſus illis ſæpius, quam induſtria obtuliſſet, ſomnum caperent, paſſim eveniebat, ut multi a feris aut in quiete oppreſſi, aut ſoli a multis, ac debiliores a valentioribus etiam pugnantes crudeliter necarentur, atque iis etiam ex ſe ſe paſtum infeliciter præberent. Qua calamitate animadverſa, continuo, ut ei occurrerent, id conſilii iniſſe videri poſſunt, ut per diem multi ſimul una fuſtibus armati per agros vagarentur, per noctem vero iidem in paulo tutiora ſe loca reciperent; ubi primum ſub dio, aut ſub arborum ramis agebant; deinde vero, ut ab imbribus, atque a Cœli reliqua inclementia tutiores eſſent, firmius tectum ſibi ſuperimpoſuere; cujus loci latera neque multo poſt viminibus, atque virgultis primum cum ſuis foliis, deinde iis ſpoliatis, atque in ſepium morem inter ſe contextis, lutoque ſuperlitis circumdedere. Succedente vero tempore paulo & ipſi manſuetiores facti, caſulas ex quaque materie, quæ illis magis opportuna accidiſſet, facere inſtituere; atque ita quaſi in vicos primum coiviſſe, par eſt credi. Cum vero ſenſere quantum homini ab ipſo homine utilitatis, ac commodi proficiſceretur, tum ii ſic ſe arctius inter ſe conjungere cœpere. Hinc ad mutuam benevolentiam certa conjugia, ac legitimæ nuptiæ acceſſere. Ut autem in ſingulas familias quiſque creviſſet, vidiſſetque, ex filiorum in parentes obedientia, atque inter ſe fraterna concordia rem multo melius geri, ſtatim unam eam in curam toti incubuere, ut una omnium voluntas, atque eadem eſſet ſententia. Quare ſe certis quibuſdam legibus ob-

obſtringunt, ac quaſi in Remp. atque in communem utilitatem omnia conferunt; cum hic illi, ille alii, omnes omnibus præſto adeſſent, neque ullus ulli injuriam faceret, aut ſibi ad eam faciendam alium provocaret. Quam ego ætatem auream, de qua omnes Scriptores multa honorificentiſſime prædicant, fuiſſe exiſtimo. Sed quanto ii homines ab iis rudioribus inſtitutis [quando ea rerum omnium ratio eſt, ut nihil ſimul inventum, & perfectum ſit] ad cultiores mores deveniebant, tanto etiam ab illis agreſtibus caſis diſcedebant. Nam quotidie multo laxiores, ac nobiliores domos ædificabant, eaſque foſſa, atque aggere cingebant; quas primum Oppida, poſtea Urbes appellarunt. Et hoc quidem Urbium condendarum initium primum inſtitutum fuiſſe, ſuſpicari poſſumus. Verum cum rerum omnium ſumma copia, ac ipſorum hominum multitudo uſque eo auctior facta eſſet, ut veteres Urbes eas capere non poſſent, & omnis materia ubique ad ædificandum abunde eis ſuppeteret, Reges, ac Reſp. tam ſtudioſi fuere, illi in novis Urbibus colendis, hæ in multiplicatis Coloniis deducendis, quam Principes noſtri nunc ſunt in ſuis ampliſſimis villis ædificandis. Hinc antiquiſſima Troia, hinc Patavium, hinc Alba, Carthago, Roma, tot Alexandriæ, complures Thebæ. Biſantium, Nicopolis, innumerabiles aliæ aut a Regibus, aut a Ducibus ſuis conditæ Urbes. Hinc Bononia, Placentia, Parma, Mutina, Regium Lepidi, multæque aliæ Romanorum Coloniæ, quæ quoto fere quoque luſtro ex Urbe in opportuna Italiæ loca deducebantur. Cum neque ii quoque defuerint, qui aut veteres Urbes ampliarint, ut Primus Hercules Ateſtius Ferrariam, Secundus Mutinam, ac Brixillum, aut fortioribus mœnibus, ac latioribus, atque altioribus foſſis, turribus, portis, cæciſque quibuſdam propugnaculis communiverint, ut in Patavio, Tarviſio, Bergomo, & in multis aliis ſuis Urbibus Veneti, & Alphonſus primus in una Ferraria, ac Hercules ejus filius in Mutina, Regio Lepidi, Brixillo, ac Carpis optime fecit. Sed Dii feciſſent, ut homines ſtudioſiores in evertendis poſtea, quam primi illi in condendis, Urbibus non fuiſſent. Multo enim rectius cum iis & ſemper actum eſſet, & hoc noſtro etiam tempore ageretur. Non enim unæ Athenæ, Thebæ multæ, Lacedæmona, non Troia,

non

non Adria, non Carthago, non Saguntum; non Corinthus, non Numantia, non innumerabiles aliæ Civitates in Europa, in Asia, in Africa dirutæ, atque solo æquatæ, quarum etiam vix nomen remanet, ab omnibus Scriptoribus tam miſere deflerentur. Hoc vero noſtro tempore [ne quid Marimburghi incendium, ne Romam ipſam a barbaris direptam, atque ejus Cives ſæpius divenditos, virgines, maritas, Veſtales omni ſtupro violatas, Pontificem ipſum obſeſſum pretio redemptum, profana, ſacra loco prædæ habita deplorem] una Sena totius Hetruriæ caput eo loci redacta non eſſet, ut vix nocturnæ aves in ejus tectis, atque ruinis habitent. Cujus miſeri Cives quaque verſus poſt biennii famem, plus quam Peruſinam, paſſi, bonis omnibus ſpoliati cum conjugibus, cum liberis, cum reliqua familia infeliciter pererrant. Sed non eſt hic locus, ut miſeriam humanam pluribus deplorem, qui ejus felicitatem initio perſequi ſtatui. Quare ad Ferrariæ Urbis conditores redeo, de quibus non una omnium eſt ſententia. Alii enim aliud de iis ſentiunt. Continuo enim ſunt, qui hanc ad Ferratum Noæ nepotem, unde etiam Ferrariam dictam volunt, uſque revocare non dubitent. Alii hanc, quo tempore Cremona, Mutina, Placentia Romanorum Coloniæ ductæ ſunt, cum multis aliis Urbibus, ædificatam eſſe affirmant; a quibus autem, nullum verbum. Cum neque deſint, qui dicant, antequam Attila in Italiam exercitum trajiceret, multos ex ejus adventu perculſos ex finitimis illuc locis, ubi poſtea Ferraria fuit, confugiſſe. Is autem locus erat cum limoſis paludibus, tum veprium etiam crebritate, quas Fratas ad vulgi rationem dicunt, ab omni hoſtili injuria munitiſſimus. Hic primum humiles, ac paſtoritias ex vimine, atque arundinibus caſas conſtruxere, ut qui in Patriam ſuam, cum ea belli rabies deſæviſſet, cogitarent. Sed cum illud bellum poſtea diutius tractum eſſet, ac in Patria omnia devaſtata, domos etiam ſolo æquatas audirent, in novis illis ſedibus manere, quam ad veteres redire maluere, qui locus continuo, a vulgari voce, Frata primum ab incolis, poſtea a cæteris omnibus Ferrara eſt dictus. Quidam etiam Urbis nomen a ferrario fabro inditum eſſe malunt. Nam quo tempore Attila Forum Julii cæde, atque igni devaſtaret, hoc in loco

loco egregium ferrarium fabrum fuiſſe dicunt, ad quem multi armorum cauſſa comparandorum accedebant, qui cum euntes, aut redeuntes, ut fit, in via, quo, aut unde interrogarentur, aut ad ferrarium, aut a ferrario ſua lingua reſpondebant, indeque etiam illud nomen loco poſtea manſiſſe, facile conjiciunt. Alii vero, iique etiam vero propiores, Tridentum, ſive Nuentum, quod etiam magis probatur, ubi poſtea fuit Ferraria, fuiſſe volunt. Hujus vero nomen magis a ferri penſione, quod Ravennati Eccleſiæ quoto quoque anno pendebat, impoſitum eſſe veriſimilius probant, quemadmodum item Argentum, atque Auriolum, alterum ab argento, ab auro alterum ea ratione eidem Eccleſiæ appenſo, ſunt denominata. Hæc ſane Urbs ad dexteram Padi ad ejus curſum, ad Divi Georgii nunc, olim poſita erat, quæ etiam Ferrariola dicebatur. Cum vero Theodoſius junior Bononienſis agri terminos uſque ad Padi ripam produxiſſet, ne Ferrariola Bononiæ ſubjecta eſſet, trans flumen trajicitur, atque in eo loco, ubi jam multa ſæcula feliciſſimo ſtatu ſub Ateſtiis Principibus floruit, atque adeo ſub Hercule II. felicius floret, nova Urbs conditur, nomen vetus Ferrariolam amittens, Ferrariam novum acquirit, cum tamen hæc non continuo foſſa, ac mœnibus cingitur. Nam CC. annos plus minus, quaſi longiſſimus ad ſiniſtram Padi ripam vicus manſit. Hanc Smaragdus a Mauritio Imperatore, ut dicunt, in Italiam miſſus, foſſa ac mœnibus ſepſit. Poſt vero aliquot annos Urbis nomine a Vitaliano Pont. Max. cohoneſtata eſt, quo etiam Vicihabentiæ Primarii Sacerdotii dignitas eſt translata. Hæc hactenus a nobis, reliqua cæteri. Satis enim mihi eſt, ſi me tibi, cujus univerſam dictionem etiam nimio plus interdum extollis, in hoc quoque quietiori ſcribendi genere minime ineptum eſſe plane comprobaro. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Baptiſtæ Sarachio S. D.

Gratulationis cauſſas de ejus publicæ procurationis abſolutione affert, & id in miſſione honeſta impetranda eum aſſecutum ſubjicit, quod ante ipſum nemo umquam obtinuit, eum ſumma bona Principis gratia dimiſſus ſit, quod ejus ſummæ prudentiæ, nulli autem fortunæ tribuendum eſt; ea honorifica conditione a Principe adjecta, ut ſua voluntate iis tertius adſit, quos muneri illi conſtituerit, eumque locum apud eos in conſulendo, atque providendo obtineat, atque (cum id commode facere poterit) in rebus agendis etiam interſit, ut, omni adminiſtrationis labore adempto, nihil ei de dignitate, atque auctoritate detractum ſit.

17. UTrum tibi magis ex iſta tua publicæ procurationis abſolutione gratuler, an communi utilitati doleam, qui in eo munere perfungendo ita omnibus ſatisfaciebas, ut, quibus Princeps negaſſet, ii quoque tibi magnam gratiam haberent, qui illis apud eum rogando, atque ſupplicando nuſquam defueris, haud ſatis habeo conſtitutum. Sed quod ad Civium utilitatem attinet, Deum Opt. Max. rogo, ut Princeps, cum te ipſum habere non poſſit, ſaltem ex ſuis multis optimis Civibus, quos tibi ſufficiat, tui ſimillimos deligat, ac quorum prudentia ſe magis in ſuorum Civium benevolentia retineri, quam exigendi acerbitate in ſummum eorum odium adduci ſentiat. Quod vero ad gratulationem, multæ cauſſæ ſunt, quamobrem eam tibi faciam. Primum enim quod eo onere liberatus es, cujus iniquo pondere brevi ut opprimereris, neceſſe erat, quando non ad unius Principis voluntatem ſemper, ſed ad aliorum etiam interdum libidinem res tibi gerenda eſſet, neque illi per iſtos parere, neque iſtis per illum obſequi tibi liceret, ac quaſi is fieres, qui inter Saxum, & Sacrum, hoc eſt, qui utrimque graves plagas omnino eſſes accepturus. Verum fac etiam uti iſti inter ſe optime conveniant, una ſit eorum æquiſſima conſenſio, multa ſuis permittat Princeps, æquiora ii quoque poſtulent; certe

qui

qui iſto modo rem privatam, quæ cum publica maxime conjuncta ſit, curat, neque de altera quicquam attingit, utramque ſeparatim habet, is Deus ſit, oportet. Omitto multa alia, ſummi laboris plena. Non recenſeo ingraveſcenti ætati tuæ omnia iniqua, rei tuæ familiaris curationem, cui liberius proſpicere poteris, facile prætereo. Unum illud non omitto, quod in miſſione iſta impetranda id aſſecutus es, quod ante te nemo umquam obtinuit, ut cum ſumma bona Principis gratia dimittaris, quod tuæ ſummæ prudentiæ, nulli autem fortunæ tribuendum eſt. Neque enim aliter fieri poterat, ut qui in ea curatione te prudentiſſime geſſiſſes, in ea item deponenda faceres imprudenter. Mortuo enim Guarinio Collega tuo, continuo tantam tibi occaſionem oblatam non omittis. Principem enim ipſum adis, rogas, non ut novum ſtatim Collegam tibi in tanto munere decernat, ſed ut te quoque eo prorſus liberet, ac quod Guarinius decedens a Deo impetravit, ipſe ab eo vivens libenter exores, jure optimo contendis. Graviſſimos ſeptuaginta tuos iſtos annos objicis, ut ſi id tibi vivo neget, ſaltem prope mortuo concedat. Rem familiarem, atque adeo familiam, quam ſuperiori anno filius decedens tibi reliquit bene grandem, ac puberem omnem, atque in te uno totam recumbentem, opponis; atque ita tamen hæc omnia, ut in quo tuam operam illi opus eſſe ſenſeris, eam te illi omnem tua ſponte eſſe præſtaturum pollicearis. Quibus rationibus ille victus, tandem, inquit, quoniam ita vis, atque rogas, etſi id ego invitus facio, facio tamen libenter, magiſque, quod, ut omnes audiant, altius dico, ut tibi gratificer, quam ut mihi obſequar, facio. Sed pro mea gratia hanc ego quoque a te gratiam repoſco, atque etiam, ſi fas eſt, rogo, ut duobus iis ſcilicet, quos ei muneri ſum propediem conſtituturus, ipſe tua voluntate tertius adſis, tuum locum apud eos in conſulendo, atque providendo obtineas, atque [cum id commode facere poteris] in rebus agendis etiam interſis, ut, omni adminiſtrationis labore adempto, nihil tibi de dignitate, atque auctoritate detractum ſit. Ut tibi non ſolum, quod liberfactus, ſed quod tam nobili libertate donatus ſis, valde gratuler. Tametſi pro iſta tua tam magnifica, atque liberali muneris tui dimiſſione, ſi quid ubique eſt congra-

tulationis, huc ego conferam, neque mihi, neque illi satisfaciam. Quæ vero attigi, id feci, ut magis non parvam hanc quoque animi erga te mei significationem haberes, quam ut pro rei dignitate me tibi amice gratulaturum sperarem. Vale.

www.libtool.com.cn

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Baptistæ Sarachio S. D.

Præsentem virum commendat, rogatque, ut eum in judicio expediat, seque ab illo negotio tandem explicet.

18. PRæsentem virum tibi commendo, hoc est, ut eum expedias, meque hoc negotio tandem explices, te rogo. Tuæ sententiæ remissum est; quicquid judicaris, ratum justumque erit. Quam vero causa liqueat, nihil opus est scribere, cum ipse scias, te in simili, atque prope eadem, superiori anno a nobis judicasse. Sed de judicio frustra est plura dicere; ut nos expedias, te etiam atque etiam rogo. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Baptistæ Sarachio S. D.

Caurilium vicinum, & familiarem suum commendat, ut in locum mortui Curionis, qui scripturis Consiliorum Justitiæ præerat, sufficiatur, utpote qui sæpe vicariam operam Curioni præstiterit, & unus domesticus sit, qui in iis scripturis optime sit versatus; cæteri vero in hac petitione cum Caurilio alieni vix eum locum ab ostio salutarint.

19. NIcolaus Caurilius meus vetus est vicinus, sed non ex eis vicinis, quos vulgus notat, verum ex iis, qui vicinitatem in propinqua amicitiæ parte ducunt, atque ita cum vicinitate summa familiaritas inter nos intercedit. Vicinitati ejus optimi mores accedunt, qui me vel multo etiam magis, quam ulla vicinitas, cum illo conjungunt. Quare etiam, in quo me huic quicquam prodesse posse sperem, vel mea sponte, omni studio, ut præstem, contendo, ut nunc tecum facio. Franciscus Curio,

rio, qui ſcripturis Conſiliariorum [ut dicunt] Juſtitiæ præerat, deceſſit. Scio multos, eoſque haud improbos viros, ejus locum petere. In his unus eſt Nicolaus Caurilius, qui Curioni in iis ipſis ſcripturis non ſolum totam ætatem operam dedit, ſed etiam, cum aut Curio abeſſet, aut ægrotaret, aut quapiam alia cauſſa impeditus eſſet, quo minus officio ſuo fungeretur, pro eo totam illam ſcripturæ rationem gubernavit; ea vero antiqua bonitate, atque integritate vir, quam omnes, qui apud eos Judices aliquando verſati ſunt, & optime norunt, & ſine ulla exceptione prædicant; ut, ſi virum bonum quæras, meliorem reperire non poſſis, ſi vero in ea re verſatum, prope alterum Curionem habeas. Huc accedit, quod indignum videtur, ut domeſtico alienus anteferatur, ac quod noſter vicaria opera, vivo Curione, ſummo ſibi ſtudio compararat, nunc, eo mortuo, ab altero eam ſibi eripi videat. Non nego, viros probos etiam longiſſime gentium in publica negotia adminiſtranda vel ultro accerſendos, verum, ſi eorum copiam domi habeas, tui non ſunt deferendi [ſi pietatem colas] ut alienis ſubvenias. Omnes enim in hac petitione cum Caurilio alieni ſunt; is ſolus eſt ex tuis, hoc eſt, qui in iis ſcripturis a puero optime verſatus eſt, cæteri vero vix eum locum ab oſtio ſalutarunt. Quibus rationibus, ac multis aliis, quas ego nunc omitto, ne id tantum argumentis impetraſſe videar, quod etiam tua gratia obtinere volo, ego nihil diffido, quin Caurilio locus decernatur; verum, ſi tua gratia, ac favor acceſſerit, multo is certior ei decernetur. Pro quo iſto tuo humaniſſimo officio ego tibi polliceor, fidemque meam obſtringo, te apud meliorem hominem, atque omnium gratiſſimum iſtud officium tuum ponere non potuiſſe; me vero, qui tibi multis de cauſſis plurimum debeo, hac una multo magis in perpetuum eſſe debiturum. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Alphonſo Calcagninio S. D.

Exponit, quid ſignificet phraſis canere intus. *Aſconii Pediani interpretationem affert, locumque Ciceronis in Verrem de Aſpendio Cithariſta clariorem ipſe reddit locupletet Ovidii, & Catulli teſtimonio.*

1o. NIhil tibi mirum videri debuit, Alphonſe, quod Frizolius noſter a me tibi retulit auditum, *canere intus* eſſe *ſiniſtra canere*. Dicendi enim modus eſt Ciceronis in Verrem de Aſpendio Citharista, qui optime ea manu canebat, quem locum Pedianus eodem modo exponit. Ita enim inquit: *Cum canunt Citharistæ, utriuſque manus funguntur officio, dextra plectro utitur, & hoc eſt, foris canere; ſiniſtra digitis chordas carpit, & hoc eſt, intus canere. Difficile autem, quod Aſpendius Citharista faciebat; ut non uteretur cantu utraque manu, ſed omnia, id eſt, univerſam cantionem intus, & ſiniſtra tantum complecteretur. Unde omnes, quotquot fures erant, a Græcis Aſpendii Citharistæ in Proverbio dicebantur; quod ut ille carminis, ita iſti furtorum occultatores erant. Valet hoc Proverbium in eos, qui multum inteſtinis ſuis commodis conſulunt præter honeſtatem*. Hactenus Pedianus de Aſpendio, atque dicendi modo illo, *intus canere*. Quare vero ſiniſtra *intus*, dextra vero *foris* ſit *canere*, ego arbitror intus dictum, quia qui ſiniſtra ſonus editur, ex inſtrumento non exit, ſed in eo quaſi leniter commoritur, itaque intus cani dictus eſt. Quod ſecus fit in plectro, quo nervi validius impulſi ſonum ſuum foras edunt altius; quod foris canere dixit. Recte igitur ſiniſtra intus, dextra vero foris canere uſurpavit Cicero. Ad id vero, quod Aſconius affert, ex iſto Aſpendii artificio omnes fures Aſpendii nomine a Græcis notari, eo fortaſſe factum eſſe dicerem, quod ſiniſtra in ſubducendo aliquid, a præſenti magis apta eſſe videtur. Quodam enim modo magis dextra attendi, atque obſervari ſolet. Hæc enim prætenditur, atque oſtentatur; interea ſiniſtra clam belle furripit; quam meam ſententiam Ovidius in Ajacis perſona innuere videtur, cum ait:

Nec

ut ego tibi commendem, humaniſſime a me contendit. Equidem, Sarachi, nihil ei debeo, Deoſque rogo, ne quid accidat, ut debeam, neque quam res æqua ſit, ſatis video, ut a Principe ſuis creditoribus ita quiſquam diſſolvere velit. Ipſe, qui rem planius cernis, quid ea ferat, videbis. Certe quicquid ipſe honeſtatis cauſſa Jacobo tua ſponte tribues, ſi ei mea quoque cauſſa aliquid addideris, id mihi erit vehementer gratum. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Baptiſtæ Sarachio S. D.

Rogat, ut adverſarium ſuum cogat ad integram pecuniam diſſolvendam, neque ſe diutius contemni patiatur.

11. VIde, quæſo, quid hominum Præfecturis tuis interdum præficias, quamque ii tibi gratiſſimi ſint. Legit ille tuas literas, vixque legit; quod multo magis eſt, quam nihil tibi obtemperaſſe, & tamen perfers. Me, mi Sarachi, ſi amas, ſi tuam auctoritatem quid facis, ſi æquum, juſtumque tueris, ſi miſeris opem benigne ferre non ceſſas: vides egentiſſimum hominem veſtitu ſordido, ore macerrimo, atque in omni inopia conſtitutum; juſſa tua renova, atque ea de nota renova, ut is te Virum eſſe intelligat, neque calumnias adverſarii noſtri audiat, aut etiam minas pertimeſcat. Nam qui multis judiciis damnatus ſit, quique diſſolvere cœperit, quid habeat, quo confugiat, ne reliquum diſſolvat, neque ego video, neque arbitror, quemquam videre poſſe. Te iterum rogo, atque oro, ut nunc cauſſam tuam, qui antea noſtram tuebaris, vehementius defendas, ut tandem ad noſtram pecuniam integram pervenire poſſimus. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Baptiſtæ Sarachio S. D.

Commendat Bartholomæum, & Jacobum Margotium patrueles, ut eos adjuvet in conficiendis rationibus ob vectigalia cum Principe, ut, compoſitis rebus ſuis, tandem incolumes domum ſe recipiant, hocque beneficio nihil ſibi gratius futurum ſignificat.

12. BArtholomæus & Jacobus Margotii patrueles hic ſunt jam triennium, ut vectigalium, cæterarumque rerum, quæ inter eos, & Principem verſantur, tandem aliquando rationes conficiant, ut poſtea in Patria ſecurius, ac commodius agere poſſint. Plane enim ſcis, Alexandrum eorum patruum, dum has eaſdem rationes procurat, a ſicariis per dolum nefarie interfectum; qui, ſi eo tempore domi ſuæ per hanc cauſſam agere licuiſſet, viveret adhuc, multos etiam annos, ut ætas ferebat, victurus, quod unum ſcelus, ne novo alio ſcelere augeatur, hi omni ſtudio provident. Quare etiam atque etiam me rogant, ut tibi eam rationum confectionem diligentiſſime commendem. Da mihi, Sarachi, in hac graviſſima cauſſa, ubi vita multorum in manifeſto periculo verſatur, quod in multis aliis non tam gravibus ſæpe dediſti: effice, ut, compoſitis rebus ſuis, optimi adoleſcentes domum ſe incolumes recipiant, atque tibi non ſolum hac rei abſolutione in perpetuum debeant, ſed quodam etiam modo vitam ipſam acceptam referant, qua una illis conſervata, mihi nihil gratius accidere poſſet, hoc eſt, tantum ego quoque pro iſto tuo beneficio tibi debebo, quantum ei, qui meorum vitam mihi conſervaſſet. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Baptiſtæ Sarachio S. D.

Orat, ut ſtatim Alphonſum Riccium a periculo ei ab exactoribus imminente liberet, neque tempus definitum elabi ſinat, ne mulctam improbe diſſolvere cogatur.

13. ETſi coram pro Alphonſo Riccio ita tecum egi, ut neque ille, qui aderat, a me amplius deſideraret, & rei æquitas pauciora poſtularet, quoniam tamen ei ab iſtis exactoribus tuis periculum inſtat, te hoc quoque modo rogo, atque oro, ut, ſi eum [quemadmodum nobis ſæpius recepiſti] iſta iniqua damnatione es liberaturus, id ante Idus Martias ei præſtes, quæ ſi damnatum præterierint, nulla poſtea ſpes illi relinquitur, quin mulctam illam improbe diſſolvere cogatur: quam autem prope inſtent, optime vides. Dum igitur per temporis brevitatem id facere potes, ne id nobis elabi ſinas, te etiam atque etiam rogo. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Baptiſtæ Sarachio S. D.

De filii morte ſe eum conſolari ſignificat, ne amicitiæ ſuæ uſquam defuiſſe videri poſſit, cum alioquin ipſe prudentia ſua conſolationem omnem capiat. Hortatur, ut valetudinem ſuam curet, & conetur nepotes ingenuos eo paterno perducere, quo pater filios perducere debebat.

14. ETſi ſcio pro ea animi magnitudine, qua præditus es, te unici filii obitum fortiter ferre, teque in tali caſu, quam alii conſolationem afferres, ex tua prudentia tibi eandem eſſe capturum; ne tamen amicitiæ noſtræ uſquam defuiſſe videri poſſim, tecum ea potius recenſere, quam tibi quicquam novi, quo dolorem iſtum tuum levares, afferre, ſum viſus. Amiſiſti filium unicum, virum probum, officioſum, quique ab omnibus ſua humanitate optime audiebat. Graviſſimum eſt, neque ſolum tibi patri, ſed cæteris etiam, qui eum norint;

circumagunt, ac quasi turbo faciunt, quem ventus pulvere commotum aut in orbem, aut huc atque illuc velociter contorquet. Iterum ac sæpius capitur pila. Defertur parum, multum. Iterum magna manus conseritur. Mixti plures, quasi apes, quæ per pedes aliæ aliis adnexę pendent, partim pilam de manibus adversariis evellere conantur, partim illi pedibus, manibus, humeris præsto adsunt; tuentur; hos iciunt; illos arietant; utrimque res fervet, atque valide laboratur. Saltu alii in aliorum humeros se conferunt, alii contra idem præstant. Pondere inferiores pressi tandem concidunt. Cumulus colluforum jacentium fit maximus. Brachia in hanc partem, capita in aliam, sursum versum crura, nates. Hi supini, resupini illi convertuntur. Mirum spectantium omnium risus. Tandem nodus ille extricatur, pila item emergit. Novum certamen. Ilia cura. Alii cursus, atque recursus, quoad pars altera pilam alterius partis septi caput ictu trajecit. Totius postremo ludi ratio, atque lex ea est, qua cæteris quoque nobilioribus pilæ ludis colluditur, ut pila nisi aut pedis, aut manus, aut alicujus alius corporis partis impulsu jactetur. Manus enim jactus in vitio est. Si vero aut humi fugiens septis exiverit, aut etiam ictu super ejus latera transferatur, frustra fit, eaque item inde intro remittitur. Ejus vero victoria in eo constat, cum pila ab altera parte ad alterius partis caput extra septum aut vi, aut dolo, aut arte, modo id aliquo impulsu fiat, superjicitur. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Alphonso Calcagninio S. D.

Se quasi novum Herculem a novo Eurysthco ex labore in laborem conjectum ait, & ab Harpasto ludo ad ludum Palamajum describendum invitatum, quem laborem se non fugere, ut ipsi obsequatur, significat. Postquam itaque graphice, & mirifico prorsus modo hanc ludendi rationem descripsit, dolet, podagra eum laborare, quæ ipsum impedit, ne utrumque ludum re ipsa experiendo perdiscat.

23. UT qui aliud ex alio, ita tu mecum agis, Alphonse. Ab Harpasto enim ludo ad Palamajum

[quem-

[quem dicunt] ludum deſcribendum invitas, meque quaſi novum Herculem novus Euryſtheus ex labore in laborem conjicis. Sed ut ego tua cauſſa poſſum omnia libenter ſuſcipere, ita ex eis me tam facile explicare poſſem, quoquo tamen hoc poſſum modo, non fugiam, ut tibi obſequar. Continuo igitur tria huic ludo accidunt. Pila, malleus, colluſores, quando nullus certus locus ei conſtituitur. Pila autem ex duriſſimo ac ſolidiſſimo fit ligno, ut ex cornо, ſorbo, olivo, cæteriſque ejus generis arboribus. Hujus autem forma æque in omnes partes optime tornatur. Craſſitudo vero, quæ rotundo ovo non multo ſit major; ut ſive per Cælum impellatur, illud facilius penetret, ſive humi repat, planius perlabatur. Malleus item ligneus fabricatur. Hujus autem ratio talis eſt. Pars fuſtis ſumitur ex fortiſſimo ligno ad trium digitorum plus minus craſſitudinem, longitudine autem ſemipedali. Hic ita a capitibus in mediam partem dolatur, ut in medio paulo fiat gracilior, capita vero craſſiora relinquantur, quorum alterum ad pilam ictu certius arietandam planum eſt, alterum ad eamdem facilius tollendam, quaſi lacunulam continet, cujus inferior pars, qua pila excipitur, paulo ſuperiore longius exit, atque protenditur, ab utroque tamen capite annulo ferreo cum ad graviorem ictum faciendum, tum ad fortiora mallei capita ipſa corroboranda ſatis affabre circumdatur. Hujus vero tota forma eſt, leviter ſurſum in cymbæ modum incurva, in medio foramen habens, ubi manubrium ligneum bipedale, aut paulo longius, defigitur, atque ita ut, quæ pars incurva eſt, ſurſum ſpectet, ac quaſi malus in navi erigi videatur. Hæc mallei ratio eſt. Qui vero ludunt aut ſinguli id faciunt, aut multi. Sed aut item per ſe quiſque, aut in ſuas æquas partes omnes diſtributi ſuo poſito pignore certant. Hujus autem impellendæ pilæ alia eſt, atque cæterarum ratio. Humo enim hæc tollitur, cum cæteræ niſi in Cœlo recte feriantur. Hæc igitur, ut cuique magis placet, [idque primo tantum tamen] in terra eo in loco, unde commodius tolli poſſit, apte collocatur: qua ita conſtituta, is poſtea, qui ludit, hoc modo ſe conſtituit. Pedes utroſque pares, eoſque inter ſe paululum diſcluſos humi defigit, ante quos in medio pilam collocat, ut eum ſe in humeros inclinet, in eam ad perpendiculum immineat. Tum malleum manibus aptat, videlicet

licet ut ſiniſtra manubrii ſummam attingat, dextra vero paulo ea inferius malleum regat, atque vim ei majorem addat, quem antequam in pilam impingat, ſemel atque iterum tollit, atque uſque ad pilam immittit, quaſi qui experiatur, an ea via ictus certior ſit futurus; quem ut certum perſpexit, tum pilam totis viribus, totaque arte icit. Tum illa partim per Cœlum volat, partim humi repit, quoad ſenſim deficiens commoritur. Sed ludi multiplex ratio eſt. Aut enim recta ac longa via, aut labi in ea, aut quoquo alio modo, ac loco magis luſoribus videtur; ut ſi ab Angelorum porta luſores conſtituant, uter prior [ut de duobus nunc agamus] ad Principum hortorum portam pilam ſuam impulerit, is victor ſit. Quo conſtituto quanta vi, quantaque arte uterque recta via ſuam malleo pilam quam longiſſime poteſt impellit; ſi vero alterius pila in curſu quid offenderit, atque longe retro reſtiterit, primum tum adverſario ſpes victoriæ aſſertur, ut qui prior ad conſtitutum ſignum ſuam pilam ſit conjecturus. In quo primo certamine ſunt, qui pilam in Cœlum tollunt, atque quanto longius poſſunt, eam impellunt; aliis magis placet, ut ea humi quaſi currentem imitetur, quod admodum periculoſum eſt. Non enim ita viæ planæ ſunt conſtratæ, ut multis in locis offendere, atque curſum ſuum cohibere non poſſit. Qui vero eam in Cœlum tollunt, rectius agunt, ſi recto id volatu fiat, neque ex viæ pariete in alterum parietem injecta brevi deficiat, parumque admodum repat. Sed hoc facillimum eſt, cum recta via decertatur; illud difficillimum, cum in obliquum atque etiam ex feneſtra in feneſtram pila eſt tranſmittenda. Neque illud quoque eſt facilius, cum per altiores ſcalas ſurſum pila adigitur. Quo in loco ea altero malleoli capite excepta extollitur. Nam niſi ea ad ultimum gradum conſtituatur, quaſi Siſyphius lapis item ad ſcalarum inferiorem partem delabetur: in quo uno devitando cum magna vis, tum vero ars peropus eſt. Siquidem altero ad ſummam ſcalarum altitudinem facile tollitur; alterum vero in ea extollenda maxime conſtat. Niſi enim eam apte in mallei capite cavo luſor eam excipiat, atque ſurſum agat, nunquam a primo gradu diſcedet. Cui artificio judicium quoque accedet, cum in parietis foramen aliquod erit immittenda. Cum vero aut in luto, aut in cavea, aut poſt quip-

piam

piam aliud adhæſerit, inde nullo extrinſecus auxilio accerſito, arte tantum adhibita, eruenda eſt; niſi colluſores inter ſe conveniſſent, ut inde in æquiorem locum pila transferri poſſet. Finis autem is ſemper eſt, quo, qui ludunt, eam adigendam eſſe inter ſe conſtituerint. Habes, Alphonſe Calcagnini, poſt Harpaſtum ludum ejus quoque [quem Palamajum dicunt] planam, ut ego arbitror, deſcriptionem. Utinam autem ipſe in utroque exerceri per tuam podagram poſſes. Mihi enim nullus hic labor extitiſſet, ipſe vero id a te re ipſa experiendo perdidiciſſes. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Herculi Calcagninio S. P. D.

Ejus in ſcribendo elegantiam laudat, hortaturque, ut nobiliora argumenta ſibi ſumat ad ſcribendum, ne in humili, ac pertrita materia ſterilis eſſe cogatur.

24. NIhil erat, quod tot ac tantas mihi gratias ageres, quod de Frizolio noſtro audieris tua ſcripta a me tam impenſe laudari. Id equidem ex ea benevolentia, qua te proſequor maxima, feci libenter, ſed, quod id facere poſſem, totum eorum fuit elegantiæ. Me, tibi affirmo, qui iſta tua ætate, ut tu facis, ſcribant, paucos vidiſſe; qui elegantius, neminem, ut ſi pergas ſtylum tuum exercere, neque ſcriptionem tuam intermittas, mihi nullum dubium ſit, quin una cum ætate tua dictionis tuæ ſplendor accreverit, atque elegantiſſimus ſcriptor fias. Tuum tamen hoc ſtudium valde probo; cum hoc quoque modo, ne a ſcribendo diutius vaces, nihil omiſeris argumenti; qui in hanc quoque vulgarem gratiarum actionem deſcendere nihil veritus ſis. Nam ſi mihi, quod ſentio, libere dicendum eſt, tuæ iſtius epiſtolæ oratio quodammodo ſcribendi ceſſatione aliquantulum refriguiſſe videtur. Utrum autem ita ſit, tu tibi omnium optimus es teſtis. Certe cum ea, quæ mihi tantopere probata eſt, non eſt conferenda, cujus cum argumenti ratio, tum orationis ornatus multo erat illuſtrior. Etſi non me fugit, quin rei argumentum gravitate ſua orationis dignitatem plurimum adjuvet, ut item contra

in

in humili, ac pertrita materia, ſteriles, ac vulgares eſſe cogimur. Quare, ſi me audias, aliquod jam nobilius argumentum tibi ſumpſeris ad ſcribendum, in quo iſta tua florens oratio quaſi in Benvignanti tui pratis liberius efflorescat, ac laxius ſpatietur. Vale.

BORTHOLOMÆUS RICIUCS

Thomæ Calcagninio S. D.

Hortatur, ut aſſiduo ſtudio dicendi rationem ſibi comparet, omniaque ſemper ad Ciceronis imitationem faciat, ex quo non ſolum rerum imago, ſed verborum quoque delectus ſumendus eſt, certetque cum fratre, non ſolum ut eum dicendo, ſed etiam provocando ſuperet.

25. HErculis fratris tui literas perlegi, mehercule & eleganter, & docte conſcriptas. Nam & in eo, quod tibi fraterne ſuadet, rectiſſime ſentit; id autem, quam is facit, qui ætatem in dicendo conſumpſiſſet, neque aptius neque expolitius explicuiſſet. Eſt enim ita, Thoma, ut, qui in quaque facultate excellere cupiat, is in illa ut aſſidue verſetur, maxime oportere. Atque ſi ulla eſt, quæ hanc aſſidui ſtudii contentionem deſideret, hanc eſſe ſcito, ad quam frater tuus te hortatur, dicendi rationem. In hac igitur quaſi infans facere debebis, qui quo plura a parentibus, atque a nutrice quotidie fari conabitur, eo citius ad perfectam rerum locutionem perveniet; qui vero tria verba in ſingulos dies balbutiet, is ſemper infans, ne dicam mutus, erit. Scribas igitur, reſcribas, deleas; quæ non placent, reponas, quæ probatiora videbuntur, cum vera deerunt, ficta tibi excogites argumenta, vel quicquid in buccam, modo id ſemper ad Ciceronis imitationem facias, ex quo quoniam non ſolum rerum imago, ſed verborum quoque delectus ſumendus eſt, in eo ſolo lectionem tuam occupabis, atque in uno eo verſando, atque ediſcendo habitabis, propria, translata, cæteraſque ejus virtutes diligenter obſervans, partim memoriæ mandans, pleraque in codicem tuum transferens, quæ, cum uſus venerit, inde mutueris. In quo ſcribendi ſtudio id quoque aſſequere, ut cum ex tempore tibi erit interdum Latino ſermone loquendum, nonnihil

ex

ex ejus elegantia retineas, faciaſque quaſi navis, quæ plenis velis feratur, quibus etiam deductis, ſuperiori fuga per aliquod ſpatium curſum ſuum retinere pergit. In hanc igitur aſſiduam ſcribendi rationem accurate incumbas, ac potius fratrem ad ſcribendum laceſſe, quam ut ab eo provoceris, atque cum illo certa, non ſolum ut eum dicendo, ſed etiam provocando, ſuperes. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Thomæ Calcagninio S. D.

Rogatus, ut in Academicorum numero ſe adſcribat, eorumque conventum certis quibuſdam diebus frequentet, rationes multas affert, cur honeſtiſſimæ ejus voluntati parere non poſſit; pollicetur tamen, ſe Academicos interdum viſurum, eorumque diſputationibus fruiturum; quin etiam, ſi caſus ferat, atque rogetur, ſententiam ſuam libenter dicturum.

26. MUlta mihi quotidie minime optata, quæque ego periniquo animo feram, accidunt, ſed nihil mihi unquam minus optatum, quodque iniquius ferrem, accidit, quam quod ſummo atque honeſtiſſimo iſti tuo deſiderio obſequi non poſſim, ut unus in tuorum Academicorum numero adſcriberer, atque cum iis poſtea certis quibuſdam diebus conventum veſtrum frequentarem, quæ mea moleſtia, cum tua cauſſa mihi gravis eſt, tum iis etiam rationibus, quæ me impediunt, quo minus tibi morem geram, multo fit gravior. Continuo enim annos meos vides, quos etſi adhuc ſatis bene ferre videor, ſuo tamen vel numero non parum me deterrent, qui ſequenti menſe in ſexageſimum quintum annum ingrediuntur, cujus ætatis homines, qui ſunt, ſatis habent, ſi in acquiſitis ſtudiis conquieſcant. Neque enim veſperi ad multas noctis horas ſua ſtudia producere, neque totidem ante diem ex lecto ad ea ipſa exurgere poſſunt, multo vero minus ad alicujus difficillimi loci verum ſenſum auditoribus eruendum, aut ad ea ample, ac magnifice conquirenda, quæ poſtea de ſuggeſtu cæteros edoceant. In ſuperiori enim [ut ad me redeam] laborem ferre non poſſum; in poſteriori, ut nihil dicam de oculis, qui niſi aliena ope adjuventur, in noſtris hiſce ſtudiis

diis mihi frustra sunt. Memoria ita me deficit, ut etiam in scribendo interdum idem in eodem scripto immemor reponam. Quod tamen mihi cum meo Aloysio Atestio quotidie adhuc faciendum esse vides; ut, si vestrum onus huic meo instituto accedat, magnum periculum sit, ut neutrum ferre possim; id certe sequetur, utrumque ut languidius sustineam. Ex qua ratione id quoque colligitur, mihi minime integrum esse, ut si meo commodo id facere possim, haud tibi tamen recipere queam, quem alieni juris esse intelligis. Quod autem temporis ab eo mihi vacat, id omne mea studia jure optimo sibi vendicant. Quotidie enim, atque adeo in singulas horas, mihi occurrit, ut aut ad amicos scribam, aut rescribam, aut etiam in aliquo alio argumento stylum meum occupatum teneam, quod omnium mihi optatissimum est, ac in quo omnem voluptatem capio, atque a cæteris studiis defessus totus reficior, atque recreor. Quare etiam ficto argumento sæpius in ea scribendi ratione me oblector; quam delectationem vel aureis montibus mihi impediri nollem. His accedit, quod vetera mea scripta, quæ sunt multa, ac multiplicia, mihi nunc quotidie describuntur, atque melius corriguntur, ut impressori [quem dicunt] postea edenda mittantur. Quæ omnia vel multorum hominum studia, nedum mei solius opera confici possint, facile desiderant. Sed ludicra hæc sunt tamen præ iis molestiis, quas mihi lis affert iniquissima. Et certe qui ad Judices causam dicunt, in Ixionis rota assidue versantur, verum qui inique, qui contra jus omne accusantur, neque audiuntur, Inferorum pœnas in se sentiunt omnes. Scit Lollius noster, quandam mulierem fictis tabulis a me fundum amœnissimum auferre conari, remque ipsam annum, & dimidiatum alterum ad Judices agi. Quæ interea odiosa, iniqua, ac morte ipsa etiam graviora pertulerim, ne expecta dum dicam. Ego amico, siquid recte ominari studeam, hoc in primis illi optem, ut is vitam lite vacuam agat, contra inimico, ut in ea totam illam habeat occupatam. Res me præterea [quod caput est] familiaris urget nimis, qui solus bene frequentem familiam alam, vestiam, gubernem, cui curæ, quantum studii, & impendii adhibendum sit, is scit, qui in pari & re, & familia constitutus. Navis, & mulier, inquit

ille,

ille, duo ſunt, quibus ſemper aliquid deeſt; ego vero haud iniquius familiam addo. In hac enim hoc provideas, aliud deſideratur, ſupple id quoque, multa interim naſcuntur, quæ renoves, quæque compares. Hæc ſunt, & multa alia [ne meas omnes calamitates nunc tecum communicem] quibus honeſtiſſimæ voluntati tuæ obtemperare non poſſum, quod mihi ad cæteras meas miſerias moleſtiæ ſuam quoque non minimam partem affert, ut in quo ſtudio multis mea ſponte, atque iis ſæpius invitis largus fui, in eo tibi roganti morem gerere per meam fortunam mihi non liceat. Id quidem, Thoma adoleſcens optime, quod poſſum, tibi polliceor, ut, ſi quid in ſcribendo uſui tibi opera mea accidat, quando tu me in ea re aliquid valere putas, ubi politiorem ſcribendi rationem deſideres, numquam tibi ſum defuturus. Viſam ego tuos Academicos interdum, niſi me vos quoque excluſum eſſe velitis, quando me mea fortuna a vobis ſecluſit, atque veſtris omnium diſputationibus perfruar. Quin etiam, ſi caſus ferat, atque roger, ſententiam meam libenter dicam. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Thomæ Caleagninio S. D.

Significat, ſe temporis injuria impediri, quominus ad eos advolet, cum totum Cœlum nubibus, atque imbribus oppletum ſit; pollicetur tamen, ſi ſerenius fiat, ſe nihil citius curaturum, quam ut cum ipſis ſit, maneatque, quamdiu licebit.

27. EQuidem mea ſponte ſummo deſiderio veſtri omnium videndi jampridem tenebar, verum ut tuas literas legi, quibus me non ſolum invitares, ut ad vos accurrerem, ſed quaſi etiam accuſares, quod meam expectationem jam nimis crebro vobis commoverem, ita ſum incenſus, ut vix me continuerim, quin iſto etiam Cœlo, quod totum in imbrem defluit, equum conſcenderim, atque ad vos totus perfluens advolarim. Hoc quidem mihi deerat ad reliquam meæ fortunæ infelicitatem, ut quam a Principe meo diſcedendi libertatem haberem, eam adverſi temporis iniqua iſta ratio mihi, ut facit, interci-

terciperet. Vides enim ut totum Cælum nubibus, atque imbribus oppletum ſit, neque melior ſpes oſtentatur, illud tam cito ſerenius futurum; quod tamen ſi detur, certe via lutulentiſſima in multos dies eſt futura. Sed equi illud erit incommodum, modo ſudum ſit. Sudet equus, ut lubet, nihil ego citius curabo, quam ut vobiſcum ſim, maneamque quamdiu licebit. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Thomæ Cuſpio S. D.

Sibi valde moleſtum fuiſſe ſignificat, quod Bononiæ eum non offenderit, ibique ſe plane hoſpitem eſſe, nec quemquam habere, quicum vel verbum familiariter loquatur.

28. JAm ſeptimum diem Bononiæ eram, ubi te non offendiſſe, mihi valde moleſtum fuit. Plane enim hoſpes ſum, nec quemquam habeo, quicum vel verbum familiariter loquar. Reliqui enim veteres amici omnes ruſticantur, qui, ſi affuiſſes, mihi pro univerſa Civitate eſſe potuiſſes. Sed Legationis tuæ tamen finem appropinquare audio, ut ſperem ante, quam diſcedam, omnino te videre, quæ mea hic diuturnior commoratio eo quoque levior videbitur. Vereor enim, ne publici iſti deſcriptores meam editionem vel tribus tuis Legationibus longius producant. Catherinam uxorem tuam ejus viſendæ cauſſa continuo adivi; ſe minus belle habere, atque alias ut redirem, reſponderi juſſit, quod faciam, cum primum mihi per librariam occupationem licebit. Vale, atque ad nos incolumis redi. Bononiæ Id. Octob. MDLVII.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Thomæ Cuſpio S. D.

Ob ingreſſum Principis ſui in Urbem ejus mulam petit, ut ei obviam ad portam occurrat; multo tamen honorificentius futurum ait, ſi ambo una fuerint; oratque, ut de eo, quod conſtituerit, ſe certiorem faciat.

29. PRinceps meus in Funo vico cibum capiet, tum in equum ad celeritatem primum diſpoſitum conſcendet; atque ita alia porta in Urbem ingredietur, alia item ex ea egredietur, nuſquam quidquam conſiſtens. Mulam tuam expecto, ut illi ad portam obviam occurram, niſi mavis ut una ſimus, quod mihi multo honorificentius eſſet, & Philippi tui cauſſa tibi haud inutilius. Quid igitur conſtitueris, me certiorem feceris. Audio, Philippum in Galliam præmiſſum, ut nihil ſit, quod eum amplius expectes. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Thomæ Cuſpio S. D.

Correctionem loci cujuſdam Cæſaris facilem eſſe ait, optatque, ut multa loca, quæ in Cicerone, & aliis Scriptoribus mendoſe leguntur, eadem ratione corrigi poſſint, ne in iis ad veram ſcriptionem revocandis die, noctuque Manutius inſudet.

30. UTinam, Cuſpi, reliqua, quæ in Cicerone, Cæſare, ac reliquis Scriptoribus mendoſe leguntur, hanc facilitatem haberent ad corrigendum, quam tuus in Cæſare locus habet; Manutius meus non tam die, noctuque in multis ad veram ſcriptionem revocandis inſudaſſet. Quædam enim ſunt vel nodo illo Gordiano implicatiora, ut illud ad Atticum: *ſane facere facile eum, libenter nunc cæteri conſuli acciderint.* Nam cum ſatis totum illud opus perpurgarit, nondum tamen, qui ſenſus, aut quæ ejus loci germana ſit lectio, deprehendere potuit. Sed ad noſtrum redeo. Omnes [quod viderim] Codices, etiam

etiam Aldini, ſcriptum habent, ut tuus. *Quod non fore dicto audientes, neque ſigna laturi dicantur, nihil ſe ea re commoveri. Scire enim quibuſcumque exercitus dicto audiens non fuerit, aut re male geſta fortunam defuiſſe, aut aliquo facinore comperto, avaritiam eſſe convictam, ſuam innocentiam perpetua vitæ felicitate Helvetiorum bello eſſe perſpectam.* Quæ poſtrema periodus mendoſe legitur; ſed facilis eſt erroris deprehenſio. Legas tu ad hunc modum: *ſuam innocentiam perpetua vitæ, felicitatem Helvetiorum bello eſſe perſpectam*: & integrum locum reſtitueris. Verba enim ſenſui convenient, ſenſus autem ſenſui nihil diſcrepabit. Suam innocentiam atque fortunam commendat Cæſar, cum dicit, illam ex totius vitæ ratione, hanc ex Helvetiis devictis omnibus perſpectam fuiſſe, hoc eſt, ſe ſemper innocenter egiſſe; in Helvetiis autem ſuperandis magis ſua fortuna, quam etiam virtute uſum fuiſſe. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Matthæo Fabrio S. D.

Orat, ut Doleti volumen ſibi emat, deque ulicui perferendum, cujus diligentia nihil damni patiatur.

31. PAulus Manutius iſthuc venit. Is tibi tantum pecuniæ meo nomine cum his literis reddet, quanti ſecundum Doleti volumen venit; hoc ut emeris, vide cui des mihi perferendum, ne ejus negligentia aut ab aqua, aut ab equi ſudore quicquam patiatur. Recte ego pro vectura ei diſſolvam. Vale.

BARTHOLOMÆI RICCII

www.libtool.com.cn

EPISTOLARUM

LIBER OCTAVUS.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Cœlio Calcagninio S. D.

Rogat, ut conetur ſibi demandari curam in re literaria Alphonſi Principis Herculis Principis Filii, & ut non cum multis huic ſuæ petitioni ſtudeat, ſed ut ſolus eam ſuſcipiat, atque tranſigat, profiteturque, eum iſto ſuo beneficio cumulatiſſima omnium omnia officia facillime ſuperaturum.

1. EMaldius tuus ſuperioribus diebus me convenit, ac, quantum de me honeſte & ſentires, & loquereris, mihi plane expoſuit; cum diceret, te uſque eo meæ dignitati conſultum velle, ut doleres, quod potius iſthic, quaſi in aliqua luce, vel inter domeſticos parietes nobilioribus in docendo operam aliquam non darem, quam in quovis nihili Oppido hoc idem publice facerem. In quo ego tuam illam, quam omnes homines tibi ingenitam bonitatem & prædicant & admirantur, facile agnovi. Ego, mi Cœli, quando id nunc ſane ſuo tempore facere videor, primum tibi conſilii mei rationem omnem exponam; poſtea te rogabo, ut quam tui erga me amoris præ te fers ſignificationem, eam re ipſa nunc, cum facultas datur, recte comprobes. Hoc ipſum equidem, Cœli, cupio, quod tu, verum alia id ratione cupio omnino. Nam quod hic ſim, ubi ne Cœlum quidem bonum eſt, quam moleſte feram, dici non poſſet; præſertim cum paulo ante ex ea doctiſſimorum hominum frequentia, quam Patavii, atque Venetiis eſſe optime noſti, in has ſolitudines, vel ſolicitudines potius me conjecerim; ut quoties horum in mentem venit, venit autem ſæpe, ſatis mea ſponte inciter ad hinc, ſi quo poſſim, honeſte e-

vo-

volandum, ubi una ſaltem mediocriter literati Viri deambulatiuncula pro hoc tanto meo ſolitario Regno frui poſſim. In quam meam curam cum dies & noctes incumberem, multaque ſimul animo verſarem, id mihi unum ex omnibus, vel ſolum potius cum ad utilitatem, tum ad dignitatem meam cumulate amplificandam accommodatum eſſe intelligebam, ſi, cum ejus ætas id ferret, quę jam inſtare dicebatur, Alphonſi Principis Herculis Principis Filii cura in re literaria mihi demandaretur. Quod meum conſilium ſtatim iſthuc ad quoſdam meos maxime neceſſarios ſcripſi, ut cum id probaſſent, reliqua ipſi, quę huic rei uſui futura arbitrarentur, diligenter proviſerent. Quo quidem tempore ſcio, Ferrinium tuum te in primis adiiſſe, atque ſuo nomine magnopere a te contendiſſe, ne inter tot gratioſorum Civium ſtudia, quæ mihi meorum amicorum gratia comparata eſſe ſperabat, tuum, quod huic petitioni eſſe maximum videbat, deſiderari permitteres; cui tu [quæ tua ſumma eſt in tuos omnes benignitas] omnem tuam operam, omniaque tua ſtudia liberaliter recepiſti. Paucis habes, Cœli, quæ mei totius conſilii ſit ratio. Reliquum autem eſt, ut nunc, cum res, ut mihi quidem ſignificatur, agi eſt cępta, precibus omnibus a te contendam, non jam ut cum multis huic meæ petitioni ſtudeas, ſed ut ſolus eam ſuſcipias, atque tranſigas. Quod non tam facio, ut habeas, quo fidem tuam maxime liberes, quam quo ſtudia tua, quæ maxima in hoc meo ſummo, ut ita dicam, bono poſiturus es, allorum ſtudiis minus quicquam eluceſcant. Tametſi qui Principi noſtro meorum ſtudiorum id teſtimonii, quo uno ad hanc rem maxime opus eſſe ſciebam, præberet, quem alium juxta, ac te, probatum haberem neminem. Quin tibi perſuadeas velim, me nihilo majorem voluptatem ex iſto facto, ſi impetro, quam quod per te tantum auctorem impetrem, prorſus eſſe percepturum; nec mihi quemquam ex omnibus dari potuiſſe, cui magis hoc omne officium acceptum referre & velim, & cupiam. Unus enim tu mihi ex iis, qui interioribus ſunt literis, quem ego alterutro conjunctionis genere, hoc eſt, aut in beneficio accipiendo, aut conferendo mihi adjungerem. Itaque, quod prius oblatum eſt, id arripui, alterum, cum uſus veniat, haudquaquam declinaturus. Suſcipe igitur, mi Cœli, totam iſtam provinciam, quam etiam,

cum ſuſceperis, ne prius deponas, quam recte, atque ex ſententia confeceris. Maximum id mihi quidem eſt, quod a te peto, ſed non tam id mihi maximum eſt, quam tibi factu longe facillimum. Quanti enim Princeps noſter te faciat, quam id jure optimo faciat, plane ſcio; quantum autem hac una in re tuo judicio fidem habiturus ſit, mecum omnes facile vident. Illum igitur, Cœli, de cujus dignitate paulo ante ſponte tua tam amice ſolicitabaris, nunc omnibus cum ejus, tum communium omnium amicorum precibus rogatus, in tanta, tamque honorifica, quam Dii immortales tibi offerunt, occaſione, cura, ut tecum habeas, ideſt, ut tuo beneficio, non ſolum ex ignobiliori loco, ſed ad altiſſimum dignitatis ſuæ gradum adducatur. Quod ſi abs te impetro, equidem fateor, me longe plures habere, quibus longe plurimum debeam, verum tibi ſoli, quam cæteris omnibus multo magis eſſe debiturum, polliceor. Uno enim iſto tuo beneficio cumulatiſſima omnium omnia officia facillime ſuperabis. Vale. Lugi.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Bartholomæo Ferrinio S. D.

Oſtendit, Ferrinium negligentiæ accuſandum non eſſe, quod ad omnes ſuas literas non reſcripſerit, neque ſe ullo officio ejus officium, quod ſæpe ad eum ſcripſerit, viciſſe; rogatque, ut, qua eſt ſagacitate in hominum ſententiis detegendis, conetur intelligere, quid homines de ſua quadam Oratione ſentiant, idque, quidquid illud ſit, ad ſe quamprimum perſcribat.

2. QUanquam ego ad multas meas literas unas tuas magis expectabam quotidie, quam ut per omnes, qui iſthinc ad nos proficiſcuntur, ſilentium tuum excuſares, non mihi tamen tam moleſtum fuit expectationem meam me fruſtra habere, quam gratum, intermiſſarum literarum tuarum excuſationem ad nos aſſidue perferri. Nam in eo, quod deſiderio literarum tuarum afficiebar, ſane una ratio id moleſtiæ mihi ſublevabat; quod meis literis ſciebam, nihil omnino interdum eſſe, quod magnopere opus eſſet, ut ad eas reſcri-

reſcriberes. In eo vero, quod te excuſare non ceſſas, non ſolum amorem ſummum erga me tuum præ te fers, ſed etiam officium tuum negligentiæ quodammodo accuſare videris, ut illud mihi tecum quoque, quod ego in amicitia plurimi ſemper feci, evenire videatur, ut amicum, in quo officii genere velis, libentiſſime vincam. Sed neque, mi Ferrini, [licet enim, quod verum eſt fateri] ipſe negligentiæ accuſandus es, quod ad omnes meas literas non reſcripſeris, neque ego ullo officio tuum officium, quod ſæpius ad te ſcripſerim, vici. Nam quod tu crebriores a me literas accipias, id propterea fit, quod ego hoc ſcribendi genere ita delector, ut ſæpius etiam ſine ullo ſcribendi argumento calamum ſumam, & quicquid in buccam, ſcribendo mihi epiſtolam vel bene longam conficiam. Tua vero alia ratio eſt. Nam cum Principi noſtro in ſcribendo operam des, ac in ejuſmodi ſcribendarum literarum ratione, quæ graviſſima eſt, aſſidue detinearis, ad id propterea literarum genus, quod leviſſimum eſt, ſtilum tuum aut non libenter, aut non tam crebro accommodare ſoles; quod tamen quoties facere non gravaberis, unis tuis literis ad multas meas literas plane ſatisfacere poteris. Quin tantum abeſt, ut ego literas tuas requiram, ut cum meis rectiſſime actum exiſtimem, ſi illas ſua crebritate nullam tibi homini in rebus maximis occupatiſſimo moleſtiam afferre intellexero. Si me tamen tantum amas, quantum ſane facis, vel quantum ſcis potius te a me coli, odorare, ſi quid de Oratione noſtra. Ad Antonium Muſam nihil dubito, quin pervenerit. Locus enim in ea eſt, qui id maxime poſtulat. Fortaſſe etiam de Guarinio, ac de Cœlio quærere poteris. Sed cum Cœlio haud nobis ſatis commode accidit, eum ſcire, qua me tu benevolentia complexus ſis, ut ſi quid in ea minus apte aut dictum, aut poſitum offenderit, minus libere ea ratione proferre audeat. Tu tamen, quæ tua eſt ſagacitas in hominum ſententiis detegendis, quid ille de ea ſentiat, facile deprehendes, idque, quicquid illud ſit, curabis, ut quamprimum intelligam; ſimul & illud, quantum Franginius cauſſam meam comprobarit, diligenter perſcribas, rogo. De præſtigiatore illo vaferrimo cum poteris, niſi in hiſce Saturnalibus tantum in Principum cœnis operæ ponat, ut domum cogi nequeat. Sed eum

plane mihi præſtigias injeciſſe timeo, qui nondum videre ſe ſinat. Vale.

www.libtool.com.cn

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Bartholomæo Ferrinio S. D.

Mucinum ex maxime familiaribus ſuis commendat, ut, quidquid ei commodare poterit, ſuo nomine præſtet, vultque, eum ſcire, quidquid ei præſtiterit, apud gratiorem hominem ſe ponere non potuiſſe.

3. JOannes Baptiſta Mucinus unus eſt ex meis maxime familiaribus, ſed hoc ad ejus erga me merita leviſſimum eſt, merita autem ad eam obſervantiam, qua me proſequitur, nihil. Hunc igitur ita tibi commendo, ut talem ego facere debeo, & tu faceres, ſi quem ejus generis officioſiſſimum Virum mihi commendares. Quicquid ei commodare poteris, primum meo nomine, ut ei præſtes, te etiam atque etiam rogo, deinde ſcire te volo, quicquid ei præſtiteris, apud gratiorem hominem te ponere non potuiſſe. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Bartholomæo Ferrinio S. D.

Probat, Principis pueri ætatem, quem erudiendum petierat, non esse immaturam ad prima literarum rudimenta percipienda: puerorum ingenia non magis ad temporis rationem, quam tempus ad eorum naturam accommodandum esse: illos, qui naturæ bonis ad aliquam artem abundare videntur, primo quoque tempore ad illam esse prudenter inducendos, cum ut citius ad maturitatem suam perveniant, tum ne eadem cessando quodammodo obtusiora fiant: periculum esse, ne, cum paululum adoleverint, sursum ab ea declinent; Principum filii potissimum, qui ubi sentiunt, se Principes natos, continuo a studiis, tamquam a capitali peste, abhorrere solent; quibus etiam ab adulatoribus suggeritur, vulgarium, atque humillimorum hominum esse scire literas; Principum autem equitare, venari, jaculari, ac doctissimis etiam Viris imperare: Platoni hanc legitimam instituendi ætatem maxime comprobari. Diluit tandem, quæ contra afferri poterant, & Federici Gonzaghii Mantuæ Principis exemplo in suam sententiam eum trahere conatur, oratque, ut, cum facultas dabitur, Principi Patri id persuadeat, ne sua negligentia conditio ista tam honorifica sibi elabatur.

4. UNas tandem tuas ad tres meas literas accepi, quibus primum te excusas, quod ad me nihil prius rescripseris, eo factum esse, quod duos hosce proximos menses in Legatione ad Cæsarem abfueris, measque domum rediens apud tuos offenderis; quam excusationem non solum æquo animo accipio, verum etiam tibi, & eam dignitatem, & te incolumem ad tuos rediisse, vehementer gratulor. Deinde Principis pueri ætatem dicis etiam dum immaturam videri, minimeque aptam, quæ ad prima literarum rudimenta admittatur. Qua de re, quoniam id ex parentis Principis ore te loqui puto, ne hac causa alias uti possitis integra, pluribus nobiscum agere statui. Duo sunt, Ferrini, quæ ex hac facultate percipiuntur; alterum linguæ ratio, rerum cognitio alterum; posteriori fortasse grandior ætas opus est, priori certe hęc pue-

puerilis propria esse videtur. Nam quemadmodum nos in nostra Italica, Galli in sua Gallica, Hispani in Hispanica, Germani in Germanica, cæterique in sua faciunt perdiscenda, quam a nutrice, & parentibus vel a primis mensibus quasi mansum alterum articulatim accipiunt, ita in Latina percipienda faciendum esse censeo. Quare pueri quintum, & dimidiatum alterum annum nihil est, quod nobis objiciatis, cui videtis prima illa linguæ rudimenta quasi cum lacte sensim esse instillanda. Equidem, Ferrini, non magis ad temporis rationem puerorum ingenia, quam tempus ad eorum naturam accommodandum esse existimo; sicut in hoc nostro faciendum esse statuo, quem ingenio vel multo grandiorem ætatem præcurrisse omnes & prædicant, & admirantur. Nisi tu forte cessationem hanc ingenii celeritati argute condonare velis, quem brevi speres, ut se ad studia applicuerit, quicquid otii interea contractum erit, cumulate recuperaturum, atque iis hoc temporis amplius relinqui, quibus omnia a studio, atque ab arte sunt petenda, ut eodem una, si possint, cum iis, qui a natura omnia adjumenta habent, æque, ac feliciter perveniant; quæ tua tamen sententia haud mihi quicquam probatur. Immo vero isti ipsi, qui naturæ bonis ad aliquam artem abundare videntur, primo quoque tempore ad illam sunt prudenter inducendi, cum ut citius ad maturitatem suam perveniant, tum ne eadem cessando quodammodo obtusiora fiant. Sed eo quoque nomine viam hanc continuo noster insistere debebit, quia maximum periculum est, ne, cum paululum adoleverit, seorsum ab ea declinet. Quis enim octavum illum annum in Principe puero tam facilem sperare audebit, quam hunc, atque reliquum alterum, quibus puer quasi mollis cera, quoquo eum duxeris, sequetur? Non enim Principis ætatis eadem ratio est in discendo, quæ cæterorum est hominum. Hi enim aut vi, aut metu impulsi faciunt; illi vero contra, nisi aut istorum annorum imprudentia, aut magistrorum ipsorum prudentia decepti, in ulla bona studia illici non possunt. Ut enim sentiunt, id quod statim sentiunt, se Principes natos esse, continuo ab hisce studiis, tanquam a capitali peste, abhorrent. Quin si quem naturæ vitio hæc cognitio aut fugeret, aut non tam cito illi sese aperiret, continuo non deerunt, qui id illi suggerant, atque

que omni adulatione demonſtrent, vulgarium atque humillimorum hominum eſſe ſcire literas, Principum autem equitare, venari, jaculari, ac [ut modeſtiſſime dicam] doctiſſimis etiam Viris imperare; quorum tamen opera ſi eis interdum opus ſit, in multis eam illis præſto eſſe affuturam; quod cum puero ſemel perſuaſum ſit, tum de hiſce ſtudiis actum, atque deſperatum eſt. A canibus, ab equis, a venandi ſtudio abduci non poterit; quorum equidem ſtudia ſemper in parte aliqua honeſti ſtudii ponenda eſſe duxi, ſed numquam literis anteponenda tamen putavi. Quid vero ſi Platoni quoque graviſſimo, ſi quis alius, Auctori, hæc legitima inſtituendi ætas maxime comprobatur? qui in primo de Legibus hanc eandem ſententiam tam plane, quam etiam multis proſequitur verbis; cum quos cæteris in quaque facultate præſtare volumus, eos ad eam facultatem ab ineunte ſtatim pueritia accedere jubet; neque id ſolum in liberalibus diſciplinis, verum etiam in vulgaribus, ac vilioribus faciendum eſſe contendit, ut fabri cæmentarii a pueris etiam ædiculas ædificare incipiant. Ita pictores in lineis contrahendis; ita muſici in vocibus commutandis, quaſi ludentes in eam paulatim ingrediuntur artem. Ac poſtremo, ne quid diſſimulare videar, quod cauſſam meam ſublevet, ſi Princeps puer in aliquo ſtudio occupandus eſt, neque ſomno hanc ætatis particulam eum traduci velitis, ut diu quæratis, quæ iſti ætati, quam hæc, de quibus agitur, aut aptiora, aut potiora ſtudia tribuatis, nullam reperietis. Neque enim eum interim ad equos, multo vero etiam minus ad arma exercere licet. Atqui ad ingenuam vivendi rationem interea puer dirigetur, atque optimis moribus probe inſtituetur. Quaſi vero hęc principia turpem illum aliquam vivendi rationem doceant; aut ad recte potius & vivendi & imperandi cognitionem hæc eadem ampliſſimos aditus non ſit pateſactura. His etenim ad ſanctiſſima Philoſophiæ præcepta pervenitur: his ad majorum noſtrorum æquiſſima inſtituta aditur: his [ne nunc omnia literarum beneficia, quæ ſane ſunt innumerabilia, recenſeam] illuſtrium Virorum cum dicta, tum facta felici ſtilo conſcripta, ac quæ a Poetis varie efficta ſunt, legendo, multiplex cum voluptas, tum utilitas percipitur. Quod cum Federicus Gonzaghius Mantuæ Princeps videret, Benedictum Lampridium doctiſſimum

mum Virum, mecumque ſumma benevolentia conjunctiſſimum, Patavio honeſtiſſima mercede puero, quem iſti veſtro & propinquum, & æqualem habet, accerſi juſſit, cui quaſi nutrix aſſidet altera, ac tantum quaſi manſæ virtutis in ejus os ingerit, quantum lactis nutrix inſtillat. Vides itaque, mi Ferrini, ut arbitror, non ſolum ad hæc principia, quinque pueri annorum ætatem minime alienam eſſe, ſed nihil habere omnino, niſi ad cunas eam revocas, cui magis opportunum occurrat, ac unde major cum voluptas, tum fructus emanaturus ſit. Id unum fortaſſe, ſi quid ad hanc rem ſuſcipiendam dubitandum eſt, in magiſtri perſona dubitandum eſt, ut is, præter quæ ad mores pertinent, adhibeatur, qui cum bonas literas, tum earum edocendarum rectam ac facilem percalleat viam; in quorum utroque multum ego pono; ſed poſteriori aliquid etiam amplius attribuo. Nam qui certa via ducuntur, ii mihi videntur itineris laboris maxima ex parte levati. Neque enim cum aut multum devii proceſſerint, in rectam viam ſæpius reducendi ſunt, aut in eo, quod confecerint viæ, pedem umquam offendiſſe ſentient. In quorum tu numero ſi me forte reponis, ſimque is, qui aliquo modo de bonis literis quicquam promeritus ſim, quique hujuſce recte & addiſcendi, & docendi rationis nonnihil aliquando commonſtrarim, valetque tantum, quod certe plurimum valet apud te magna animorum, ac morum noſtrorum ſimilitudo; primum videbis, cum facultas dabitur, ut aliquid de negotio; deinde, ſi Principi Patri perſuaſum erit, ut nunc Principi puero magiſter curetur, ne noſtra negligentia conditio iſta nobis elabatur. Ad quod negotium conficiendum, Cœlii & Franginii ſtudia non arbitror tibi defutura, quos meis verbis plurimum ſalvere jubebis. Vale. Ravennæ IIII. Kal. Octob. MDXXXIX.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Bartholomæo Ferrinio S. D.

Oſtendit, quænam ſignificatio proprie voci interior *ſubjecta ſit, eamque probat Salluſtii, & Ciceronis teſtimonio.*

5. QUæris, Ferrini, in quam ſignificationem boni Auctores vocem hanc *interior* uſurpent, idque a tua optima natura non diſcedens, peringenue quæris, qui, eadem opera, quæ tua ſit, de quo dubitas, ſententia, minime diſſimulas. Quare ego quoque meam, eamque fortaſſe pluribus verbis, quam neceſſe eſt, certe non omnibus ineptis, ſcribere non dubitabo. Ac ut a vocis ipſius natura incipiam, ab *intra* omnino hoc, de quo agitur, factum eſſe *interius*, quemadmodum ab *extra exterius*, nemo planiſſime non videt, utque hujus natura eſt *foris*, ſic illius eſt *intus*, ſignificare; ut exempli cauſſa, intra urbem, intra munitiones, & extra urbem, ſive munitiones eſſe ad aliquod tempus ſi quis dicat. Sed ut ab hac latiſſima intrinſecæ ſignificationis ſpecie ad propiorem, atque interiorem veniam; primum igitur hæc particula *intra*, quod a nobis remotius eſt, quodque ſuo medio propius accedit, ſignificat; ut Cicero in Antonium *interiore ædium parte Reip. totius nundinæ*, hoc eſt, in iis ædium partibus, quæ a frequentia erant remotiores, atque ab ingreſſu longiores. Ut Salluſtius dixit, *Perſas intra Oceanum magis habitare*, hoc eſt, qui propius Oceano, a nobiſque longius habitent; & Cicero in Salluſtium ſcripſit, ſi modo is eſt Cicero, qui ea in Salluſtium ſcripſit, ubi ait; *hoc Africam interiorem obtinente*, ut intelligat partem illam Africæ, quæ a mari noſtro longe eſt remotior. Quod ipſum aliquando ad epiſtolam tranſtulit, hoc eſt, in ea parte epiſtolæ, quæ ad medium propius accedit, cum ait ad Q. Fratrem: *Quod interiore epiſtola ſcribis*. Item ad mentem, cum agit de natura Deorum: *Quid autem* [inquit] *interius mente?* Idem in libro de Officiis, cum ait: *ſocietas enim eſt, quod (etſi ſæpe dictum eſt, dicendum tamen eſt ſæpius) latiſſime quidem quæ pateat omnium inter omnes; interior eorum, qui ejuſdem Gentis ſunt; propior, qui ejuſdem*

Ci-

Civitatis, id est, quæ ab infinita illa hominum propinquitate se recipiens ad eandem gentem pervenit. Sed quoniam ea, quæ sunt intra, minus exposita esse solent, quam quæ aut eminent, aut extra posita sunt, itaque pro *incognito*, atque *obscuro interior* interdum usurpatur, ut Cicero secundo libro de Divinatione, ubi ait; *sed hæc quoque in promptu, nunc interiora videamus*, ideest, quæ non ita cognita, atque manifesta sunt. Eadem vero ratione quoniam quæ interius sunt, a vulgari cognitione remota esse solent, atque ea quoque ratione multo politiora, multoque elegantiora, ac rariora, recte pro *eleganti*, & *polito interius* usurpatur a Cicerone, ut in Orationum libris, ubi ait; *erant in eo plurimæ literæ, nec eæ vulgares, sed interiores quædam & reconditæ*. Item ad Appium Pulchrum, cum ait: *quid illa vincula, quibus quidem libentissime adstringor, quanta sunt? studiorum similitudo, suavitas consuetudinis, delectatio vitæ, atque victus, sermonis societas, literæ interiores*. Item ad Volumnium, ubi inquit: *opus est hic tuo limatulo, & politulo tuo judicio, & illis interioribus literis tuis, quibus sæpe verecundiorem me in loquendo facis*. Quo in loco, quid Cicero *literas interiores* esse intelligat, aut planissime declarat, aut nusquam alibi. Quod vero quidam pro *superiori* vocem hanc *interior* exponere conantur, quam id recte faciant, ipsi viderint. Nam locus in Arato tam contra eos est, ut magis esse non possit. Sic enim inquit: *quæ cursu interiore brevi convertitur orbe*. Quem locum plane ita exponimus. Fingamus nos id, quod res est, multos orbes alium alio arctiorem converti, sane quod feretur interiore orbe, brevius, & celerius cursum suum conficiet; quod Cicero eo in versu intelligebat: cujus quidem cursus celeritatem idem Cicero in Scipionis Somno ad eum modum expressit, cum ait: *Id motu cietur interiore*. Quod ego aut legerim umquam, aut de doctis audiverim Viris, *interiores literas* pro *superiores* non solum non dicam, sed a bona id dicendi consuetudine plurimum abhorrere mihi videtur, multoque minus, *extra me sedebat*, pro *supra*; nisi hac ratione, qua nunc facio, auderem proferre; ut ego *interiores literas* apud Ciceronem *politiores*, atque *magis reconditas*, hoc est, quas non ita omnes callerent, elegantioresque esse, dicerem. Vale.

BAR-

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Bartholomæo Ferrinio S. D.

Epigramma Catulli ad Flavium exponit, Guariniorumque imperitiam, & barbariem redarguit: optat sibi otium dari, ut opus totum diligentius scrutetur, cum non pauca in præsens habeat, quæ Lectori haud ingrata sint futura.

6. CUm heri te adiissem de Manutii nostri negotio, ecce tibi [inquit Salonius, qui tecum pransus erat] opportune Riccium. Ecquid ego tum, inquam, est, Saloni? Catullum, inquit, in manibus habemus, atque casu in id Epigramma incidimus, quo Poeta Flavium sodalem suum quasi accusare videtur, quod scortum illepidum amaret, in quo illud non satis admirari poteramus, quod dixit, *lecti argutatio*, pro ea stridula voce, quam leviter concussus lectus emittere solet. Recte, inquam. Non enim magis proprie, aut etiam venustius, atque argutius dici potuit. Sed pergit ille: *in ambulatioque lecti*: in hoc hærebamus. Neque enim Guarinii nostri de ea quicquam. De Guariniis, atque toto Epigrammate, ego tum, alias videbimus, nunc quod instat. Manutii nuntius tuas literas Mutinam de reliqua illa pecuniola domi meæ expectat. Itaque a vobis cum literis domum propero. Ut vero Manutium absolvi, Catullum sumpsi, percurri Epigramma, ac quoniam Guariniorum mentio facta erat, & Epigramma varie multis in locis in meo Codice legebatur, Guarinios de iis locis consulere placuit. Eos ut vidi, obstupui, tantos Viros tam imperite, tamque barbare totum Catullum [nam magnam partem ejus operis postea percurri] interpretari. De quo toto Epigrammate, quid ego sentiam, nunc habe. Fortasse etiam de cæteris, si otium mihi sit ab Imitatione mea, aliquando habiturus. Sed id prius, ut in meo Codice legitur, tibi describam.

BARTHOL. RICCIUS
AD FLAVIUM.

Flavi, delicias tuas Catullo,
Ni sint illepidae, atque inelegantes,
Velles dicere, nec tacere posses.
Verum nescio quid febriculosi
Scorti illigis: ecquis haec putabit,
Nam, te non bona dicere puella,
Nequicquam sacrum diligit, deosque
Sertisque, Assyriisque floribus, & illic
Putenti plenoque gravatum
Arcitas, irrumatique sessi
Argutatio, inamabilisque
Nam ni te puaeet, nimis facetum,
Nam cur tam latera extuitare pandas,
Ni tu quid facias ineptiarum?
Quare quicquid habes boni, malique
Dic nobis, volo te, ac tuos amores
Ad Caelum lepido vocare versu.

Jocatur Catullus hoc Epigrammate in summum Flavium, a quo de suis amoribus celabatur, ac quasi hoc modo blande, qui illi sint, ab eo extorquere studet. Neque enim ego arbitror, Catullum hac ratione loquacitatis, ac parum in caeteris rebus secretum sodalem [ut Guarini exponunt] notare Flavium. Nusquam enim hoc profert Poeta. Nam quod Flavius tacitos habeat suos amores, caussam ipse Catullus affert, cum eos inelegantes, atque febriculosos appellat. At inquit: nec posse facere. Recte quidem, si nobilius scortum amaret, non autem quod natura loquax sit, neque quicquam reticere possit. Nam si ita sit, hoc quoque non reticuisset, quamvis esset illepidum, & invenustum. In qua sua erpositione mirer, doctissimos nomines vocem *dicacitatem* non recte accepisse. Nam *dicacem* aiunt esse, qui sua secreta minime tecta habeat, qui loquax, ac omnia proferat, cum ita minime sit. Nam *dicax* est, qui nimium est in dictis, quique alios iis mordet, id quod in vitio ponitur, unde etiam *dicacitas* vox facta est; quibus recte opponitur *urbanus*, *urbanitas*, *facetus*, *facetia*. Sed redeo ad Catullum, ubi ait: *Nam, te non viduas jacere*

www.tintoll.com.cn

noctes, *nequicquam tacitum cubile clamat*, *ſertiſque*, *Aſſyrio fragrans olivo*. Exponunt Guarinii, *nequicquam tacitum cubile*, *non tacitum*, quia, dum movetur in coitu, reſonat lectus. Quod ſi ita ſit, bis Poeta in eodem Epigrammate id dixiſſet. Nam apertius hoc agit infra, cum ait, *tremulique quaſſa lecti argutatio*, *inambulatioque*. Nos vero ita exponimus. *Nequicquam tacitum cubile clamat*, multis ſignis lectum ipſum probare Flavium non ſolum cubare. Ea autem ſunt: quod fragret Aſſyriis odoribus, quod pulvinus ubique attritus, ac preſſus ſit. Poſtremo quod Guarinii ſolum ponunt, *lecti argutatio*, *inambulatioque*: illa, inquam, ſtridula lecti vox, quæ ſentitur in cubantis motu, præſertim in coeundo, cum uterque ſuas partes æque peragit; quam tamen Catullus ſibi affingit. Nam ſi eam ipſe ſenſiſſet, pari item ratione eum in re deprehendiſſet, atque quale ejus ſcortum fuiſſet, facile cognoviſſet. In eo vero verſu, *ſertiſque*, *Aſſyrio fragrans olivo*, Guarinii mihi nimis acuti videntur, & altius excogitaſſe, quam ad rem planiſſimam pertinet, cum hoc non ſit ex iis, quare doctus dictus ſit Catullus; nam *fragrans* vocem corrigunt *flagrans*, eamque poſtea ita exponunt: *flagrans*, *ideſt*, *ardens æſtu libidinis*. Ligna quidem, & olivum ardent; ſed ſertis, & odore Aſſyrio ardere aliquid quis dixerit? Certe hoc unum ſignum erat, Flavium cum ſcorto dormire, quando lectus Aſſyrios redoleret odores, quod dixit per verbum *fragrans*. Nam ſi ſit, ut Guarinii excogitarunt, *flagrare*, id nullum ſignum erit; quod quidem neque videtur, neque ſentitur. Ego igitur a veteri lectione non diſcedens *fragrans* cum cæteris lego. *Inambulatio* vero proprie motus eſt, qui fit in ambulando, illud ipſum ambulare. Quod etiam interdum Cicero dixit *ſpatia*, cum ait; *confectis tribus ſpatiis aſſedimus*. Sed qui lectus ambulare poteſt? aut quomodo de lecto eſt ambulatio? Ego intelligo lectum ita eſſe conturbatum, itaque preſſum, atque attritum, atque ſi multi homines in eo ambulaſſent. Nam quod lectulus modo huc, modo illuc pilulis in pedibus infixis traheretur, ut quaſi ambulare in cubiculo videretur, ſatis id quidem argute, ſed ad rem noſtram minime facere videtur. Guarinii item legunt; *nam ni prævales iſta*, *nil taceres*. Itaque locum exponunt; *nam ni prævaleat*, *iſta ſcilicet mulier*, quæ

quæ turpitudine ſua ita prægravat, ut cogat te tacere, aliter omnia mihi diceres, cum tibi id ſit vitii, ut tacere nequeas. Quo in loco non ſemel [quod cum eorum bona gratia dictum volo] mihi peccare videntur. Primum, ut omittam quod non viderint, *ni* non poſſe legi. Eo enim in loco *ni* ſenſui adverſari videtur. Quid enim eſt, *non taceres, ni prævalet? at non taceres niſi ea te cogat ſua turpitudine*, inquiunt, *ni prævalet*. Quid hoc eſt, ut turpitudine ſua cogat? Quid vero ſi prævalere, ut curſu, lucta, pulchritudine, dicendo, juſtitia, liberalitate aliquem dicas, morbo autem, aut turpitudine prævalere fortaſſe abſurdum? At ſit etiam de turpi ac malo; tamen ego dicerem morbum, febrem, bellum, ignem, rumorem, & reliqua id genus prævalere; non autem Cæſarem morbo prævalere ægrotare; in quam ſuam ſignificationem vox reſtituetur ſi *ni* loco *ſi* legatur, & ita ſit ſenſus apertiſſimus, & intelligatur, *ſi ſcortum tuum prævaleat*, hoc eſt, ſi firmum, ac ſanum ſit, nihil taceres, & ſcorti valetudinem ſignificabit, quod paulo ſupra ad quartum verſum febriculoſum appellavit, ni febriculoſus ſit, diceres mihi omnia; ſed quia contra, taces; nos tamen legimus multo planius. *Nam ni te pudeat, nihil taceres.* Miror præterea Viros iſtos, *turpitudinem* pro *deformitate corporis* exponere, cum turpitudo non ita de corporis [ne quid de illo aliter dicam, quamquam probe, ac venuſte poſitum ſit] invaletudine, aut deformitate dicatur. Quis enim legit umquam turpem mulierem pro ægrotante, aut pro deformi, aut [ut vulgo dicitur] *per brutta*? Nam ſi ita ſit, omnes virgines ægrotantes, a quibus color venuſtaſque receſſerit, erunt turpes, hoc eſt, infames, atque impudicæ, quod, quam dicendum ſit, ipſi viderint. Sequitur autem Catullus:

Nam cur tam latera exſtututa pandas,
Ni tu quid facias ineptiarum?

Perſtat Catullus improbando Flavium negare non poſſe, ex corporis habitu, quin Venerem plus nimio exerceat. Nam, qui Veneri operam aſſiduam dant, macreſcunt; decreſcente autem carne, qua circum veſtiuntur oſſa, ea magis extant, eminentque, propterea dixit Poeta, *pandas*, ideſt, *latius proferas*, quo quidem verbo nullo commodius uti poterat. Sed id multo etiam magis in voce

effe-

effecit *exfutata*, hoc est, *vacua*, *excavata*. Siquidem *effutire* est *effundere*; unde *vas futile*, quod, cum invertitur, liquidi nihil retinet. *Ni tu quid facias ineptiarum?* deest, nisi tu sordidum amas scortum, quod est ineptè, atque imprudenter facere; idque superiori respondet, cum ait: *Ni sint illepidæ, atque inelegantes.* Habes, Ferrini, quantum ad quædam præsentis Epigrammatis non fortasse cognitu indigna. Utinam mihi otium detur aliquando, ut possim totum opus diligentius scrutari, certe voluntas tanta est, quam quæ maxima esse potest. Non pauca quidem in illo habeo, quæ Lectori haud ingrata sint futura. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Bartholomæo Ferrinio S. D.

Locum quemdam epistolæ Ciceronis filii ad Tironem explicat.

QUotidie, Ferrini, aliquid semper habes, de quo prudenter dubites, ut in hoc quoque facis, cum quæris, quid illud sit, in Ciceronis filii epistola ad Tironem? *Hoc loco me tibi gratulari, noli mirari. Eodem enim fere loco tu quoque, emisse te, fecisti me certiorem; eodem, inquam, loco* quid sibi velit, quæris. Scio igitur, morem Ciceronis Patris fuisse, ut cui gratulandum esset, id initio epistolæ plerumque poni solere, non ita aut in media, aut etiam in postrema epistola, sed quod ipse Cicero significare videtur, cum ad Appium scribit. Ait enim: *gratulor tibi prius* [*ita enim rerum ordo postulat*] *deinde ad me convertar.* Item ad Cœlium: *primum tibi* (*ut debeo*) *gratulor.* Item Balbo: *gratulor tibi, mi Balbe, vereque gratulor.* Item Curioni: *sera gratulatio reprehendi non solet*, & quæ sequuntur. Quibus in locis vides gratulationis locum esse in prima semper epistola. Neque id mihi quisquam obiiciat, quod Trebatio Cicero in epistolæ medio gratuletur. Nam si rectius locum animadvertat, totum membrum ab initio epistolæ ad verbum ipsum gratulationis esse videbit. Quod scribendi institutum a Patre filius animadvertens, ac videns suo loco gratulationem suam non esse positam, hoc modo perbelle Tironi se excusat, dicens, quoniam tu

ad tantum epiſtolæ de tua emptione me certiorem facere ſuſtinuiſti, ego quoque hoc loco potius, quam initio [ut debebam] tibi de ea gratulor; ut ſit eodem fere loco in mea epiſtola tibi gratulor, quo tu in tua de emptione tua mihi ſignificaſti, hoc eſt, uterque ſub finem epiſtolæ, & tu, emptionem feciſſe te, me certiorem facis, & ego, eam tibi feliciter evenire, cupio; ubi quodammodo illum accuſare videtur, quod in ipſius epiſtolæ initio is quoque emptionem ſuam non poſuerit, quam ſibi ſciebat eſſe gratiſſimam. Hæc ego de eo loco, fortaſſe haud inepta, cætera cæteri, ut magis videbitur. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Auguſtino Muſtio S. D.

Deplorationem de Ferrinii interitu habitam mittit, ut ipſe quoque eum defleat.

8. CUm plane ſcirem, Muſti, te mecum, atque cum Lilio Ferrinium, quamdiu vixit, pari benevolentia eſſe proſecutum, neque eum morientem ſui tibi, quam nobis, minus deſiderium reliquiſſe, ut tu quoque ad eum luctum, quem nos heri habuimus ex ejus obitu, tertius accederes, par eſt viſum. Mitto igitur tibi eam deplorationem, quam apud eum inter nos de ejus interitu habuimus, quam ipſe legens non vereor, quin tu quoque eam vim lachrymarum effundas, quam ipſi fecimus eo modo, quo vides loquentes. Eam igitur lege, Ferriniumque tuum nobiſcum nullo fine lugenduin defle. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Auguſtino Muſtio S. D.

Zanchii Poemata remittit a ſe ſumma cum voluptate lecta, non ita tamen cito, ut mandaverat; id vero accidiſſe ſignificat, quia crebro a ſe lecta fuerant.

9. ZAnchii noſtri Poemata, quæ tu mihi ejus nomine legenda dediſti, perlegi, atque ex iis multiplicem,

cem, eamque ſummam voluptatem percepi; primùm quod me prorſus ita illi nondum totum ex animo excidiſſe, intellexi; deinde quod mei Navagerii laudes [meo enim fato adoleſcens eo Viro ſum familiariter uſus] illis verſibus celebrari mire gaudebam; poſtremò vero in ejus nominis ad meam, hoc eſt, antiquorum rationem commutatione, nonnihil afficiebar. Legi enim eum ex Zancho in noſtram ſententiam Zanchium factum, quemadmodum alii ex Ferro Ferrium, alii ex Sigono Sigonium, alii ex Gypſo Gypſium, alii ex Rufino Rufinium, complureſque alii hoc modo ſe ſe correxere. Quod tu quoque ex Muſto rectius facies, ſi te Muſtium dixeris; niſi in doliis includi mavis, atque inde poſtea ad bibendum depromi. Sed redeo ad Zanchii verſus. Eos tibi remitto; ſi non ita cito, ut mandaſti, eorum crebro repetita lectio id effecit. Quare ſi quid me eo nomine accuſas, eorum quoque nomine me excuſa, aut ab iis ſæpius relegendis mulctam ſumas, per ſummam voluptatem licebit. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Auguſtino Muſtio S. D.

Excuſationem affert, cur in fratris ejus funere non affuerit, mortuumque hominem deſcribens orat, ut hoc puſilli officii, quo nunc cum eo utitur, amicitiæ loco ſatis habeat.

10. QUod ego in fratris tui funere cum cæteris amicis non affuerim, tibique, ut mos eſt, præſens mœrorem meum non demonſtrarim, mea animi non firmior vis, atque debilior natura id effecit, qui nimis in omnium funere, in amicorum vero plurimum commoveor. Vitavi igitur, ne rem odioſiſſimam viderem, atque in qua ego magis conſolandus eſſem, quam ut tibi ullam conſolationem afferrem. Quid enim horridius, quam quem paulo ante valide incedentem vidiſſes, optime loquentem audiſſes, in familiæ ſuæ, atque amicorum rebus ſtudioſiſſime verſantem cognoviſſes, nunc corpus, atque inane pondus, nulli rei uſui, atque hac jucundiſſima luce carentem jacere, atque humi poſtea contegendum ante oculos conſtitutum habere?

Sed quid ego ago? Jam narrando præſens, quod re vitaram, fiam. Quare hoc puſilli officii, quo nunc tecum functus ſum, amicitiæ noſtræ ſatis dabis, & valebis.

www.libtool.com.cn

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Gregorio Gyraldio S. D.

Carpit Orationem ex Gallicis montibus allatam & puerili-ter, & incompoſite ſcriptam, gratulaturque noſtris Latinis non ita ejectis de poſſeſſione ſua a barbaris, ut multi inſolenter gloriantur: aliud eſſe opus aliquod explicare in Scholis, aliud dicere ad perſuadendum. Eamdem Orationem ad ipſum mittit, ut videat, Latinæ Orationis ſplendorem, & elegantiam intra ſuas Alpes adhuc contineri.

11. TAndem Gallici montes peperierunt. En, mi Gyraldi, Orationem illam, quam tres menſes tantopere cupivimus. Legi ego illam ad alterum folium; ulterius lectionem meam proferre non potui, cum uſque eo etiam ægre illam ſuſtinuerim. Dii boni, hominem, qui Lutetiæ Pariſiorum triginta annos publice in hiſce ſtudiis verſatus ſit, atque [ut ipſe dicit] unde omnium Gentium adoleſcentes dicendi facultatem petant, tam pueriliter ſcribere, tamque incompoſite orationem ſuam contexere. Ego noſtris Latinis maxime gratulor, quos de poſſeſſione ſua non ita a barbaris dejectos eſſe video, ut aliquando de multis inſolenter audiebam. Crede mihi, Lili, rem aliam eſſe explicare opus aliquod in Scholis, aliam dicere ad perſuadendum. Illi quidem rerum multarum ſcientia peropus eſt; ſed ea jam a tot optimis Viris cujuſque facultatis tam explicata eſt, atque ad omnium commoda in vulgum edita, atque ad manus propoſita, ut doctori ſatis ſit, ſi tantum memoriæ habeat, quantum domo ad publicum ludum. Quin etiam quibus ea prorſus nulla ſit, ſibi præſto adeſſe poſſunt, ſi domo deſcriptam rem in ſuggeſtum ferant; dicere vero apte, ornate, ſplendide, copioſe, idque cum dignitate agere, *hoc opus, hic labor eſt*. Noſti cætera. Eam tibi mitto, non qui majorem voluptatem inde capias, quam ego perceperim, ſed ut videas, Latinæ Orationis ſplendorem, atque elegantiam intra ſuas Alpes adhuc con-

contineri, ut qui ejus compotes esse velint, intra eos terminos eam discere cogantur, quemadmodum Longolius, Danesius, Bonasius, Polia Cardinalis, atque cæteri ejus generis Viri eloquentissimi fecere. Tu totam illam, cui majus otium est, percurres. Si quid erit, quod notatu dignum existimes, mihi postea coram impertieris. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Gregorio Gyraldio S. D.

Significat, magis ipsi profutura ad sempiternam gloriam ipsius præclara scripta, quam omnium amicorum testimonium, qui de eo ut honestissime sentiant, sic etiam splendidissime scribant. Consolatur de ejus morbo, patientiamque laudat in eo perferendo, suumque locum eum in suis scriptis, ubi commode facere potuit, inter Viros doctissimos habiturum profitetur.

12. CUpio equidem, Gregori, laudari, sed multo magis a laudato Viro. Ea enim vera, ac solida laus est, quæ ab iis nobis proficiscitur, qui a bonis omnibus optime audiunt. Quare ista tua, hoc est, laudatissimi Viri commendatione magna sum affectus voluptate. Sed hanc meam tantum animi lætitiam nonnihil verecundiæ aspersit, quod tu mihi tantum tribuas, ut ad diuturnioris nominis tui memoriam in meis scriptis locum aliquem tantopere quæras. Quid enim, te quæso, illi homini, qui suis ipse voluminibus multis de rebus, iisque præclare scriptis, non solum sibi, sed illis etiam, quibus ea inscribit, sempiternam gloriam peperit, possum ego meis aut nominis, aut dignitatis comparare? Equidem te amo, quantum quemquam alium ex meis, vel etiam tantum, quantum quisquam ex tuis alius, neque quicquam habeo, quod tua causa & nolim, & non debeam, sed ne in hoc tibi eum morem gerere possim, cum meorum scriptorum tenuitas, tum vero tua certa, & illustris effecit gloria. Nam isthæc per se satis quidem cumulata est; illa vero quasi Murænæ gutta tantum maris aspergere videretur. Et profecto qui sibi cereum prælucet ipse splendidissimum, ei nihil est, quod

alicunde a candelæ lumine lumen quærat. Spiras, Gregori, in tuis ſcriptis, & vere ſpiras, viveſque, quamdiu Orbis hic ſuo ordine convertetur clarus, unaque, mihi crede, tuorum temporum deſcriptio per omnium temporum ſæcula te magis eſt circumvectura, quam omnium amicorum teſtimonium, qui de te ut honeſtiſſime ſentiant, ſic etiam ſplendidiſſime ſcribant. Tametſi quid tibi item aliud aut ex alienis, aut etiam ex tuis ſcriptis ad veram gloriam quæras, quam quod ex iſta tua ſumma animi fortitudine habes jampridem comparatum, non facile video. Nam cum altera, eaque potiſſima corporis parte jampridem captus ſis; altera autem niſi ad ſummos cruciatus tibi relicta ſit, amiſſam non gravius lamentaris, quam Virum decet; alterius autem dolores ſic vincis, ut idem tuus ſit vultus, eadem oratio, quæ olim erat, cum tranquilliſſime agebas. Neque me illa nunc movent, quæ in tuis verſibus magis Poetice, quam vere ex animo mecum quereris. Caduca enim ea, levia, inania, fluxa ſunt, quæ tibi aliquam delectationem afferant, ſi, ut nos alii, Urbem, atque adeo Orbem peragres. Certe non pauca, niſi etiam plura, ad quæ frontem aut contrahas, aut etiam gravius ferias, videre poſſes. At amicorum conſuetudine carere, & dulcibus eorum collocutionibus nullis frui, vix hominis eſt non dolere. At iſto ipſo bono carere non potes. Quorum enim ſermone, & præſentia maxime delectaris, hi te quotidie adeunt, tecum ſunt, horas ſuas tecum ſuaviſſimis ſermonibus tranſigunt, numquam te ſolum ſinunt: quin iſto quoque modo illud etiam aſſequeris, ut eos non videas, quos nolis. Equidem quod ad me attinet [etſi poſſum idem pro cæteris affirmare] diem nullum intermittam, vel intermitto potius, quin meis, atque etiam tuis horis tecum ſim percupide. Sed quoniam & bonitate tua, & ſingulari iſto tuo judicio cogis me exiſtimare, ut aliquid omnino valeam in dicendo, & mos eſt, ut aut ad doctiſſimos Viros ſcribamus, aut de illis in noſtris ſcriptis mentionem ſæpius faciamus, tuum locum, cum ad eum ventum erit, non omittam, etſi non id tua magis, quam mea facturus ſim cauſſa. Faciam enim quaſi amnis, qui in Oceanum diffluens, ſui magis, quam Oceani beneficio, illuc aquas ſuas convolvit, quem quidem locum ſi in Imitatione no-

noſtra paulo anguſtiorem habebis, certe ubicumque id commode facere potero, non permittam, ut id a me deſideres. Vale.

www.ibtool.com.cn

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Gregorio Gyraldio S. D.

Decem annorum morbo conflictatum ſolatur, & qua ratione ipſe ſe in adverſis conſoletur, demonſtrat.

13. MI Lili, ut te deſtitutum hoc calamitoſo tempore video? ut me tui miſeret? qui non tibi in tanto caſu, ut cæteri faciunt, conſulere poſſis? Dii facerent, ut is eſſes, quem ego ſuperiori nocte in quiete valentiſſimum vidi. Aut enim nobiſcum in Beriguardo, aut cum tuo Faletio in Bellumbra lætius ageres. Sed is Vir tamen es, qui jam decennium iſto tuo morbo gravius conflictatus, eum, ſi non ſuperaſti, certe fortiſſime perpeſſus es. Quare ego non deſpero, quin eumdem animum in hoc quoque præſtaturus ſis caſu, quo in eo morbo tolerando uſus es maximo. Graviſſimum enim eſt in peſtilentia e lecto ſurgere non poſſe, amicorum ope atque auxilio carere, qui partim cum ſua familia, partim cum Domino ſuo ex Urbe in villas commigrarunt, qui præſentia ſua te ſaltem ea ſolitudine, ſi non prorſus ſolicitudine, levare, atque illam horam diei minus moleſtis ſermonibus tecum agere potuiſſent, quibus hoc tamen relictum eſt, ut tecum per literas aliquantulum eſſe poſſint, etſi id quoque perrarum conceditur. Nam qui literas hoc tempore reddant, non ſatis multi reperiuntur; has ego tamen malui incerto, quam nulli, tibi reddendas dare, quibus non te in tanto malo Virum in malis aſſuetum fortiſſime perferendis conſoler, ſed, quid remedii ego in meis adhibere ſoleam, ut tibi declarem. Ego igitur, mi Lili, in meis adverſis, quæ nulla mea culpa accidunt, quæ nullo modo vitari poſſunt, quo poſſum fortiori animo, me paro, ut feram, atque ad eorum rationem rationes meas inſtituam. Sed quando homines cum cæteris animalibus ea conditione naſcimur, ut aliquando intereamus, neque hic perpetuam habeamus manſionem, ſed alio ad beatio-

tionem vivendi conditionem vocemus, una illa me ſpe in ipſo mortis periculo conſolor, ea autem in uno Jeſu eſt Chriſto, qui ſuo ſanguine noſtra ſcelera abluens, ſua morte Cœli portas patefaciens, ſua ab Inferis certiſſima reditione, ſe verum Dei filium indicans, gloriæ ſuæ participes nos effecit, atque in ſuas illas beatiſſimas ſedes recepit, atque reſtituit. Hæc cum ego mecum animo Chriſtiane revolvo, etſi non ea tamen cogitatione ſumo, qua cupio; odit enim ſpiritus carnis, cujus pondere premitur ſe in eam cogitationem neque altius, neque ardentius tollere poteſt; levor tamen non parum mortis dolore. Carnifex filiolus levius me premit; uxor muliercula meæ diſcidium animo multo minus commovet; jucundiſſima mea denique ſuavia non ita urgent. Video enim in una mihi Dei gloria compacta omnia, ac cumulatiſſime eſſe repoſita. Filius multo charior ſe ſe offert; floridior Flora uxor apparet; longe vero alia ſuavia, aliæ voluptates, ac perpetua bonorum omnium perfruitio oſtentatur, quibus qui animo hæreat, qui ab iis unquam aberret, qui totus in iis ſit, qui ullam vitæ difficultatem, qui haſce miſerias, quibus miſere premimur, qui mortis quodvis genus quicquam aut timebit? aut ſentiet? aut etiam non optabit? Utinam, Gyraldi, diu in hac cogitatione continerer. Id enim nam ſolum ad mortem cujuſque generis contemnendam maximum remedium haberem, ſed in terris quoque agerem beatiſſime. Senſi equidem neſcio quid aliquando [Dii boni] quæ felicitas? quæ ſuavitas? quæ beatitudo? ſed continuo rurſum, ut dixi, ad hominem revolver. Non enim me ſuſtinere poſſum. Quod ſi in propoſito permanere poſſem, id eſſet, quod de Sanctis, ac Divis noſtris dicunt, Cœlum apertum videre, ac ejus bono in hac quoque vita frui; ſed in hoc uno tamen acquieſco, quando cætera conſequi non permittitur; ut quicquid mihi pollicitus eſt Chriſtus, id mihi eum eſſe integerrime præſtaturum confidam, qui quæque homini præcepit ad ſalutem, ei credam omnia, efficiamque, quantum in me eſt, ſi non plurimum, at quantum queo. Si ſumma Cœli Regia non eolam, non ullus deerit mihi tamen in ea locus, quando is dicat: *qui maxima ex his maximi fecerit, is maximus in meo Regno vocabitur: qui minimus, is minimus habebitur*; ut qui multis præmiis

pro-

propoſitis currat, qui primum, & ſecundum, & tertium locum cæteris concedit, ſatis habet, ſi in poſtremis annumeretur potius, quam in iis, qui non concurrerunt. Ita ego faciam, qui unus ſum ex Chriſti curſoribus, hoc eſt, qui ejus gratia Legis ſtadium curro, etſi claudus, ne dicam piger, id percurro. Hæc ſi tu eadem, Gyraldi, atque etiam his ſimillima, ut certo facis, cogitabis, non dubito, quin hominem obliviſcaris, Deumque induas, atque tute ipſe conſoleris, ut cum ille animum tuum ex hiſce carceribus evocabit, eum ſcias ad ſe eſſe evocaturum, qui cum ſempiterno ævo agat beatius, & in ſuis certis locis conſtitutus exultet in Deo Patre, & Filio, & Spiritu Sancto, eoque, & trino bono perpetuo perfruatur. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Ferranto Trotio S. D.

Cum ſubita feſtinatione propter peſtilentiam cum tota familia in Beriguardum ſe contulerit, neque repente ſatis viderit, quid in reliquum tempus uſui foret, & æſtive veſtitu diſceſſerint, orat, ut domo ſua ab omni peſtilentiæ ſuſpicione longiſſime remota ſumat, & ad ſe mittat veſtem & ad calidius conſternendum lectum, & ad corpus fovendum commodius.

14. SAlus, quam tuo nomine mihi plurimam Siſenius dixit, valde mihi grata fuit, præſertim hoc tempore, quo ex iſta peſtilentia in propiore mortis periculo, aut certe in aliquo ejus metu omnes poſiti ſumus, quam eandem ego tibi, tuiſque omnibus opto. Nos hic quidem, Ferrante, pro temporis conditione belliſſime habemus omnes ad unum. Cave enim putes locum ullum Beriguardo aut opportuniorem, aut ſalubriorem in terris reperiri, a rebus autem, quæ ad corporis uſum pertinent, omnino non ſatis commode, præſertim ego, qui mecum familiam omnem duxi. Nam tribus illis horis, quæ mihi datæ ſunt ad vaſa [ut ita dicam] colligenda, cum ſubita feſtinatione, tum etiam animi perturbatione ita commotus ſum, ut quæ in præſentia opus eſſent, nedum quid in reliquum tempus uſui

ſui ſoret, ſatis diſcernerem. Itaque æſtive veſtiti diſceſſimus, ut, ſi ſe frigus iſtud aliquid auxerit, veſte mihi opus ſit alia & ad calidius conſternendum lectum, & ad corpus fovendum commodius, quæ ut mihi domo mea, quando ab omni peſtilentiæ ſuſpicione longiſſime abeſt, ſumi liceat, tu pro tua & ſingulari prudentia, & qua me proſequeris benevolentia, etiam atque etiam videbis. Vale.

www.liberol.com.cn

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Ferranto Trotio S. D.

Conſolatur de obitu uxoris, oſtenditque, eum uxorem cariſſimam non amiſiſſe, ſed in Cœlum ſibi præmiſiſſe.

15. UT mihi renuntiatum eſt de obitu uxoris tuæ, graviſſimæ, & prudentiſſimæ fœminæ, ſane pro eo, ac debui, moleſte tuli, neque id ea cauſſa, quod illa ex iſtis tenebris in perpetuam lucem evaſerit, atque ex tot ac tantis humanis miſeriis, ac calamitatibus in æternam beatitudinem commigrarit, ſed quia ipſe ſolus relictus es, cuique omne hujuſce vitæ ſolatium ereptum eſt, qui fideliſſimam atque tui amantiſſimam ſociam amiſeris. Sed ejus voluptate tamen iſtum tuum dolorem temperare, niſi etiam totum levare facile potes, quod navigationis ſuæ curſum tam feliciter confecit, atque in tutiſſimum portum ex hoc turbulentiſſimo curarum omnium mari ſeſe recepit, ubi omni felicitate cum Diis immortalibus in perpetuum eſt perfruitura, ad quem, ut nos quoque appellamus, in Chriſtum vera fide, atque omni animi integritate contendere debemus, quemadmodum te facere certo ſcio, quem adverſæ tempeſtatis vim nullam retinuiſſe, ne dicam, alio rejeciſſe, umquam vidi. Quare gaude tibi, qui uxorem cariſſimam non amiſiſti, ſed eam in Cœlum tibi præmiſiſti, ubi te cupide moratur, ac quo ipſe, cum, qui huc te miſit, ex hoc carcere diſſolvet, es tandem evolaturus. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Ferranto Trotio S. D.

Rogat, ut per fratrem ſuum apud Cardinalem obtineat, ut hæres Ludovici Vivii ad reliquum fraternæ hæreditatis perveniat.

16. LUdovicus Vivius cognomento Bighinus, qui Hippolyti Ateſtii Cardinalis familiaris fuit, cuique ab adoleſcentia ſua ſervierat, primo tempore, quo Senam eum ſequutus eſt, deceſſit. Hic Sebaſtianum fratrem, qui Ferrariæ pelles veſtiarias concinnat, hæredem reliquit. Legat præterea egenis ducentos, ut dicunt, ſcutatos aureos, quibus Manetio placuerit, diſtribuendos. Hic intelligens, eundem fratrem quatuor filias habere, neque quicquam ad eas collocandas dotis habere paratum, in earum dotis æquam partem eos quoque, multis audientibus, deſtinat. Paucos poſt dies is quoque deceſſit; ſed ante, quam moreretur, idem multis teſtibus rogatis confirmat. Non numerat pecuniam, quia ea penes Cardinalem erat. Sebaſtianus interea factus de fratris obitu certior Senam accurrit, atque, antequam Manetius occumberet, ab eodem ducentos illos aureos ſuis filiabus legatos audit, ut nullum dubium ſit, quin illi aurei huic veniant. Sed nobis ad eorum exactionem temporum difficultas, qui in pejorem incidere non poterant, maxime obſtat. Si tamen frater tuus, quæ ejus eſt apud Cardinalem ſuum auctoritas, cauſſam hanc amplectatur, atque paucis etiam verbis Cardinali commendet, hæres facile ſperat, ſe ad hoc reliquum fraternæ hæreditatis pervenire poſſe. Quare is a me per Ludovici Vivii memoriam, quo uterque ſumus uſi amiciſſimo, magnopere contendit, ut cauſſam hanc tibi diligenter commendem. Te igitur rogo, ut cum fratre ita agas, ut pecunia illa ſi non tam cito, ſaltem primo, quo fieri poterit, tempore Ferrariam aliqua, ut fit, permutatione mittatur. Quod ſi ab eo impetramus, ut quidem confidimus, ego fidem meam illi obſtringo, præterquam quod beneficium in Deum ipſum ſe conferre videt, qui quatuor puellas ad aliquam honeſtam collocationem adjuvet, hoc etiam officium ſuum

apud

apud hominem gratiſſimum eum eſſe poſiturum, me vero ea quoque de cauſſa tibi plurimum eſſe debiturum. Vale.

www.libtool.com.cn

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Pantaleoni Magnolio S. D.

Dolet, eum in libri venditione a librariis magna pecunia eſſe defraudatum, pollicetuique, ſe apud omnes tum Doctores, tum Auditores ejus librum ea de nota commendaturum, quæ ſolet eſſe optima.

17. CUm tuis literis librum quoque accepi, utrumque mihi gratiſſimum, niſi quod me non parvo dolore ea tuarum literarum pars affecit, ubi te in libri venditione a librariis magna pecunia eſſe defraudatum quereris, quo non ſolum tua cauſſa, verum etiam mea, qui iſto tuo facto meum non admodum vetus vulnus refricuiſti, graviter ſum commotus. Sed cum utriuſque cauſa multum doleo, multo tamen magis miror, quod cum ipſe de multis, præſertim de me, quam plerique iſtorum deſcriptorum ſacroſanctam omnem perſcriptam authoritatem nihili faciant, quamque omnes vias ad omnes fraudes maxime perceptas habeant, ſcire potueris, in te quoque tamen ipſo illorum iniquitatem experiri, quam noſtro exemplo rectius tibi proſpicere malueris. Neque enim adduci poſſum, ut credam, te iſtis Harpyis ingens lucrum, tibi vero tantum gloriolam quandam in iſto libro quæſiviſſe, cum perquam angustis eam terminis circumſcribi, ac noſtra magis intereſſe ſenectutis, quaſi quoddam viaticum, quoquo modo id poſſumus, comparare, te quoque non dubitem facile confiteri. Sed quid ego nunc tuum conſilium accuſem? præſertim cum jam corrigi non poſſit, tuque a me magis auxilium quæras? Quare nunc ad id venio. Quod me igitur, idque multo pluribus etiam verbis, quam ad veterem noſtram amicitiam pertinebat, etiam atque etiam rogas, ut librum iſtum tuum meis Auditoribus in gratiam ponam, meiſque verbis iſthuc eundem apud omnes magnopere exornem, equidem tibi recipio, me nihil eſſe omiſſurum, quod ad hanc rem pertinere vi-

de-

dedo, quod amicitia noſtra deſiderare poſſit. Quin egò meis Auditoribus jam ſæpius propoſui, me Ciceronis Dialogum de Amicitia brevi eſſe interpretaturum, ut, ſi qui eo libro carerent, tum iſtum meo conſilio, quam quemquam alium emere mallent, ac ut eis fidem meam præſtarem, tibi vero non deeſſem. Heri, qui dies eſt Idibus Septembris, opus ſum aggreſſus, neque id de manibus deponam prius, quam [ſi modo vita ſuperſit] feliciter abſolvero, daboque operam, ne tibi cum cæteris quoque noſtri ſimilibus defuiſſe videar. In quo meo officio neque expectabo, dum coram id mihi facere liceat, verum primo quoque tempore Cæſenam, Forum Livii, Faventiam, atque Lugum ad publicos hujus noſtræ facultatis Doctores ſcribam, ac ea de nota librum tuum illis commendabo, quæ ſolet eſſe optima. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Mario Nizolio S. D.

Quæritur de literis ſibi vel non redditis, vel ſero redditis, quibus frui ex arbitrio non potuerit, oratque, ut opera ſua apud Principem, ſi acciderit, utatur.

12. DIi omnes omnia mala dent iſtis Tabellariis, qui aut nullas, aut tam ſero literas reddunt. Priores tuas ſcito mihi non eſſe redditas, poſteriores autem, eaſque apertas ſatis ſtrenue ad VIII. Cal. Auguſti; quarum dies erat XII. Cal. Julias. Te equidem, Mari, a quo die inter nos ſalutavimus primum [non enim accidit, ut una diutius eſſemus] æque ſemper amavi; ut vero tuas in Ciceronem legi Obſervationes multo tecum adſtrictiori benevolentia conjunctus ſum, ut quem in cæteris in dictione Latina adjuvandis optimum ſocium haberem. Quare multis modis iniquus tuli, tuas literas mihi non recte eſſe allatas, & quod illas legens tecum illam horam & loqui viſus eſſem, & quod ego, qui, quicquid ſum, ſi modo quicquam ſum, id tam amicorum eſſe volo, quam meum proprium, id tibi mi peramice quærenti præſtare nequiverim. Multo vero angor animo magis, quod tu quodam modo videris ſubvereri, ne ego ad eas reſcribere parum curarim; ſed me mea recta

ſuſti-

cuſtinet conſcientia. Probe enim ſcis, cum ſapiens unam culpam præſtiterit, nihil præterea ei præſtandum eſſe. Sed, quod inſtat, agatur. Ego, Mari, Ferrariæ ſum, atque eo etiam, quo plane ſcis, loco, hoc eſt, apud Principem meum non poſtremo. Sive ad eam rem, de qua mecum per eas literas egiſſe te ſcribis, ſive ad quicquid aliud, quod aut tua, aut tuorum cujuſpiam intereſſe putes, opera mea tibi uſu veniat, ſi me amabis, curabis, ut ſciam, cætera ego ita curabo, ut [vide quid dicam] opinionem tuam meo ſtudio, atque diligentia facile vincam. Vale. VIII. Cal. Auguſti.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Mario Nizolio S. D.

Libros viginti ſe conjeciſſe in faſcem ſignificat, licet ei redditi ſint duobus pauciores, qui ſi ablati ſint ab eo, qui his ſtudiis delectetur, ſibi id voluptati eſſe: opus de Gloria ſe ad eum miſſurum pollicetur, ubi occaſio commoda ſe obtulerit; additque ſuum honorificum de Longolii judicium.

19. TUas literas accepi, quibus mihi ſignificabas, tibi libros meos redditos fuiſſe, ſed duobus, quam ego miſeram, pauciores. Equidem in faſcem viginti conjeci, quos Octobonus noſter per Nicolaum Zanelium ſuum tibi mittendos curavit; qui vero eos attulerit, mihi ignotus eſt, ſed non magnum in iis damnum fecimus. Dii pejora avertant. Immo, ſi is, qui ſibi illos abſtulit, his ſtudiis delectatur, eſt, quod nobis voluptati ſit, quando ſcripta noſtra inde ei placuiſſe conjicere poſſumus. De pretio tu tanti eos judicabis, quanti videbitur. De Gloria qui ego tibi opus legendum poſſum mittere? Nam ſi id mihi in via pereat, quæ quam tuta ſit, plane videmus, numquam id alias ex eo, quod totum in lituris eſt, confecerim; ſi tamen id commodius potero, occaſionem non omittam. De Longolio alii aliter ſentiant, ego ita ſentio; ſed id tibi affirmo, Andream Navagerium [noſti hominis judicium] idem ſenſiſſe, qui ſolitus eſt dicere, non legiſſe ſe poſt felicioris ætatis Viros illos, qui Longolio magis Latine, ac etiam ſplendidius

didius loqueretur. Suum cuique eſt judicium. Hoc ejus Viri fuit, quem nos ſecuti ſumus. Longum aliis Lolium videatur; purgatiſſimum mihi frumentum videtur. Hoc quidem iterum & ſæpius affirmare non dubitabo, ſi Longolius vitam ſuam, quo potuiſſet, longiorem produxiſſet, hanc ætatem in uno eo omnem Latinæ Orationis dignitatem, atque ſplendorem fuiſſe cumulaturam. Gypſius rus ſe animi cauſſa contulit. Proxime enim non leviter ægrotavit; eum, ut redierit, opportunius, ut ſcribis, tuo nomine ſalvere jubebo. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Mario Nizolio S. D.

Ejus literas magno cum dolore ſe legiſſe ſignificat propter magnam inter ipſum, & Majoragium ut ſtudiorum, ſic etiam animorum diſſenſionem.

20. LEgi tuas literas meo ſummo cum dolore, intelligens, ut ſtudiorum, ſic etiam animorum inter te & Majoragium magnam factam eſſe diſſenſionem. Amo, Mari, non leviter Majoragium ob ejus optima ſtudia, ſingularemque humanitatem, quo Ferrariæ ſic ſum triennio familiariter uſus, ut nullo uſquam alio familiarius. Te vero ob eaſdem cauſſas jam multo ante omni ſum benevolentia complexus; quibus illud etiam accedit, quod te adjutorem habui in bonarum literarum cauſſa ſublevanda. Continuo enim noſtrum APPARATUM ſubſecutæ ſunt tuæ in Ciceronem nobiliſſimæ Obſervationes. Quare doleo mirum in modum, tantum diſſidium inter tales, ac tantos amicos meos incidiſſe. Utinam id prius ſciſſem, quam veſtrum iſtud odium ſe tam diris ſcriptis armaſſet; curaſſem equidem, ut vobis aliquid remedii afferrem. Et profecto, ſi vos neque ſententia conjungere, neque in veterem gratiam reconciliare potuiſſem, a tam turpi contumelia facile continuiſſem, qua a doctiſſimis, atque ingenuis Viris nihil alienius, nihilque abſurdius eſſe poteſt. Nunc vero, cum res uſque eo maledictis proceſſit, ut etiam utrinque edita ſint ſcripta in vulgus truculentiſſima, in quibus neque tot verba facta ſunt ad ſententiæ veſtræ defenſionem, quam quot acutiſ-

ſima ſpicula ad nominis veſtri internecionem conjecta, quid aliud remedii comparem, non habeo, quam ut iſtum meum caſum, veſtram iſtam fortunam, & meo, & veſtro utriuſque nomine querar, & lamenter gravius. Id quod facio tam dolenter, quam me uterque vos amatis, quamque ego vos utrumque diligo. Vale Idib. Janua. MDXLVIII.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Mario Nizolio S. D.

Reſpondet iis, quæ de Majoragio ad ſe ſcripſerat, & nihil utrique ſe deſiderandum reliquiſſe ſignificat, quod a ſe in tanto diſſidio expectari potuerit.

21. VArie tuis literis ſum affectus. Nam quod meum dolorem, quem ex tuo, atque Majoragii diſſidio contraxi, peramice probaſti, mihi ſummæ fuit voluptati; in eo vero, quod me accuſas, qui Majoragium, apud quem me plurimum valere ſcribis, a maledictis cæteris non deterruerim, mihi moleſte accidit; tametſi in quo officium meum deſiderare videris, ego omni culpa vacarem. Equidem, Mari, cum rem viderem [neque enim antea de ea quicquam audiveram] quaſi diſtrictis gladiis in media geri arena, atque iis animis, quibus atrociſſime agi ſolet, geri utrinque, nec me vobis ſpectatorem præbui cupidiſſimum, neque armatus in medium proſilui, ut veſtrum certamen dirimerem. Nam id animum meum graviter offendebat; hoc vero prorſus deſperabam. Sed feci quaſi pater duorum filiorum, qui, illo inſcio, jam ſe mutuis, atque altius adactis vulneribus transfixiſſent, qui, ſpe omni humana de eorum reconcilianda gratia prorſus abjecta, Deos omnes rogat, ut eos a tam crudeli pugna abducant. Nam quid ego tum agerem amplius? Utrimque enim tot, ac tanta ſpicula jam infixa erant, ut, utrum difficilius eſſet, an quæ adhæſerant evelli poſſent, an cæteris ullus locus ad nova accipienda vacuus daretur, haud ſatis decernerem. Qua una quoque ratione ego facile ſperabam vos per vos ipſos magis, quam aliorum precibus, ut veſtram iracundiam, veſtrumque virus omne, a cujus fundo non lon-

longe abeſſe videbamini, omnibus convitiis, probriſque evomuiſſetis, prorſus conquieturos. Neque enim puto, te exiſtimare, quemque ita veſtrum iſtud odium, atque impietatem eſſe ſedaturum, quin multum ſemper in intimis animis veſtris reſediſſe ſentiatis. Præterea vero, qui perſuadere aliquid alicui volunt, eos rem omnem, ut probe non ſolum teneant, ſed multa etiam ad ea pertinentia ut optime calleant, oportet; veſtra vero cauſa mihi tota ignota erat. De ea enim nihil audieram, neque quid cui ſatis crederem, habebam, præſertim cum uterque actorem, atque alter alterum reum faceretis, certe quod a me expectari potuit, neutri deſiderandum reliqui. Scripſi ad te epiſtolam ſummi doloris plenam; item ad eum; quo meo ſanctiſſimo officio id effeci, ne ipſe me negligentiæ accuſares, ille vero tuarum partium eſſe inſimularet; ut, cum vos inter vos reconciliare ſtudeo, quodammodo utrumque a me abalienaſſe videar. Sed is mihi ſcribit, ſe hac æſtate nos omnino eſſe viſurum. Si id præſtiterit, coram longius, atque ſtudioſius hac eadem de re agam, ac, quicquid egero, faciam te poſtea certiorem. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Joanni Franciſco Frigimelio S. D.

Commendat Joannem Baptiſtam Fuſchinium ob aſſiduum ſtudiorum laborem ita ſtomacho laborantem, ut nihil concoquat, totamque morbi rationem ei ſcriptam mittit, unde facile deprehendat, quid illi poſtea remedii ſit adhibendum.

22. JOANNES Baptiſta Fuſchinius meus Civis eſt, neque peſſimus Juris conſultus, qui in multis Præturis ſuam prudentiam optime comprobavit, quibus rationibus mihi chariſſimus eſt, ſed una ea multo etiam eſt charior, quod Vir eſt antiquæ bonitatis, atque ea integritate præditus, quæ in paucioribus cernitur. Hic aſſiduo ſtudiorum labore ita ſtomachum fatigavit, ut nihil concoquat, ex cujus frigiditate haud bella utitur valetudine. Cum vero mecum de ea [ut ſit inter amicos] quereretur, atque adeo quæreret, an ego te, in

quo magnam ſpem habere ſe diceret, quo tempore Venetiis agerem, ſorte noviſſem, reſpondi & noviſſe, atque etiam non parvum conſuetudinis uſum inter nos intercedere, mutuoque etiamdum nos amari. Tum is a me valde contendit, ut ſibi apud te in ſua ſalute recuperanda præſto adeſſe vellem, atque ita tibi ſuam valetudinem commendarem, ut facerem, ſi amiciſſimi valetudinem commendarem. Id quod ei libentiſſime recepi, nuncque [ut vides] quantum poſſum, præſto, ſtudeo equidem, quantum res ipſa, quæ eſt in vita recuperanda, [nam ita peſſime affectum vivere, quidvis aliud, quam vitam ego appellarem] ab amico poſtulat, ut huic ſubvenias, tibique ejus incolumitatem non ſolum ut amiciſſimi, ſed ut propriam facerem, ſalutem commendo. Sed mihi tamen non ſatisfacio. Hanc vero tu partem, quam ipſe a me deſidero, ſi tua diligentia in tuis remediis conſtituendis adhibebis, tum ego videbor omnia illi cumulatiſſime præſtitiſſe. Quare ne aut ego illum hac mea de te opinione, aut tu me in amicitia noſtra feſelliſſe videaris, te etiam atque etiam rogo. Is totam morbi ſui rationem tibi ſcriptam mittit, unde facile deprehendas, quid illi poſtea remedii ſit adhibendum. Quod, cum conſtitueris, per Abioſium, qui tibi has literas reddidit, quique pro eo tibi honorem habebit, nobis ſcriptum miſeris. Quod ſi conceſſeris, præter honorem, ſcito adoleſcentem quicquid poſthac ſecurioris ſpiritus duxerit, id tibi uni acceptum eſſe laturum, mihi quidem omnium gratiſſimum feceris. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Joanni Franciſco Frigimelio S. D.

Cum nullum reſponſum poſt tres menſes prioribus ſuis de Fuſchinio literis acceperit, iterum eum commendat, ne vel leviſſimus, vel frigidior in commendando apud ipſum Fuſchinium ipſe videatur.

23. AUt Rex ſit, aut quatriduanus [ut ille] oportet, qui tuæ opera uti velit. Fuſchinium Virum optimum, atque Juris Civilis minime imperitum, qui multas nobiliſſimas Præturas obivit, tibi diligentiſſime com-

commendavi, ac quo genere morbi affectus eſſet, ſummam ipſe tibi præſcripſit, quas literas ab Abioſio noſtro tibi redditas eſſe, certo ſcio, cum neque tamen quicquam aut remedii, aut verborum jam tres menſes nobis remiſeris; id quod ita mihi moleſtum accidit, ut nihil moleſtius accidere poſſet. Nam cum ego pro vetere mea erga te obſervantia, quid enim dicam benevolentia? a te omnia expectarem, quæ tui ſtudioſiſſimus expectare poſſet, eadem Fuſchinio libere pollicitus ſum. Quę & quoniam a me, ut res erat, dici videbantur, & ipſe in meis ſcriptis noverat, quam honeſte, ſummaque cum tua laude tui mentionem facerem, tum quia, cui opus eſt auxilio, ſi id ei pollicearis, avide omnia arripuit, is ex meis pollicitationibus in eam ſpem venerat, ut aut a te, aut a nullo alio ſalutem ſuam recipere poſſe confideret. Quod nunc ſecus ſibi accidiſſe videns, aut me falſo de te omnia jactaſſe, aut me ad te non ea de nota ſe commendaſſe, qua meliore ei facturum me receperam, ſuſpicari poteſt. Quorum utrum minus nolim, haud facile dixerim. Nam qui ei in meis de te honeſtiſſimis promiſſis falſus ſim, niſi leviſſimus, in eodem vero tibi commendando, frigidior, niſi iniquiſſimus, fuiſſe videri poſſum. Ut quoad aut excuſationem tuam eamque honeſtiſſimam afferas, aut [quod nobis optatius, atque etiam utilius eſt futurum] aliquid conſilii remiſeris, quo morbo iſto, ſi minus levemur, ſaltem ne gravius opprimamur, non ſatis ipſe, qui te apud me, aut me ipſum apud Fuſchinium excuſem, quicquam habeo; etſi ſcio, Fuſchinium pro ejus ſumma integritate hac omni de me ſuſpicione carere; ego vero neque me tibi totum elapſum eſſe confidam; utroque tamen non leviter afficior. Cui duplici moleſtiæ, quod in cæteris morbis unus omnium optime facis, te primo quoque tempore, ut ſubvenias, rogo, atque oro. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Joanni Baptiſtæ Ferrio Mucino S. D.

Certiorem facit, ſe de Stephano ejus filio cum Principe ſuo Aloyſio locutum eſſe, ſibique eum omnia eſſe pollicitum: Quod ſi autem eo in loco res non ſuccedat, alio ſe tentaturum promittit.

24. DE Stephani filii tui negotio cum Aloyſio noſtro locutus ſum. Is omnia nobis pollicitus eſt, quæ ad eam rem pertinere nos illi demonſtrabimus. Modo veniant Argentani, res abſolvetur, atque, ut nos volumus, abſolvetur; ſed, mihi crede, non venient. Valde enim metuunt Principis præſentiam; quamobrem autem, ipſi ſciunt. Quod ſi actidat, nos omni ſpe decidimus, iſque fiet, quem ſtabuli magiſter illis Principis nomine obtulit, ut videas quorum judicio medici, quibus Cives ſalutem ſuam committerent, in Municipiis decernantur. Sed illis pejus etiam accidat, quando id ferre poſſunt, neque quicquam queruntur, aut etiam hiſcere audent. Nos ſi hoc in loco non ſuccedet, alio tentabimus. Interea is iſthic artem ſuam exerceat, ac ſuis medeatur, ut eo nomine alienæ poſtea Civitates in eo alacriores ſint conducendo. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Joanni Baptiſtæ Ferrio Mucino S. D.

Queritur de Argentanis, quod nullus eorum adhuc apparuerit ad novum medicum petendum. Si venerint, ſe non deſperare, cum & a Principe, & ab ejus Fratre Aloyſio probe munitus ſit.

25. QUæſo te, quid hominum iſti ſunt Argentani tui? utrum ita inepti, atque inconſulti ſunt, ut, quid agant, non videant, aut ita malitioſi, atque fallaces, ut nobis tamdiu verba dent, atque improbe imponant? Nullus adhuc apparet. Quæro ego de quibuſdam eorum, ecquando veſtri Cives publico nomine ſe Ferrariam conferent?

rent? In dies, vel in horam potius, expectantur, inquiunt. Ecquid autem de medico? Gravate quidem illi, respondent, ferunt veterem amittere, novum adolescentem recipere. Sed quid faciant? Ita jubet stabuli magister. Magnum imperium; quasi qui in belluis, idem in Principibus dominetur. Quid autem de Ferrio nostro? magna quidem Civium pars illi deferunt, sed tantum abest, ut eum a Principe rogare audeant, ut valde etiam ejus conspectum fugiant. Quamobrem autem? haud injuria. Isti enim insolenter cum olim huic respondissent, gravius accepti sunt, neque postea quisquam eorum publice illum adire est ausus. Res ergo, ut videtur, acta est. Dii reliqua viderint. Ut videas, quid nobis reliquæ spei sit. Equidem, quod ad me attinet, nusquam tibi deero, modo isti veniant. Nam sine illis nullum consilium est, ut verbum ullum faciamus. Certe a Principe, atque Aloysio Fratre probe muniti sumus, ut, si venerint, non desperem. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Joanni Baptistæ Ferrio Mucino S. D.

Certiorem facit, tandem aliquando Argentanos venisse, non tamen ut novum medicum quærant, sed ut veteri confirmationem a Principe exorent: iram propterea suam ostendit, & quid egerit, significat: se de re commendata nunc prorsus desperare; si quid tamen ipse certioris spei habeat, id ad se scribat; se enim nusquam ipsi defuturum.

26. TAndem aliquando Argentani venere; tum copias meas educo, aciem instruo, nihil propius est, quam ut confligam, cum Camillus Tassonus mihi exponit, Cives istos Ferrariam accessisse, non ut novum medicum quærant, sed ut veteri confirmationem a Principe exorent; quod ut intellexi, ita ira exarsi, ut numquam iratior fuerim. Continuo Pasetium tuum convenio, rem expono, ita ut is inquit. Tum ego: quid igitur me rogas, ut istis præsto adsim apud Principem in re aliena? num ut aliis prosim, meis obsim? Breve tempus est, inquit, quod veteri medico postulant: post eum nostrum

conducent. Verba hæc mihi videntur. Quid opus eſt illum confirmare, quem paulo poſt ſint amiſſuri? Cur nos continuo non abſolvunt? idque magis a Principe efflagitant, ut ſibi liceat in medico deligendo ſuam potius, quam cujuſdam alterius ſententiam ſequi? quod cum nullo negotio impetrarint, Ferrium poſtea decernant, illum ſtabularium ad ſuos equos inſtituendos remittant? Tum ſe, ut ſolet, in humeros contraxit: ego vero prorſus de re deſperavi. Si quid tu tamen certioris habes ſpei, id ad me ſcribes; equidem nuſquam tibi ſum defuturus. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Joanni Baptiſtæ Ferrio Mucino S. D.

Sibi gratiſſimum futurum ſignificat, ſi nocte una Jacobum Fugatium amicum ſuum Ariminum proficiſcentem cum magna pecuniæ vi Lugi ſecum habuerit, ubi tutius, quam ad publicum hoſpitem, ſit commoraturus, oraque, ut curet, ut Petrus Rotius, quantum ſibi debeat, ei fideliter dinumeret, eique ſua fidei juſſione ex hac epiſtola caveat.

27. JAcobus Fugatius Ferrinii ſocer fuit. Cum Ferrinio autem qua ego neceſſitudine convinctus fuerim, quantumque ei etiamdum mortuo debeam, plane ſcis. Is eſt præterea homo antiquæ bonitatis, Ædilis autem [ſi quid hoc ad rem facit] Ferrariæ. Hic Ariminum iſthac proficiſcitur, noctemque unam Lugi eſt commoraturus. Eam ſi illum tecum habere poſſis, mihi gratiſſimum feceris. Hunc igitur meo nomine ad publicum hoſpitium adibis, quantumque in te erit, ut tecum domum ducas, verbis, precibus atque etiam vi; grata enim hujus generis vis eſt; contendes. Hoc enim ego de te ei pollicitus ſum, præſertim cum magnam vim pecuniæ ſecum ferat, quæ multo apud te, quam apud publicum hoſpitem, tutior eſt futura. Huic item curabis, ut Petrus Rotius, quantum mihi debet, fideliter dinumeret, tuque tua fidei juſſione ex hac mea epiſtola, quam tabularum vim habere volo, illi cavebis. Vale.

BAR-

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Joanni Baptiſtæ Ferrio Mucino S. D.

Dolet, Fugatium neque a publico hoſpitio nocte illa ad eum adduci potuiſſe, neque illi, ut mandaverat, ullam pecuniam fuiſſe adnumeratam. Rogat, ut curet, eum Arimi-num Fugatio mitti ad comparandum frumentum.

28. DE Fugatio moleſte tuli, quem a publico hoſpitio noctem illam ad te adducere nequiveris; quod vero mea pecunia, ut mandavi, huic nulla ſit adnumerata, ad moleſtiam etiam damnum accedit. Hic enim tantum frumenti mihi Arimini erat comparaturus. Idib. Quint. pecuniæ dies erat. Eam Vandinius mihi ſcribit paratam eſſe, ac, cui reddendam velim, tantum ſcribam. Scribo, ut tibi reddatur; non eſt factum. Nunc cum eſt Id. Aug. nulla eſt parata, ut mihi pro pecunia haud ſatis belle verba dari ſentiam. Cura, te rogo, ut ea ſaltem Ariminum Fugatio mittatur; ſed vereor, ut id per certum hominem facere poſſis. Sed novi prudentiam tuam, nihil temere feceris. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Joanni Baptiſtæ Ferrio Mucino S. D.

Gratulatur, Fugatium amicum ſuum Lugi ab eo ita amice acceptum, ut nihil amicius fieri potuerit, magnamque ei pecuniæ vim ſine ulla litera, quæ ejus rei teſtimonium faciat, reliquiſſe, ſignificatque, tum Fugatium, tum ſe ejus adventum in ſequentem menſem expectare.

29. XVI. Cal. Sept. Fugatius noſter rediit. Is mihi narrat, ſe Lugi aliquot dies commoratum, atque a te ita amice acceptum, ut nihil amicius fieri poſſet. Sed hoc ad humanitatem tuam pertinet, cujus multos pares habere potes; illud vero unicum eſt, quod tantam vim pecuniæ tibi reliquerit vel ſine ulla litera, quæ ejus rei ullum teſtimonium faciat. Magna rerum omnium ſimilium vis, atque affectio eſt, bonarum autem

tem tanto major, quanto eæ malis præſtant. Utriuſque enim integritas, atque animi bonitas ut propior, ac notior facta eſt, ita ſe arcte complexa eſt, ut una, atque eadem prope ſit facta; quod quantam mihi voluptatem attulerit, ne expecta, dum dicam. Is mihi ad Andream Sylveſtrium argentarium meam pecuniam reſcribi juſſit, teque in ſequentem menſem, idque ex tua fide, expectat; ego vero horam illam non video, ut te videam. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Flaminio Nobilio S. D.

Remittit literas, quas in Galliam ſcripſerat, & ſe correctas, ſilumque orationis, & locutionem laudat.

30. TUas literas, quas in Galliam ſcribis, legi, atque etiam, ut ipſe juſſeras, correxi, tametſi perpauca quidem fuere, quæ ulla emendatione indigerent. Nam verbum pro verbo reponere id quidem haud magni eſt momenti, multo vero minus ad numeri rationem verba commutare, atque ea alio ordine componere. Certe ſilum, quod in oratione maxime attenditur, rectius duci non poſſet; locutio vero ea eſt, quæ mihi valde probatur, atque ad ejus Viri tota imitatio, ad cujus rationem ipſe non ſolum ut ſcriberem, omni opera enixus ſum, verum etiam cæteris in meis libris de Imitatione demonſtravi. Eas tibi remitto, atque quicquid in eis alio modo, atque ante erat, offenderis ſcriptum, ſi id tibi quoque placebit, ut accipias, tibi item remitto. Malo enim ego tibi morem geſſiſſe in parum videndo, quam non videndo, te contempſiſſe videri. Vale.

BAR-

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Flaminio Nobilio S. D.

www.libtool.com.cn

Ejus, & Madii profectionem tum sibi, tum Antoniano moleſtam accidiſſe, hoc tamen utriuſque deſiderium læta cogitatione in quartum menſem ſe laturos, epiſtolarumque ſuarum editionem Bononienſem multo ſibi commodiorem futuram, ſignificat.

31. DIſceſſiſti tu quidem, Flamini, tui nobis omnibus maximum deſiderium relinquens; ſed tuo in primis Sylvio Antonianio, qui mihi rus ſcribens, ita tuum iſtum diſceſſum deflet, ut, ſi frater eſſet, amantius non defleret tuum diſceſſum. Ut ſcis, mox Madii noſtri profectio eſt ſubſecutura, ut brevi ſoli deſtituamur, atque eo tempore, quo noſtri conventus ſtudiorum æſtiva intermiſſione liberiores eſſe poterant, & non ſemper aut de Cœlo, aut de Anima, ſed de jocis, atque humanioribus Muſis agere licuiſſet, ſed hoc veſtri utriuſque tantum deſiderium læta cogitatione in quartum menſem ſuſtinebimus; etſi de te non poſſum non valde timere, ne ipſe parentibus tuis obtemperans domo propius ſtudiis eam ſummam facias, quam ii faciunt, qui a præſtantiſſimis Viris publico judicio in ſuum Collegium cooptantur, atque [ut dicunt] Doctoratus inſigni cohoneſtantur, quem meum metum etiam iſta tempora, in quæ incidimus, non parum augent. Nam ſi bellum hoc, ut cœpit, ire perget, magnum eſt periculum, ne togati armatis cedant, atque ita publica Gymnaſia tollantur, eorumque merces in militum ſtipendia transferatur, quo facto ad tui carentiam Madii quoque deſiderium accedet, ut Dii omnia mala illi dent, qui primus trabem illam, noſti cætera. Sed ad epiſtolas noſtras redeo. Eas multis de cauſſis nihil eſt, quod expectes. Bononienſis enim mihi multo earum commodior erit editio. Tu vero interea, ſi vales, curabis, ut id diutius facias, ſi minus belle habebis, ut optime convaleſcas, omnem operam dabis. Vale. V. Cal. Aug. MDLII.

BAR-

www.libtool.com.cn

prope in ipso vestro adventu de discessu cogitari cœptum. Sed fato, an fortuna? an Principum temeritati cedendum est? Consolor tamen, quod Patavium in tranquillissimam Urbem, atque perhonorificam Academiam proficiscaris. unde crebro, salutem hoc modo per literas, inceptam amicitiam non solum conservare, sed etiam augere, si quid tamen ei adjungi potest, utrique æque curabimus; etsi ætas mea, quam jam tuus ingravescentem vides, diutius hoc sperare non potest. Quod mihi tamen de ea demastum erit, id Camillo filio meo adolescentulo in quoquo fortunæ amplissimo gradu Dii te constituerint, fraterne dabis. Nos interim, ut facimus, æque inter nos amabimus, ac in nostris manuetioribus Musis conquiescemus. Vale, ac Gonzagbio tuo meo nomine salutem.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Antonio Possevinio S. P. D.

Rogat, ut Commentaria sua tum de componenda Historia, tum de Linguæ Latinæ ratione in communem studiosorum hominum usum, & commoditatem emittat, & a suarum epistolarum editione, quæ sub prælis sunt, tum sibi, tum cæteris amicis sitim hanc in iis edendis expleat, reliquisque omnibus hanc summam utilitatem pariat.

34. SCilicet errorem maximum, qui neque omnibus deprecatoribus, neque ulla pœna satis purgari posset. Sed quid si tu prudenter, atque edita opera tuam istam inscriptionem ita vitiasti, ut meum imprudentiæ errorem isto tuo perbelle ficto inscriptionis errato consolari volueris? An magis amorem erga me tuum in hac quoque nostrum nominum inversa inscriptione significasti, qui me eo modo illa ad te scribere, quæ ipse ad me scribebas, feceris? atque ita jam inter nos omnia communia esse ostenderis? Sed, utcunque sit, ego numquam tam imprudens fuissem, qui non statim animadvertissem, cum epistola edenda esset, non rectam nostrorum nominum esse scripturam, eamque facile in suos proprios casus restituissem, ut hac levi de causa tantopere tibi minime elaborandum esset. Sed si mihi per inceptam nuper ami-

ci-

www.libtool.com.cn

magis tuapte natura, quam ex ulla obligatione debitorem facis; nisi ista tua ingenuitate me ad te magis amandum cogere speraſti. In quo nihil proficis. Jam enim pietati meæ, quid enim dicam amori? qui te filii loco habeo, nihil adjungi poteſt. Tantum vero tibi gratulor, quod in pacatiſſimam Urbem veneris, quantum mihi doleo, quod te importuni iſtius belli ſuſpicio nobis abſtulerit. Sed hoc modo per literas præſentis ſermonis deſiderium levabimus, quando id coram efficere non licet. De Abioſio noſtro grata omnia. Sed is mihi mirifice de tua humanitate ſcribit. Etſi equidem optime ſciebam utrumque veſtrum, quemadmodum illi de me ſcripſeram, & tibi coram de eo promiſeram, ita eſſe comprobaturum. Quod Sigonius Vir doctiſſimus, atque doctrinæ ſuæ paribus præditus moribus de me tecum amantiſſime locutus ſit, cum vehementer gaudeo, tum eum eo in amore libenter mutuum facio. De meo Matutio nihil novi attuliſti. Utinam eum oculis meis vidi, quod novum fuiſſet, mihi nuntiaſſes. Madio, Nobilio, Pigna non aderat, tuo nomine [ut juſſeras] ſalutem dixi, qui, ut tibi eamdem adſcriberem, me rogarunt. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Alberto Bolognetio S. D.

Ipſdem epiſtolæ elegantiam laudat, mittenſque Opera ſua jam edita hortatur, ut in literarum ſtudia ardentius incumbat, Bolognetianque familiam ſuis virtutibus multo illuſtriorem reddat.

PAter tuus cum huc amitæ tuæ invaletudinis cauſſa acceſſiſſet, me cum Pompilii noſtri nomine, in ſua etiam humanitate adivit, quem ego utraque cauſſa humaniſſime accepi. Sed cum in ſermone in mentionem incidiſſet, ac tua ſtudia, ut prudens pa-, modeſtiſſime collaudaſſet, tuam mihi epiſtolam, am ſibi pridie ſcripſeras, legendam obtulit; qua pera, non ſolum eum multo libentius vidi, ſed paterno e amore ſum rapide inflammatus, qui iſta ætate, ppne cum pueritia conjuncta eſt, tam eleganter, idque

idque aliena etiam lingua, ſcribas, quem meum in te ſummum amorem, ut aliquo alio teſtimonio, quam literis tantum tibi comprobarem, ſum viſus. Mitto igitur tibi ex ſcriptis noſtris Opus de Imitatione; Epiſtolarum ad Principes Ateſtios conſcriptarum libros duos, tres item Orationes, non ut quicquam ex illis dictionem tuam adjuves, cujus omnia ornamenta ex una Ciceronis aſſidua lectione petenda ſunt; ſed ut videas, quam ipſe adoleſcens mox grandiorem natu, atque in ſcribendo exercitatiſſimum facile ſis ſuperaturus. Perge modo, Alberte, atque in iſthæc ſtudia, ut facis, ardentius incumbe, Bolognetiamque familiam, quam a majoribus tuis haud ignobiliem accepiſti, tuis virtutibus multo illuſtriorem reddas. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Alberto Bolognetio S. D.

Ejus morbo ægre ſe dolere, ſignificat, conſolari tamen, brevi fore, ut probe convaleſcat, nihilque eſſe, cur propter damnum in ſtudiis factum ſe affligat, cum quaſi recens multo ardentius illud arrepturus ſit, damnumque acceptum cumulatius reſarturus.

37. EQuidem hanc cauſſam, quamobrem ad meas literas nihil reſcriberes, eſſe non putabam, multo etiam magis nolebam; te ſcilicet, quo tempore pater Ferrariæ abeſt ad amitam tuam graviter ægrotantem, in febrim incidiſſe, neque etiamdum ex ea ſatis bene habere. Rebar magis, quod mihi pater tuus dixerat, ſero eum ad te rediiſſe, cum ei ruri aliquot etiam dies, ut a nobis diſceſſiſſet, commorandum eſſet. Quare iſto tuo morbo ægre doleo; ſed me conſolor tamen, brevi fore, ut probe convalueris. Quod vero damni in ſtudiis feceris, id quidem dolendum eſt, ſed non ita tamen, ut ut te affligat. Quindecim enim dierum iſta tuorum ſtudiorum ceſſatio parvum damnum afferre poteſt. Quin ea quaſi recens multo ardentius arripies, atque ea aviditate damnum acceptum cumulatius reſarcies. Interea vero valetudinem tuam cura, parentique ac patruo tuo meo nomine ſalutem impertito. Vale.

BAR-

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Franciſco Bolognetio XL. Viro S. D.

www.libtool.com.cn

De ſummæ in Patria ſua Dignitatis acceſſione gratulatur, non quod tanto honore auctus ſit, tantamque Dignitatem ipſe primus in familiam intulerit, ſed quod ejus ingenio materia dari non poterat, ubi ſe illuſtrius exercere poſſet, optatque ei in tota adminiſtratione fortunam ſecundam, quæ ejus omnes actiones optime fortunet.

38. EX omnibus epiſtolarum generibus uno eo ego maxime delector, cum amicis gratulor. Quid enim cuiquam gratius accidere poteſt, quam quod amico feliciter eveniſſe intelligit? Nam ſi amicorum communia ſunt omnia, id boni, quod alteri accidit, recte utrique accidiſſe videtur. Quare etiam non ſolum iis ea ratione gratulamur, ſed nobis etiam quaſi noſtra cauſſa valde gaudemus, ut ego nunc tecum facio, Bologneti, tua iſta ſummæ in Patria tua Dignitatis acceſſione. Audio enim, te XL. Virum factum eſſe, hoc eſt, iis Civitatis tuæ Principibus Civibus, qui Remp. gubernant, unum aſcitum eſſe. Neque id ſolum propterea facio, quod tanto honore ſis auctus, aut quod ipſe primus hanc tantam Dignitatem in familiam tuam intuleris, atque ad iſtam quoque gloriam poſteris tuis iſtum ingreſſum pateſeceris, quam quod ingenio tuo nobiliſſima materia, ubi ſe illuſtrius exercere poſſet, dari non poterat. In re quidem familiari optimum gubernatorem agere, neque quicquam aut non videre, aut non procurare, quod ad ejus uſum, & commodum pertinere videatur, non in poſtrema prudentia, ac laude poni ſolet; verum quanto privata Reſp. nobilior eſt, quantoque privatæ publica utilitas præſtat, tanto etiam Reip. cura, atque adminiſtratio, quam familiaris, ac privatæ magis elucet, atque reſplendet. In ea tu quidem quaſi novus Cato extitiſti; in hac vero, ut alter Cincinnatus extes, nihil eſt dubitandum. Nam ſi ab integritate tua nuſquam [quod nunquam facies] diſceſſeris, ſi aliorum conſiliis a tuo prudentiſſimo conſilio te ipſum auferri non ſiveris, ſi unius recti, atque honeſti tantum rationem adhibueris, huic cætera omnia poſt-

habueris, neque ullum privatum commodum tuum duxeris, quod prius Reipublicæ optime conducere non comprobaris, merito inter eos, qui domi ſuo conſilio Rempublicam ſuam adauxere, omnes te Hiſtoriæ concelebrabunt. In hanc igitur unam curam totus incumbes, unique huic rationi diligentiſſime ſtudebis, cum ut, qui te in ſapientiſſimum illum numerum delegit, ſuæ ſententiæ non pœniteat; tum etiam, ut qui numerum illum implefti, ita quoque impleveris, ut nihil deeſſe videatur. Sed quid ego ſus [ut dicunt] Minervam? aut etiam ſua ſatis ſponte incitatum animum impellere conor? Quare poſt meam gratulationem, quoniam in omnibus adminiſtrationibus ſuam partem aliquam fortuna habere videtur, eam tibi in tua tota adminiſtratione ſecundam opto, tuaſque omnes actiones ut optime fortunet, rogo, atque oro. Vale.

BAR-

BARTHOLOMÆI RICCII

www.libtool.com.cn

Epiſtolæ quædam ineditæ, aliæque.

Nobiliſſimus Eques Franciſcus Victorius Vir humanitate, & probitate inſignite eximius duas ſequentes Epiſtolas tradidit, ut publici juris fierent, excerptas ex Codice manu ſcripto Bibliothecæ domeſticæ Victoriorum Romæ.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Petro Victorio S. D.

Extat in Tomo I. Epiſtolarum manu ſcriptarum Illuſtrium Virorum ad Petrum Victorium Epiſtola 113.

Se daturum operam pollicetur, ut ejus amori reſpondeat: Typographi errore factum ſignificat, ut librum ſuum ſine literis acceperit: addit, ejus nomen ideo cum iis Viris, ad quos ſcribit, non eſſe, quia ſatis per ſe ſuis ſcriptis ipſe longiſſime prælucet, atque adeo aliorum multorum quotidie nomina immortalitati commendat: gratias agit, quod tam honorifice de ſuis ſtudiis, & laboribus ſentiat: mittit Dialogum de Judicio, & opuſculum de Evitanda Iracundia: denique ſubjicit, ſe eum ſemper ſumma obſervantia proſecutum eſſe; nunc vero ejus ingenuum animum in pollicitando toto animo, neque minus ingenuo, accipere, eoque ſe uſurum, cum uſus venerit.

1. TUas literas accepi, quæ mihi jucundiſſimæ fuerunt; ſed eo multo jucundiores accidere, quod mihi minus erant expectatæ. Quid enim ego hoc tempore a doctiſſimo Viro ejus generis literas expectaſſem, cui nihil ipſe ſcripſiſſem? neque meam illi ullam operam opus eſſe ſcirem? Sed ſummum tuum erga me amorem ſignificare voluiſti, cum etiam nulla, vel ſaltem

leviſſima de cauſſa calamum continere nequiviſti. Quem ego contra non ſolum ut æquem, ſed, quemadmodum cum amicis facere ſoleo, ut ſuperem, omnem operam daturus ſum; interea vero tuis literis reſpondebo. Continuo igitur, quod librum meum ſine meis literis a me dono acceperis, nihil eſt, quod mireris. Nam cum bonus iſte Typographus, qui mihi librum illum in plumbo ad prælum ab omnibus, ut patet, mendis perpurgatum deſcripſit, hinc a nobis diſcederet, a me tria ejus volumina, quæ iſthic doctiſſimis Viris, in quibus te nominat, partim legenda, partim etiam dono daret, multis verbis poſtularet, morem ei geſſi, aliquot dari juſſi. Hac ratione factum eſt, ut meus liber ſine meis literis in tuas manus perveniret, cui tam bonam fortunam immortaliter gratulor. Immo vero, mi Victori, ut ingenue cum ingenuo agam, numquam neque ſine, neque cum literis meum librum tibi miſiſſem, ne aut ineptus, aut inſolens videri poſſem, qui tam familiariter cum eo agerem, quicum mihi nullus uſus, nulla conſuetudo, nulla etiam literarum vel ſimplex miſſio intercederet. Quod vero dicis, id te pupugiſſe, cum nullum nomen tuum cum iis Viris, ad quos ſcribo, reperiſti, facilem habet excuſationem. Nam cum hic ſcribendi mos inventus ſit, ut abſentes certiores faceremus de iis rebus, quæ illos aut noſtra, aut ipſorum cauſſa ſcire intereſſet, cumque nihil horum, quamobrem tecum facerem, mihi unquam interceſſiſſet, nullum meum erratum videri debet. Neque enim arbitror, te aliquid luminis ex meis ſcriptis nomini tuo quærere, qui non ſolum tuis tibi longiſſime præluces, verum etiam multos quotidie immortalitati commendas. In eo verò, quod me de optimis ſtudiis optime meritum eſſe teſtaris, qui meo labore, atque induſtria ea quodam modo expoliverim, atque cultiora reddiderim, id tuæ magis do humanitati, quam ex meis ſtudiis agnoſco. Contendi equidem, quantum in me fuit, adoleſcens, ut meis obſervationibus mihi primum, deinde etiam cæteris aliquid prodeſſem; atque utinam, quod ad me attinet, eſſem aſſecutus. Alterum autem, quoniam ipſe, qui id in primis neque uno ſtudii genere præſtitiſti, mihi tam das fideliter, putabo ita eſſe, præſertim cum hoc teſtimonium ab homine item integerrimo mihi proficiſcatur.

Ex

Ex quibus meis ſcriptis quoniam addis, ea te libenter legere, mitto tibi Dialogum de Judicio, qui paulo ante & ipſe in vulgus exiverat, cum hoc etiam de evitanda Iracundia Opuſculo; fortaſſe brevi Commentarium in quartum Virgilii Æneidos miſſurus; ſi mihi tamen non ſemper ſit cum ingratiſſimis impreſſoribus agendum. Ad tuas autem peractas gratias nihil reſcribo, ut qui tibi multo majorem debeam, qui doctiſſimus, & eloquentiſſimus Vir mea ſcripta tam libenter legas, & tantopere commendes. In poſtrema vero tua erat epiſtola, me te non fruſtra diligere cœpiſſe. Non ego nunc te incœpi amare, Victori, ſed a quo die nomen tuum tuis ſcriptis celebrari cepit, ſumma te obſervantia ſum conſtantiſſime proſecutus. At nullam ſignificationem feciſti. At, quamobrem id facerem, non accidit. Neque ego is ſum, qui populares auras aucuper, atque me inſinuem in magnorum Virorum amicitiam, nulla oblata condigna cauſſa. Te igitur amavi ante, atque obſervavi etiam inſcientem; nunc vero tantum amoris veteri meæ erga te benevolentiæ acceſſit, quantum noſtri amor jure æquiſſimo poſtulare videtur. Tuum denique iſtum animum tam ingenuum in pollicitando, toto animo, neque eo minus ingenuo, accipio, eoque utar, cum uſus venerit, hac tamen ratione, ſi ita tu mecum mutuo feceris, qui quod ante malo noſtro fato, nulla noſtra cauſſa inter nos omiſſum eſt officii, omni ſtudio contendere debebimus, ut ne quid omnino omiſſum eſſe videatur; id quod mutua officiorum crebritate, ſi inter nos certabimus, facile aſſequemur. Vale. Ferrariæ III. Non. Mart. MDLXIII.

Victorii epiſtola ad Bartholomæum Riccium ſcripta legitur in ejuſdem Epiſtolarum lib. V. pag. 110. editionis Florentinæ apud Junctas 1586.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Petro Victorio S. D.

Extat in eodem Codice Epiſt. num. 146.

Orationem mittens epiſtolæ brevitati ingraveſcentem ætatem prætendit.

2. BRevis ſum; neque enim res longiorem poſtulat orationem. Etſi id poſtulet, per ingraveſcentem ætatem meam, quæ jam longum ſcribendi laborem non fert, mihi facere non licet. Mitto tibi Orationem, quam puto ultimum mei prædioli fructum futurum, eam quidem, ut vides, ſatis frigidam, ac languidam, ſed bipeda ..... etiam ſenex neſcio deponere, eam leges, vives, valebis. Ferrariæ III. Non. Octob. MDLXVI.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Joanni Franciſco Octobonio S. D.

Occaſionem ſibi oblatam cum eo de rebus ſuis colloquendi malo fato ablatam fuiſſe, querens, quod coram agere in animo erat, nunc per literas agit, & nonnulla ab eo petit, excellens ejus ingenium laudans, ſuam benevolentiam pollicens, ſeque brevi cum eo futurum ſignificans.

3. CUpiebam mirum in modum, Octoboni ſuaviſſime, antequam a vobis diſcederem, te alloqui, ac tecum eſſe, plura de meis rebus commentaturus, peropportunaque occaſio ad ea ipſa peragenda ſe ſe nobis obtulerat, cum, ſolutis Comitiis, te otioſum offendiſſem in porticu tua; ſed eam omnem eripuit fallax illud mentum, atque os impudentiſſimum [noſti quem dico] qui te horrida voce præconis, quaſi in vincula conjectum vellet, vocari juſſit. Iſti Dii mala multa dent, perdantque hominem perditiſſimum, qui me literis cogit tecum agere, cum multo libentius coram. Quæ autem hoc tempore abs te petere non verebor, hæc ferme ſunt, ut alia omittam. Primum, ut cum tibi reſtituerit Bordius noſter

ſter Eclogam vitæ Viri doctiſſimi, eam ad nos quam primum mittas, illique adnectas carmen Petrarchæ, *Chiare, freſche, e dolci acque*, quod Latinum fecit Flaminius, & penes te eſſe ſcio; deinde, ut Civranum convenias, rogeſque hominem meo nomine, ut Gubernatores adeat, exigatque tres aureos nummos, quod noſtrum eſt ſtipendium menſtruum; quod ſi hic facere neglexerit, obſecro, ipſe cures; poſtremo ſcito, te mihi eſſe cariſſimum, & jucundiſſimum, perpetuoque futurum, meumque in te amorem incredibilem eſſe, cujus etiam magnitudo facit, ut te obſecrare non dubitem, ut quam tui expectationem excellens ingenium, ſummaque virtus apud omnes excitavit, eam tueri, ac etiam ſuperare nitaris. Quod te facere certo ſcio, & facturum confido. Nos viciſſim dabimus operam, Diis, hominibuſque probantibus, ut tales eſſe, atque haberi poſſimus, qui tuo amore, atque benevolentia digni tibi aliquando videamur, ut amatorem Philoſophum in primis decet. Vale, & nos abſentes defende, ſi quando in malevolorum ſermones incides, qui nos accuſent, & lacerent. Maxime etiam cupio, ut de omnibus rebus, quæ occurrent, quam familiariſſime nos certiores reddas. Propediem vos videbimus.

Ex Urbe Patavio V. Cal. Octobres.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Joanni Franciſco Octobonio S. D.

Ejus literas gratiſſimas ſibi accidiſſe ſignificat, ſed propter ejuſdem in dicendo facundiam, & divitias orationis nimis breves fuiſſe: de ſuo itinere Bononiam nihil ſcribere, ne ſibi dolorem renovet, cum admodum grave, ac laborioſum fuerit. Ex Civrano eum intellecturum, ea, quæ geruntur, ſatis ampla, & auguſta eſſe; de reliquis ex ſe coram habiturum.

4. HEu me miſerum! Tu qui ſexcentos, quos habes amicos abſentes, ſoles quam longiſſimis literis explere, tam paucis mecum agis? Potes quidem & per te ipſe cognoſcere, & a Civrano intelligere, nemini tuas literas gratiores eſſe, quam mihi; inique tamen

men feciſti, quid meum languentem prorſus animum excitare primo volueris, moxque ipſum deſtituere. Fuit profecto minus plena voluptas, quam ex tuis literis percepi, non aliam ob cauſſam, quam ob earum brevitatem, præſertim cum optime noverim tuam in dicendo facundiam, & divitias orationis. Cæterum non poterat mihi hoc tempore, hiſque in locis quidquam gratius accidere tuis literis. Præſeferebant enim veram Latini ſermonis puritatem, ſummamque tuam in me benevolentiam. Sed de his hactenus. Scripſi ad te ex Urbe Ferraria omnem itineris noſtri rationem, & id quidem pluribus: quod ſupereſt Bononiam uſque, adeo grave ac laboriosum fuit, ut ipſe mihi dolorem renovare videar, ſi illud aut ſcripſero, aut cogitatione complexus fuero. Quæ autem hic geruntur, ampliora ſane ſunt, atque auguſtiora, quam poſſint literis explicari. Ex Civrano tamen quædam intelliges. Reliqua ex me ipſo coram cognoſces. Tu, velim, ad me quam ſæpiſſime, quam familiariſſime, atque abundantiſſime ſcribas de omnibus rebus, quæ iſthic gerantur. Diſceſſurus ſum Bononia, Ferrariam properans, ubi ero per biduum. Ibi tuas literas inveniemus, vel ſaltem expectabimus. Vale.

Ex Urbe Bononia XXIV. Feb. MDXXIX.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Pio V. Pontifici Maximo S. D.

Conſilii ſui rationem exponit, cur ei potiſſimum Orationem dicandam cenſuerit, qua Principes Chriſtianos hortatur ad arma contra Turcarum Regem ſumma animorum conſenſione ſumenda, Deumque orat, ut eum in cuſtodia Gregis ejus curæ, ac vigilantiæ concrediti diutius conſervet.

5. CUm viderem, Summe Pontifex, quanto furore, quid enim dicam quanto apparatu? Rex Thracum iterum in Chriſtianam Rempublicam rabioſe inferretur, qui vix a Melitenſi obſidione diſcedens, in Pannoniam multo majores copias ad novum bellum inferendum trajiceret, atque Chriſtianis unam tantum concordiam ad tantum hoſtem infringendum deſiderari perſpicerem, eorum Principes ad hanc unam in primis inter ſe con-

conciliandam hac Oratione ſum pie cohortatus, hoc eſt, ut quemadmodum jampridem Civilia arma depoſuiſſent, ita etiam, ſi quid forte ſimultatis adhuc in eorum animis reſideret, eo quoque prorſus omiſſo, vere, atque Chriſtiane in iſtum crudeliſſimum, ac ſempiternum hoſtem ſuum conſpirarent; ad cujus ſanctioris fœderis firmiorem rationem ſtabiliendam, ut Ipſe quoque fidem, atque auctoritatem Tuam interponeres, Te omnibus precibus rogabam, atque orabam, qua una poſtea animorum certiſſima conſenſione armati, nihil dubitandum erat, quin iſtum atrociſſimum hoſtem etiam, quam duplo potentiorem, facile ſuperarent. Hanc autem cum illis mittere cuperem, ratus ſum multo majorem cum dignitatem, tum etiam auctoritatem apud eos habituram, ſi eam ſub alicujus magni & Viri, & Principis nomine mitterem. Quam meam ſententiam cum ego cum Hippolyto Ateſtio Cardinali Ampliſſimo communicarem, continuo ille, quæ ſua ſumma in Te eſt obſervantia, quemque unice ſemper dilexit, ut ſub Tuæ Sanctitatis nomine illam divulgarem, mihi propoſuit. Quo fideliſſimo, atque prudentiſſimo conſilio comprobato, abjecta omni mea humilitate, atque cum tanti Principis amplitudine Tuam humanitatem, quam quotidie, vel potius in dies ſingulos, in cujuſque generis homines declarare non ceſſas, fideliter conjungens, hanc, ut vides, ſub Tuo nomine publice deſcriptam edidi. Utinam vero Deus Opt. Max. faceret, ut quo ego illam animo ſcripſi, eo quoque ab illis acciperetur, atque in ea tanta vis eſſet, quanta ad tantam rem perſuadendam opus eſſet. Sed vel nihil ea opus fuerit ad eorum integriorem concordiam conciliandam, vel ſane jejune, atque exiliter, quod fortaſſe verius eſt, perorata ſit; mihi tamen homini duo de octoginta annos nato ſatis eſſe poterit, me cum honeſtiſſima cauſſa, eaque Chriſtianiſſima animum habere conjunctiſſimum declaraſſe, quo Deum Opt. Max. rogo, ut Te, quem ipſe ſolus Gregi ſuo Paſtorem proxime delegit, ac quaſi de Cœlo in ſummo ejus periculo demiſit, diutius in illius cuſtodia conſervet. Interim Chriſtiane, ut facis, vale. Ferrariæ XV. Cal. Septembris MDLXVI.

BAR-

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Alphonſo Muſtio S. D.

Libellum de evitanda, atque compeſcenda iracundia ei inſcribens id eo animo a ſe fieri ſignificat, non quod ejus præceptis quicquam indigeat, ſed ut eum imitetur, qui ſpeculum formoſiſſimæ fœminæ mittit, in quo pulcritudinem ſuam conſpiciens magis lætetur, quam ut quicquam parum compoſitum corrigat.

6. SCribebam, Muſti, ad Julium Cochium meum Diſcipulum de cohibenda, atque evitanda iracundia, ut quem a puero eo vitio maxime laborantem noram; quem Libellum cum nunc edere vellem, ſi quid etiam fortaſſe quempiam alium in eo juvare poſſem, ut is ſub tuo nomine exiret, ſtatui; non ut ipſe quicquam ejus præceptis indigeres, quem nunquam multis, iiſque etiam non levioribus injuriis laceſſitum, hac animi perturbatione commotum ſenſi; ſed feci tamen, ut qui ſpeculum formoſiſſimæ Fœminæ mitteret, in quo oris ſui pulchritudinem magis conſpiciens lætaretur, quam ut quicquam in eo parum compoſitum emendaret. Quam animi erga te mei ſignificationem ut eo animo accipias, quo cætera accipere ſoles, hoc eſt, quo me plurimum amas, te etiam, atque etiam rogo. Vale III. Non. Octobr. MDLXI.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Aonio Paleario S. D.

Hortatur, ut ad se Latino sermone scribat, quo posthac cum eo se usurum pollicetur, ut stylum exerceat, eumque ad meliorem scriptionis rationem revocet. Mittit Defensionem suam adversus Gasparem Sardium: rogat, ut quærat, quid de Jacobo Grisolio sit, quem rumor sparserat diem suum obiisse: Apparatus sui exemplaria nulla amplius apud se esse significat, operisque De Gloria *in tres libros distributi primum librum a se absolutum admonet.*

Extat inter Epistolas Aonii Palearii editionis Basileæ apud Joannem Opporinum lib. 4. pag. 181. num. 10160. inter libros Vaticanos impressos ibidem pag. 184.

7. QUid hoc est, Aoni? Num semper Italico sermone per literas agemus? Numquam ne Romanus stylus, quo in perpetuis scriptis, atque ad alios sæpe amicos utimur, locum ullum in nostris literis habebit? Hoc quidem, quo vulgus noster loquitur, sensa nostra, perinde atque Latino, plane explicamus: nisi id etiam interdum ex rebus novis, suis Latinis nominibus carentibus, plenius ac significantius facimus: hæ tamen literæ nullum aliud lumen, nullius alius lectionem, quam utriusque nostrum, sunt habituræ: præsertim meæ, quæ tam longe a vestra Hetrusca dicendi ratione absunt; quam qui longissime gentium [etsi tantum Apenninus nos disjungat]. & natus & altus sit: ut eas in ulla volumina, quæ ejus quoque linguæ multa multorum simul una Scriptorum quotidie eduntur, conjici posse nullo modo sperem. Quare ego hoc Latino posthac utar, & ut stylum exerceam, & te quoque ad hanc meliorem scriptionis rationem revocem. Mitto igitur tibi Defensionem meam adversus quemdam Sardum, hominem tam iniquum, quam etiam ignarum, cujus stultitiam in ea facile agnoscas. Nam in quo me accusat, proponi primo in loco fideliter, postea vero mea ut sequatur Defensio, æque curavi: in quo meo adversario,

ſario, Dii me perdant, ſi quid boni eſt, præter quod ego alter Cicero cum iſto eſſe videor, quando & ipſe ſuum Sardum Sardo habuit nequiorem. Tametſi in meo multi inſunt Sardi, etiam nequiſſimi: quos tamen ita fregi, itaque contemptos reddidi, ut ne hiſcere quidem audeant. Nam quod præfracte pergant in ſuis nominibus, Catonibus, Lentulis, Metellis, Cethegis, Dolabellis, & reliquis ejus generis cognomentis inſanire; concedunt tamen, Romanorum Familiarum nomina in *ius* terminare: ut modo nobiſcum ſentiant, modo contra; ſecum autem eodem modo ſemper, hoc eſt, inconſtanter agant. Sed jam iſtos miſſos faciamus. Quintus annus agitur ipſe, cum Jacobus Grifolius hac tranſiit, Senas accitus ad Latinas literas publice profitendas: nihil poſtea neque ab eo, neque de eo mihi nunciatum eſt. Nunc vero Venetiis triſtis mihi rumor affertur, qui me quoque prope occidit, illum diem ſuum obiiſſe. Si me amas, quæras quid de illo ſit, meque poſtea hac graviſſima ſolicitudine libera. Amavi enim illum, quam qui maxime amari potuit amicus; ac quod ego ſpero, cupio quidem certe, me certiorem fac, eum vivere, etiamſi mortuus ſit. In hac enim falſa ſpe me ſuſtineri facile patiar. APPARATUS meos, quos requiris, ſcito apud me nullos eſſe; Florentiæ tamen reperiri quoſdam audio. Id utrum ſit, ex librariis ſcire, atque inde tibi accommodare poteris. Opus de Gloria [vide quæſo quid mihi in mentem venerit] paulo ante ſum aggreſſus, idque in tres libros diſtribui, jamque primum abſolvi, reliqua pergo. Utinam propius adeſſes, aut ſaltem tanta Alpium juga nos diſcluſos non haberent. Sperarem enim tuo judicio uti poſſe. Sed Dii videbunt, cum erunt abſoluti. Vale. Calendis Maji.

BAR-

AONIUS PALEARIUS

www.libtool.com.cn

Bartholomæo Riccio S. D.

Rationem affert, cur Hetruſco dicendi genere in literis familiaribus utatur, verbaque Græca in Epiſtola Latine ſcripta inſerat: ſubjicit, in Italia linguam Hetruſcam mirificam eſſe & ad dicendum, & ad ſcribendum, ſicuti in Græcia aptiſſima fuit lingua Attica ſolutæ Orationi: nomina Romanarum Familiarum barbaros ipſos ejus ſcriptis admonitos, ut videantur Latini, ſecundum nomen correxiſſe imitatione Romana, aliaque addit reſponſionem ſuperioris Epiſtolæ continentia.

8. EGo vero fateor, me dicendi genere, quod hoc tempore in Hetruria floret, valde delectari, & quia elegans eſt, & venuſtum, & quia ab eo non longe abeſt, quod in Italia nati, atque alti hauſimus. Utinam, mi Ricci, natura nos labore hoc levaſſet, quem quotidie inſumimus in ediſcendis Linguis: id feciſſet certe, ſicut ſunt omnium gentium & nationum ſenſa communia, ſic eſſent τὰ ἐν τῇ φωνῇ τῶν ἐν τῇ ψυχῇ παθημάτων σύμβολα. Græce dico, quod Latinæque non inveniam; nam melius non audeo dicere; Thuſce fortaſſe poſſem. Quod ſi cum amico ſic agere oportet, ut non quaſi alicunde meditatus venias, quod ego ſic interpretor, *ut quicquid in animo eſt, quicquid venit in buccam, illud ipſum ſcribas*, vereor, ne injuriam faciamus veteri amicitiæ, ſi cum amamus nos inter nos, & per literas familiariter loquimur quaſi præſentes, in perquirendis & conjungendis verbis Latinis ſimus occupati. Quid igitur, inquies, verba Græca ſunt in Epiſtola tua Latine ſcripta? quia conſuetudine illa interpretandi non quæſita etiam occurrunt. Ut cum ſomnus arctior nos complexus eſt, ea ſæpiſſime animo obverſantur, de quibus vigilantes quotidie cogitare & loqui ſolemus; ſic dum ſcribimus, verba ſua ſponte prodeunt, ac offerunt ſe ex formis, quæ legendo, & ſcribendo in nobis hæſerunt. Quin etiam ut dicam tibi, quoniam tu inſtitutum mihi tuum aperuiſti, ego quoque in interpretationibus Latinis & Græcis, cum Oratio Latina curſum tenere non poteſt, inhibeo: cumque alio

mo-

modo remigare cœpi, pauliſper adhibeo voces Hetruſcas; non dico Italas, quod non omnes probem. Sicuti enim in Græcia aptiſſima fuit lingua Attica ſolutæ Orationi; ſic in Italia Hetruſca mirifica eſt, & ad dicendum, & ad ſcribendum maxime accommodata; cujus ego te in his literis, quas ad me jam ſæpe dediſti, oſtentatorem non agnoſco inanem ac tumidum, ſed Scriptorem accuratum & diligentem. De hoc ſatis. Ad illud venio, quod Epiſtolam tuam ſuperiore anno ſcriptam hodie Nonis accepi. Tu vide, quam raro tuæ ad me perferantur. Deſino mirari, ſi quas Florentiæ dedi, ad te non ſunt allatæ. Poſthac, ut omnia impedimenta vincam, ſi quid erit, quod aut mea, aut tua intereſſe arbitrer, dabo eodem exemplo plures ſcriptas. De nominibus Romanarum Familiarum, nemo eſt gnarus antiquitatis, quin tecum ſentiat: ipſi etiam [quod tibi gratulor] qui Græcam rationem ſequebantur, ipſi etiam barbari tuis ſcriptis admoniti, ut videantur Latini, ſecundum nomen correxerunt imitatione Romana. Griſolum noſtrum feriis æſtivis omnino conveniam, & interea faciam per literas certiorem de pietate iſta tua. De Apparatu linguæ Latinæ ſcripſi ad te antea. Florentiæ curata fuit pecunia Bonviſiorum nomine: & eſt jam copia adoleſcentibus noſtris, qui ob iſthuc ipſum te multum amant; avidiſſime tamen expectant libros de Gloria. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Gaſpari Sardio S. D.

Hac epiſtola animum Gaſparis Sardii ſibi conciliare conatur, veniamque eorum petit, quæ in eum multa male animo oblocutus fuerat, ut videre eſt in Reſponſione contra Gaſparem Sardum de Prænomine, Nomine, & Cognomine *in Tomo Tertio Operum Bartholomæi Riccii inſerta.*

9. DE me, Sardi, & peſſime locutus es, nec honeſtiſſime etiam ſcripſiſti. Ego vero utrique reſpondens, par tibi retuli, niſi quod mea honeſtior ratio fuit, qui provocatus tibi reſpondi; tua vero iniquior, qui nulla prorſus cauſſa in meum nomen & verbis inimi-

miciſſimis, & ſcriptis etiam inimicioribus invectus es. Sed ut te ſum in cauſſa, ſic etiam in Chriſti Opt. Max. fide ſuperior eſſe volo. Cras de more meo eum in me ſum accepturus. Quoniam vero is ita jubet, ut prius iis recte conciliemur, quibuſcum inimicitias geſſerimus; ego tibi, quę adverſus me oblocutus es, ea condono omnia, Chriſtumque Opt. Max. ut eadem tibi ignoſcat, rogo, teque contra oro, ut, quicquid a me extorſiſti in te, atque in tuum nomen, ne poſthac recorderis; ſed tu quoque Chriſto modo remittas, atque condones. Vale, & me ut Fratrem chariſſimum dilige, quem ego contra eodem modo valde amo.

ALOYSIO ATESTIO

Cardinali Ampliſſimo

Bartholomæus Riccius S. P. D.

Cum in Beriguardo ampliſſima, ac Regia Villa Aloyſius Ateſtius Cardinalis cum aliquot doctiſſimis Viris ruſticaretur, accidit, ut ad aures ipſorum cujuſdam famuli hæc verba advolarent: nullum habes Judicium, *ex quo factum narrat, ut ipſe opus* De Judicio *inſcriptum, eidemque Cardinali dicatum confecerit.*

10. CUm ſuperioribus diebus Urbanos æſtus vitans, in Beriguardum ampliſſimam, ac Regiam Villam te contuliſſes, tecumque Fulvium Rangonium, Camillum Gualengium, Franciſcum Martellum, Benedictum Manzolium, ac Joannem Baptiſtam Cananium haud impolite literatos Viros duxiſſes; plane ſcis, cum nihil eorum, quæ ad animi recreationem, atque corporis refrigerationem pertinerent, eſſe omiſſum, qui meridianos illos Cœli ardores in ampliſſimæ Villæ porticibus mitigares; veſperi vero aut in amœniſſimis hortis, aut ad umbroſiſſimas populos, quæ totam anteriorem Ædium partem conveſtiunt, ſive ſedens, ſive lentius ambulans te te placide ageres; tum hoc jucundiſſimum otium nobiliſſimis ſermonibus aut dedita opera inductis, aut fortuito, atque ex tempore oblatis conditum eſſe minime ignoras, quemadmodum poſtremo illo die, cujus ego po-

poſtridie in Urbem redire ſum coactus. Nam, cum jam ſublatis menſis, ſuperior ſermo, quem ego poſtea ad Alphonſum Ducem, Fratrem Tuum in Orationem concluſi, utrum præſtaret, an Rex, qui bellum gereret, id per ſuum Imperatorem adminiſtrandum curaret; an ipſe præſens adeſſet ad imperandum, confectus eſſet, atque eo ventum eſſet, cum omnes tacerent: ecce tibi vox [credo ex tuis alicujus eam fuiſſe, qui tibi ad equum pedibus operam dant] ad aures noſtras advolat: *Nullum habes judicium*. Tum Manzolius Martellum intuens; audi, Martelle, ut etiam homines infimæ conditionis de Judicio libere ſentiant; quod adhuc multi, iique non imperiti Viri quid ſit, aut unde oriatur, non ſatis habent exploratum. Tum ipſe vocem ejus excipiens; ego quoque, Manzoli, non ut me in iis, quos valde peritos Viros eſſe dixiſti, ſciam eſſe connumerandum, ſed qualis tamen ego ſim, quodnam hoc ſit judicium, aut unde comparetur, nondum ſatis intellexi. Quare mihi quam gratiſſimum erit, ſi quod quiſque veſtrum de hoc ſentiat, id me planius edocuerit. Ac quoniam Manzolius hoc in ſermonem intulit, is, ut qui fortaſſe habet aliquid magis reconditum, primus in hanc arenam deſcendet. Tum modeſtiſſime, ut ſolet, Manzolius. Equidem, ut libere dicam, magis habeo, quod libenter in hanc audiam ſententiam, quam quod quiſquam quicquam de me audire poſſit; ac quam ego Judicii difficultatem eo modo indicarim, id ita mihi caſu tum ſuccurrit; neque ejus piget. Nam quod ipſe a me habere non potes; fortaſſe ego per te ab iſtis doctiſſimis Viris Fulvio, Gualengio, Martello, Cananio, Riccio auferre potero. Quibus dictis, in Fulvium, quaſi illum invitans, oculos convertit. Tum Fulvius: neque ego me ſatis explico, ut, quid hoc ſit, libere dicam. Magis equidem ſentio in quo hoc Judicium deeſſe video, quam quamobrem id fiat, ut proferre ſciam. Hunc poſtea Gualengius ſecutus eſt; qui interea quid diceret, animo ſecum volvebat; etſi hoc tantum evolverat, eſſe rem omnium nobiliſſimam, atque ideo ex ſua nobilitate paucis eſſe communicatam, neque item propterea quid eſſet, facile dici poſſe. Tertio in loco Cananius & ipſe quædam attulit, minime ingrata; ſed ipſe quoque in quo ſibi minime ſatisfaceret. Tum Martellus, ut homo eſt perbellus, par-

partem ſuam in alium transferens, Riccium, inquit, hac de re ſcribere incœpiſſe, videor de Fuſchinio noſtro audiſſe; is totam hanc quæſtionem facile nobis abſolvet. Tum ego: ſenſi, Martelle, inquam, quo fugias; ſed id mihi magis dolet, quod tuo Riccio nimium tribuiſti, qui, cum id præſtare non poſſit, certiſſimæ inſcitiæ ſuæ teſtimonium dabit, neque ipſe quoque, qui de illo ita ſenſeris, tuum judicium ſatis comprobabis. Equidem, Cardinalis Ampliſſime, ut Fuſchinius Martello retulit, jampridem de Judicio ſcribere incœpi, ſed vix caput inchoavi, nedum totum corpus abſolverim; id quidem reliqui habeo in mente optime diſtinctum, ſed non, quod hic ex tempore, atque paucis proferam. Dies enim [ut vides] properat, ut nocti concedat, & jam ſermonis ſatis eſſe poteſt, quod ſuperius eſt habitum. Quare ſi mihi conceſſeris, ut opus conficiam, atque poſtea aut illud deſcriptum ad te mittam, aut te in Urbe, cum ſe calor iſte fregerit, expectem, hocque tibi poſtea de ſcripto recitem, erit multo mihi commodius ad id, quod de eo ſentio, explicandum, & tibi, & cæteris planius ad intelligendum, cum omnibus in legendo in quaque parte, quæ minus probari videatur, conſiſtere, atque otioſius ponderare licebit. Id quod cum a te facile, atque de omnium etiam ſententia impetraſſem, ſurreximus, atque aliquot ſpatiis in ampliſſima porticu confectis, te in cubiculum conduximus, deinde quiſque in ſuum quietum diſceſſit. Ego vero poſtridie mane Ferrariam reverti ad uxorem graviter ægrotantem, quæ ut convaleſcere cepit, nihil habui antiquius, quam ut de Judicio fidem meam tibi præſtarem. Opus itaque ſumpſi, neque illud prius de manibus depoſui, quam abſolute confecerim, abſolutum vero deſcripſerim, atque ad te poſtea miſerim; quam meam ſententiam, ut vides, Dialogo ſum complexus. Tres enim graviſſimas perſonas de eo acutiſſime diſputantes induxi; Sebaſtianum Delium, Marcum Antonium Flaminium, & Julium Camillum. In quo ſi tibi ſatisfecero, erit mihi quam gratiſſimum; ſi minus, neque id erit ingratum, quando videris, me omnia feciſſe, ne quid in eo a me deſiderares. Vale.

BARTHOLOMÆI RICCII DE PRINCIPIS CONSILIO

www.libtool.com.cn

Ad Bartholomæum Ferrinium Herculis Ateſtii Ferrariæ Principis Scribam integerrimum.

Vitæ ſuæ rationem ob oculos ponit, Opera a ſe confecta, & publici juris facta recenſet, quibuſque ea inſcripſerit, oſtendit. Cur autem opus de Conſilio Principis *ipſi potiſſimum dicandum cenſeat, ſubjicit, ejuſque ſanctiſſimos mores, & totius vitæ ſingularem integritatem extollit.*

11. EGo te, Ferrini, minime fugere ſcio, quam omnibus Scriptoribus liberum ſit, ac ſine ulla controverſia conceſſum, ut unaquaque in re, quæ magis quemque delectet, dictionem exerceant ſuam. Neque vero inter amicos negatum minus, ut de alio quovis genere beneficentiæ mereat alius, te eundem minime præterire, ignoro. Nam te in altero pervarie verſari video, in altero etiam ſæpius expertus ſum, atque adeo in dies experior magis. Quam utramque & ſcribendi & dandi liberam permiſſionem cum ego quoque jampridem animadverterem, in utraque quoad ejus facere potui, & officium & ſcriptionem exercui meam. Nam admodum adoleſcens ad bonorum Authorum Latinæ locutionis obſervationem me dedi; atque eo modo, quo ante me nemo. A quo meo inſtituto non deſtiti prius, quam ad eam magnitudinem volumen illud perduxi, quo vulgo octo jam annos ſub Latinæ Locutionis Apparatus inſcriptione a doctis omnibus legitur, &, ut audio, non ingrate legitur. Quo interea quoque tempore; nam id ſtudii in multos annos productum eſt; multorum hominum, qui alicujus ſunt nominis, ut legenti occurrebat, vitam breviter perſtringebam. Cum his Joannis Cornelii Somnii conjungitur, in quo Civem illum primarium parentis Georgii nomine vita jampridem functi ad Rempublicam capeſſendam hortabamur. Huic Caſtrutii vita, quam ipſi Latinam fecimus, accedit. Ab Apparatus auten

tione Sebaſtianum Gryphium duabus perpetuis Ora-
ɔnibus majeſtatis accuſavimus, qui, ſpreto Regis Di-
ɔmate, Apparatum noſtrum excuſſerat, atque in omni-
s Galliæ Bibliothecis venalem propoſuerat. Poſt Gry-
ii accuſationem ſub Italicam Latinam cum propriam,
m figuratam locutionem ad ingens volumen collegi-
ıs ex bonis noſtris. Quod quoque opus abſolvemus a-
quando, ſi vita ſuperſit. Poſt hunc ad Italicam ra-
ɔnem Latinum Apparatum eam Orationem ſcripſimus,
a ego meorum Civium nomine Herculi Aſtio Al-
onſi Filio Ferrariæ Principi gratulabar, quod, re ſal-
, atque ex ſua ſententia apud Cæſarem Neapoli con-
:uta, ad ſuos tandem ſeſe incolumem recepiſſet. Vix
nidiatus interceſſerat annus, cum Ravennam acce-
, qui publice in ea Civitate humaniores literas pro-
ɛrer. Eos Cives de more in noſtro ipſius muneris pu-
ɔi initio juſta accepimus Oratione. Quo vero tempo-
in docendo Ravennati Juventuti operam damus, Par-
ılas, quæ in tertiam Apparatus noſtri partem venie-
ıt, planius expolivimus. Interea in alterum bien-
ım a Ravennatibus delecti Ferrariam ab Hercule Prin-
e accerſimur, qui Alphonſum filium in hiſce ipſis
diis inſtitueremus. Ab adventu Ferrarienſi Principis
ɛri vitam ſcripſimus. Vix hac perſcripta, Manutia-
n ſuaſionem aggredimur. Altero autem anno Lon-
ım Principis Herculis canem egregium miſerabiliter a
s venando foſſum, novo modo pro funere laudavi-
ıs. Londri laudationem duæ aliæ conſequuntur Ora-
nes, una ad Herculem Principem; altera ad popu-
n Ferrarienſem, etſi neutra tamen eſt habita. Cum
conjunximus de laudibus eloquentiæ Librum, quem
uitur ad Lanfrancum Gypſium Principis Herculis Pro-
atorem de Procurationis ratione epiſtola bene longa.
hæc accedit de Judicio. Huic poſtremo adjunctum
hoc, quod habes de Principis Conſilio; quæ tamen
ɪrema ſtudia Imitationi tanquam adventitia accide-
ıt. Nam de Imitatione ſemper aut aliquid ſcribebam
ɛrea, aut ſaltem, quod in eam conjicerem, attente
ɛrvabam; quod opus cum in duos libros diſtribuiſ-
ı, jam alterum pœne expolitum; alterum non im-
fecte informatum habebam; quos ſi ad optatum fi-
n perduxero, ſpero ſtudioſis non ingratum opus fu-

turum. Hæc ego hactenus ſcribendi libertate ſum uſus, ac utar poſthac, quamdiu mihi per vitam licebit; quam ſcribendi rationem benigne faciendi ratio par ſecuta eſt. Nam cum me res mea pertenuis de me optime meritis alia gratia memorem atque gratum præſtare non ſineret, illud ſcriptis, quoquo id poſſem modo, aſſequi conabar. Itaque meis Comeliis in primis me gratiſſimum probavi, ſemel cum Filio Apparatum inſcripſi; iterum cum Parenti Somnium attribui. Quod idem proxime cum duobus Ateſtiis Principibus fecimus, cum Parenti Caſtrutii vitam, Filio ſuam ipſius conſcripſimus. Quin etiam de Imitatione, utut ea res non minimum adhuc & temporis & ſtudii deſideraret, cui tamen ea quoque mitteretur, jam non apud me tantum conſtitueram, ſed illi quoque, cui eam deſtinaram, per literas meam hanc gratiſſimam animi voluntatem ſignificaveram. Quod meum vetus inſtitutum cum in hoc quoque meo Conſilio ſervare pervellem, quærebam cuinam id ex amicis recte mitti poſſet, qui cum multi occurrerent, iique omnes eo munere perdigni, omnium tamen tu mihi, Ferrini, unus extitiſti, quem jure optimo cæteris omnibus anteferrem. Neque id ea ratione, ut quicquam eo conſilio in rebus decernendis aut prudentior fieres; aut fides tua magis probaretur, qui hæc præcepta, quæ nos in noſtrum Conſilium conjecimus, ex iis fontibus, unde nos hauſimus, te omnia certo ſciremus hauſiſſe; ſed cum tu omni ſtudio, ac prudentiſſimo conſilio tuo [ut nunc reliqua in me tua omittam collata officia non pauca] rem mihi Ferrarienſem, hoc eſt, ſenectutis meæ honorificentiſſimam quietem & diu, & fortiter ſuſtinueris, & tandem feliciter confeceris, ut ex tanto tuo in me beneficio aliqua ex parte animum erga te meum & gratum & memorem probarem; deinde ut quodam etiam modo tibi felicius ominarer, qui eo loci jampridem conſtitutus es, unde ii, qui Principi noſtro in conſilium adhibentur, conſtantiſſima ratione deligi ſolent; ut cum is numerus [quod equidem multo mallem] augendus ſit, aut omnino in alterius locum deligendus ſit alius, is a me tibi locus quaſi divinitus conſtitutus videatur, qui aut numerum illum plane impleas, aut omnino alteri feliciter ſuccedas; tametſi, qui ex bonorum omnium ſententia, cum caſus

ve-

venerit, rectius fiat, video neminem. Nam præter eam operam, quam eo in loco Principi noſtro jam multos annos in ſcribendo optimam navas, ac multas Italicas Legationes, quas interea prudentiſſime obire non intermittis, accedunt tui iſti ſanctiſſimi mores, tua iſta totius vitæ ſingularis integritas, ac optimorum ſtudiorum ratio minime imperita; poſtremo tua iſta & vultu & ſermone ſuavitas omnibus gratiis condita, cujus quidem innatæ humanitatis quanta vis ſit, quamque hominum animos facile ſibi devinciat, nihil attinet diſputare, cum ea virtus unius hominis ſit maxime propria, maximeque ad amandum neceſſaria. Unum fortaſſe a te ad tantum munus obeundum deſiderari poteſt; hoc eſt, paulo pluſculum annorum; quorum tamen prudentiam ipſe cum tuopte ingenio, tum ſummo ſtudio atque artificio longe ſuperaſti. Sed locus hic non eſt, ut de tuis laudibus pluribus agatur, jamque eo perventum eſt, ut quales eſſe debeant ii, qui Principi in conſilio adſint, quoad melius fieri poſſit, planius diſputetur.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Joanni Baptiſtæ Pignæ S. D.

Ejus Orationem in funere Herculis II. Ducis Ferrariæ ab eo habitam a ſe correctam, & emendatam remittit.

12. REmitto tibi, Pigna, Orationem tuam, atque epiſtolam, ut vides, correctam, ut, ſi eam iterum ſis editurus, tuo optimo nomini melius conſulas. Vale, & Riccium tuum ama.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Joanni Baptiſtæ Sarachio S. D.

Duas Orationes ſub ejus nomine editas mittit, oratque, ut parvam hanc grati animi ſignificationem æqui, bonique faciat.

14. SCio, mi Sarachi, quantum ego tibi cum tuis ſummis erga me, tum etiam meos non minimis officiis debeam; neque ipſe contra ignoras [etſi nullam admodum ſatis dignam gratiam tibi refero] quam ea mihi omnia grata accidant; id quod ut cæteris quoque aliquo modo teſtarer, hoc tempore hæc parva facultas mihi data eſt. Nam cum haſce duas Orationes meas edere ſtatuiſſem, ut ſub tuo nomine ederentur, volui. Levidenſe quidem fateor, munuſculum, neque qualia ſunt in me tua ſumma, ac ſingularia officia; ſed is tamen, cui exigua ſupellex eſt, linteolo, vel craſſo filo animi ſui bene grati aliquam ſignificationem facere poteſt; cum amplior locus ad id cumulatius faciendum dabitur, eum multo avidius arripiam. Has interea habe, & lege; quæ ſi tuæ expectationi minus reſpondebunt, mihi ſatis erit, me tibi in amore, quod optime facio, probe reſpondere. Vale. III. Calend. Apr. MDLII.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Hieronymo Faletio S. D.

Cauſſas affert, cur ei potiſſimum Orationem in Archiam Poetam a ſe conſcriptam dicandam cenſuerit, comparationemque inter ipſum, & Archiam Poetam inſtituit.

15. CUm adoleſcens eram, Faleti, atque in ſcribendo ſtylum meum exercebam, ſolebam id varie facere. Aut enim ex Hetruſcis ſcriptis, quæ mihi magis probarentur, in Latinum transferebam; aut eorum perſona ſuſcepta, quibus Cicero ſcriberet, quaſi ei, quæ mihi viderentur, reſpondebam; aut ad ejus ipſius imitationem mihi

mihi ipſe aliquid effingebam ; aut etiam in cauſſis eum defendens , quem ipſe accuſaret , aut contra accuſans , quem ille defenderet , dictionem meam occupare ſolebam , ut in Archiam feci . Nam ut ejus Orationem , quam pro illo habuit , primum legi , cepi mecum cogitare , quid Gracchus accuſator in eum dicere , aut contra tot præclaros Viros , qui illi præſto adeſſent , excogitare poſſet , quamobrem eum ex Civitate ejiceret , neque prius ab inquirendo deſtiti , quam accuſationem ſatis juſtam mihi confeci , quæ utinam ea eſſet , quæ firmioris accuſationis aliquid omnino haberet . Nam quoties eam cum Ciceronis defenſione confero ; ſæpe enim utramque perlego ; Cicero mihi videtur vere , ac facile defendere , me autem nihil aliud agere , quam fruſtra conari , ut aliquid mihi confingam . Hæc tamen cum tibi , Gyraldio , Azajolio , Sarachioque noſtro minime diſpliceat , mihi quoque non poteſt non placere . Quare ego hanc cum cæteris edendam ſtatui . Ac quoniam prope ſingulæ ſingulis inſcriptæ ſunt , hanc ut tibi potius , quam cuiquam amicorum darem , Orationis ratio poſtulare videbatur . Poeta enim erat Archias egregius , neque tu in ea facultate in ultimo loco es reponendus . Ille Græcus ob ſuas ſingulares virtutes Civis Romanus factus eſt ; tu item Ligur Ferrarienſi Civitate ob tuos optimos mores donatus es . Continuo ille , ut Romam venit , Mario , & Catulo Coſſ. mire placuit ; tu , ut Ferrariam acceſſiſti , ita HERCULI , ac FRANCISCO Fratribus Principibus Ateſtiis probatus es , ut hic te primum a ſecretis deligeret , ille vero ab hoc in eundem locum te paulo poſt depoſceret . Archias nobilioribus familiis Romanis familiariter utebatur ; tu Ferrarienſes omnes ita familiaritate devinctas habes , ut domi multo rarius ſis , quam ad amicos . Ille denique verſibus Hiſtoriam Romanam perſecutus eſt ; tu in ea jam multos Libros de Cæſaris rebus præclare geſtis , præter eos octo , quibus Germanicum bellum Italico ſermone vere , ac ſplendide proſequutus es , qui nunc ſub prælis ſunt , habes abſolutos . In eo vero Archia ipſe es felicior , quod nullus Gracchus eſt , certe nullus Riccius umquam erit , qui tibi Civitatem eripere ſtudeat . Quibus omnibus , ut dicebam , rationibus ita tua hæc cauſſa eſſe videbatur , ut ſi hæc a me per imprudentiam alii inſcripta eſſet , tu eam jure tuo æquiſſimo a me in judicio repetere poſſes ;

id

id quod ne eveniret, prudenter cavi. Nullum enim judicium expectans, eam tibi dicavi, tuamque totam esse volui. In qua siquid etiam erit, quod ab hac ratione sejunctum, nostræque adjunctum sit, id quoque parti tuæ adjunxeris, ut cum totam tuam habeas accusationem nostram, tum ut alii hanc quoque mei summi erga te amoris significationem testatam habeant. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Lanfranco Gypsio S. D.

Orationem in Bartholomæi Ferrinii funere a se scriptam sub ejus nomine exire velle significat, ut secum tantum amicum defleat, paremque luctum pari benevolentiæ reddat.

16. VIdes, Gypsi, qua conditione homines simus nati, quaque nobis ea vel cum belluis communis, nisi longe etiam inferior interdum sit. Ferrinius adolescens optimis moribus, vita integerrima, fructu jam maximo, qui tamen longe major sperabatur, tam subito nobis ereptus est, ut repentino mortuus videri possit. Quem ego casum, quam communem amicorum jacturam, quæ in eo maxima facta est, cum multis modis mecum lugerem, neque meo tamen dolori, neque ejus virtuti a me satis factum esse duxi, nisi meis lacrymis aliis quoque lacrymas commovissem. Quare hanc Orationem, quam in ejus funere scripsi, edere statui, sperans id me eo modo ab omnibus, qui eam legerent, facile consequi posse. Ea vero separatim, ut sub tuo nomine exiret, volui. Sciebam enim, te in primis illum amasse, summoque ejus desiderio quotidie gravius commoveri, ut nihil dubitarem, quin tibi hujus lectione istas lacrymas excuterem facillime, ac hoc quoque modo si mecum tantum amicum defleres, tibi foret longe gratissimum. Lege igitur, ac defle, paremque luctum pari benivolentiæ redde; in primis autem etiam atque etiam diligenter, ut valeas, cura. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Aloysio Atestio Cardinali S. D.

Ejus hortatu, atque adeo impulsu Orationem pro T. Annio Milone in M. Bruti sententiam a se compositam fuisse ostendit, se tamen totum Bruti sententiæ non addixisse, aut ad ejus tantum rationem suam hanc defensionem circumscripsisse, sed multa etiam de suo, quæ in Milonis defensionem commode cadere videbantur, in eam haud fortasse inepte conjecisse.

17. CUm tibi eam Orationem, quam Cicero pro Milone habuit, superioribus mensibus ad explicandum aggrederer, scio, te plane recordari, me multa in ejus, ut mos est, initio, quæ ad totius causæ planiorem intelligentiam pertinerent, continuo commemorasse, in quibus neque id postremo est omissum, M. Brutum hanc quoque defensionem, sed in aliam tamen, atque Cicero fecit, sententiam a se conscriptam edidisse, etsi eam nullam habuit omnino. Hic enim fortasse animi sui altitudinem secutus, Milonem cædem hanc fecisse, magis ut Reip. subveniret, quam ut saluti suæ prospiceret, defendi maluisse videtur: præsertim cum, Clodium occidi maxime e Rep. esse, omnibus constaret. Quod cum audisses, tum, ut cætera soles, argute, ac familiariter; cur tu, Ricci, inquis, ut olim in Archiam contra Ciceronem, nunc pro Milone cum ipso Cicerone in hanc Bruti sententiam causam istam non agis? Cur non vides, si divinare possis, quæ a Bruto in hanc defensionem induci potuissent, atque ea tuo stylo Orationi postea mandes? Tum ego inquam, quid agis, Aloysi? ut ego Bruti sensa, atque consilia, quæ ne C. quidem Cæsar in suam salutem odorari potuit, perscrutari audeam; atque rem eam, quæ innumerabilia sæcula in hominum ignoratione involuta delituit, atque de qua nullum aliud vestigium extat, quam cum Bruto quibusdam placuisse, ita crimen hoc defendi posse, interfici Clodium pro Rep. fuisse, ego nunc investigem, atque ex suis densissimis tenebris in lucem eruam? Nimium tu mihi tribuis, nimisque grave onus imponis. Nam ista tua exhor-

hortatio tantum apud animum meum valet, quantum ſi aperte imperaſſes. Fac enim, ut in ea cauſſa [ſtumquam enim quæ Brutus] ego tamen a me haud inepta, atque valid:ſſima videam multa; fac, quæ acute perſpexero, ea poſtea apte, atque compoſite conſtituam; præterea hæc eadem ut docendo probe explicem, dicendo magnifice exornem; amplificando, quantum fieri poſſit, extollam; ſumma vero dicendi vi, ſummoque artificio, quorum in me neutrum eſt, niſi exile, atque perpuſillum, quo velim, Judices impellam, unde autem cauſſæ meæ conducat, etiam revocem, ut item in Clodium ejus cædis cauſſam, atque adeo in Remp. ipſam manifeſte conferam, ut denique in Clodii morte Reip. ſalutem, atque omnium Civium tranquillitatem, atque ſecuritatem, Deorum etiam reverentiam, cultum, atque eorum Templorum incolumitatem conſtitutam eſſe convincam; quid tandem adverſario meo reſpondebo, cum objecerit, non fuiſſe privati viri publicas injurias ulciſci, non licere Civem a Cive interfici, Remque publicam ſuos faſces, ſuas ſecures, ſuos Magiſtratus habere, quibus ſuos fontes ſuo ſupplicio afficiat? Totus ego in cauſſa hærebo; oratio, vox me deficiet; vincar. At alicunde, ſubdis, hoc quoque tibi ſuccurret. Nihil enim tam abſtruſum, tamque abſconditum eſt ad inveniendum, quin, ſi diligenter quæratur, tandem etiam inveniatur. Modo induſtriam tuam adhibeas in inquirendo, nihil dubito, quin, quibus hoc quoque optime refellas, atque in ipſum adverſarium rejicias, argumenta, atque majorum exempla facile reperias. Iſtud facile, inquam, ne mihi difficillimum ſit, valde metuo. Sed cum ita velle te ſentio, morem tibi geram, hac tamen Lege, atque conditione, ut magis tibi hoc quoque modo imitandi formam aliquam demonſtrem, quam ut Milonis cauſſæ me quicquam prodeſſe poſſe ſperem. Quod ut mihi innuiſti, ad reliquam Orationis interpretationem perrexi, qua poſtea tota feliciter abſoluta, nihil antiquius habui, quam ut hanc ſtatim aggrederer, quam, ut ſemel aggreſſus ſum, non prius de manibus omiſi, quam habui probe abſolutam. Etſi in ea uni iſti Bruti ſententiæ me tamen non totum addixi, aut ad ejus tantum rationem meam hanc defenſionem circumſcripſi. Multa enim ex meo, quæ in Milonis defenſionem commode cadere vi-

de-

debantur, in eam [quemadmodum videbis] haud fortaſſe inepte conjeci. Hanc tibi mitto, ſed ea tamen conditione, quam tibi paulo ſupra dicebam; mitto, ut in ea potius cum ſumma benevolentia erga te mea meam in ea ſcriptione imitationem, quam ullam ſatis validam Milonis defenſionem videas; in qua ſi quid tamen offenderis, quod pro eo haud imperite a nobis ſit diſputatum, id totum tuum accipies, cujus mandati fideli, atque aſſidua recordatione ita in eam curam incubuerim, ut præter hanc meam imitandi rationem, Milonianæ etiam defenſionis aliquid attigiſſe, videri potuerim. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Lanfranco Gypſio S. D.

Rationem affert, cur ei potiſſimum Orationem hanc inſcribat, & in ejus virtutis, ac prudentiæ laudes excurrens hortatur, ut pergat optimis conſiliis ſuis Principem juvare, Civitatem conſervare, nomenque ſuum in dies amplius immortalitati commendare.

18. CUm tibi quotidie, Gypſi, aliquid ex meis ſcriptis mittere ſoleam, idque ſemper jure faciam æquiſſimo, hoc tamen, quod nunc mitto, æquiore facere non poſſem. Nam cum hoc totum, de quo in præſentia agitur, a te profectum ſit, cui honeſtius quaſi remitteretur, prorſus erat nemo. Tu enim, Gypſi, ne innocentiſſimus Vir ab audaciſſimo latrone opprimeretur, effeciſti; tu idem, ne honeſtiſſimi, ac probatiſſimi Viri, Cives tui, per miſeros cruciatus necarentur, optime curaſti; tu denique, ne Princeps tuus ſceleratiſſimi hominis dolis in maximum mœrorem, in ſuorum autem Civium multo majus odium raperetur, prudentiſſime providiſti. O Virum vere Chriſtianum, atque ad communem utilitatem natum, qui etiam in Judæum æquitatem tuam probaſti, tuis autem Civibus, tuo Principi tam præſto affuiſti! Nihil mihi nunc communis Patriæ charitas, nihil affinitatis propinquitas, nihil a pueris nobis mutuus amor, qui una etiam cum ætate accrevit ſimul, ulli impedimento ſit, quin, quæ de virtute tua, de ſumma prudentia quiſque veriſſime prædicat, ego hoc

loco

loco leviter attingere poſſim. Tuo, inquam, Gypſi, beneficio, tua ſingulari ſapientia, tuo divino judicio factum eſt, ne improbitas, ne ſcelus perpetuo in Civitate dominaretur, boni omnes jacerent, & opprimerentur. Nam qui ſummo ſcelere creviſſet, quid aliud, quam ſcelera, ut cumulate nefarius eſſet, vel ut potius tanto ſceleri quaſi gratiam referret, perpetuo exerceret, colret? At in qua cauſſa, Dii boni! id effeciſti? in qua de cæde Principi conſtituta agebatur; in qua graviſſima argumenta; literæ conjuratorum afferebantur; accuſator autem tam acris, tam audax eſſet, ut non modo rationibus judicium acriter urgeret, ſed ſuo capite ipſo vincere conaretur. Tu tamen continuo, quanti res eſſet, optime animadverteus, numquam animum induxiſti tuum, ut temere crederes; ut ad Judicium feſtinares; imo ut uſque eo tua prudentia ſuſtinuiſti in inquirendo, quod quaſi ſua ſponte veritas patefacta eſt, quoad Deus lumen cauſſæ attulit, dolos, ac totum maleficium detexit; cui uni tuæ prudentiæ hoc, quod nunc agimus, quodque poſteri agent, quietiſſimi otii, ac ſecuriſſimæ tranquillitatis, omnes libentiſſimis acceptum referimus animis. Perge vero, Gypſi, iſtis optimis conſiliis, ita vera prudentia Principem juvare; Civitatem conſervare; nomen tuum in dies amplius immortalitati commendare; para iis, qui ſcribunt hujuſmodi argumenta; præbe etiam, ſi potes, his majora. Deus te in eum, quem habes apud Principem tuum ampliſſimum, delegit locum; Deo, ut facis, perge gratus eſſe, hoc eſt, iis, quibus injuria affertur aliqua, præſto adſis, eos defende, tutare. Interea autem a nobis habe hoc puſillum laudis tuæ præconium, longe a Deo Opt. Max. meritodem locupletiorem expectans. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

www.libtool.com.cn

Aloysio Ateſtio S. D.

Libros tres de Imitatione Alphonſo Principi primum inſcriptos multo correctiores, & emendatiores Aloyſio Fratri in ſecunda editione nuncupat. Conſilii ſui cauſſam affert, & quibus rationibus ad idem Opus cum Fratre communicandum compulſus fuerit, exponit, eumque hortatur, ne ſibi deſit in ejuſdem Operis præceptis recte, ac ſedulo ſervandis.

